0/012
1-09
I-1561

PAVLI IOVII

HISTORIARV

II

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum
sui temporis
***

TOMVS SECVNDVS.

Cum indice rerum ac verborum memorabilium locupletissimo.

LVGDVNI,
APVD HAERED. SEB.
GRYPHII,
1561.

PAVLI IOVII IVNIORIS.

ILLVSTRES Populi, quos vel tulit Italia tellus
Quibus ve mater extera,
Seu Mars assiduis quoscunque exercet in armis
Virtute claros bellica:
Seu quibus est studium Sophiae complectier artes
Gratumq; Musis otium,
Quid dubij vobis tandudum in corde recursat?
Ne, quaeso, ne miremini,
Si rectè IOVIVS iudex infaustae malignae
Aetatis acta praeterit,
Qua se cum Diris geminisq; sororibus orco
Erynnis atra sustulit,
Crimina mille trahens secum, & ciuilia bella
Cades, & impium nefas.
Eheu quàm melior Populis & clarior iret
Romana vel gloria,
Si non insanum deuoti sanguinis aeuum
Chartis notasset in suis,
Extra odium quisquis Priscorũ scripsit, & extrà
Potentiorum grattam.
Quare vos potius IOVIO nunc soluite grates
Bonam inq; partem sumite
Si, bene dum vestro decori, & sibi consulit ipsi
Nomen tuetur Italum.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini in libros historiarum sui temporis secundi volumi-nis.

PRAEFATIO, AD COSMVM MEDICEM Reipublicae Florentinae Ducem.

PVBLICANTI mihi secundũ Historiarum mearum volumen Magnanime COSME, satis superque & praeclarè quidem augusti nominis tui, cui haec dicantur, auctoritatem, ab illustri patrocinio valituram reor, aduersus eos qui fortasse comiter aut conuitiosè postulabunt, & requirent cur id totum luctuosissimae tempestatis spatiũ quod à morte Leonis X. ad Romanam cla-

dē decucurrit vel supina, vel astuta præuaricatione præterierim. Quibus breuissima præfatione ita censeo respondendum, vt nec culpam diffitear nec veniam deprecer: quandoquidem non ad alienæ voluntatis arbitrium, sed sincero liberalique prorsus animi iudicio hoc grauissimum scribendæ historiæ munus susceperim, scilicet, vt his qui adhuc viuunt & posteris demum peramœna exemplorum varietate cum oblectatione prodessem, & in hac vita aliquam mihi æternitatis spem, hoc tanto atque vtilissimo labore percipiēdam arbitrarer, quam mihi obuenturam opto speróque, & singularem atque honestam voluptatem allaturam confido, modò sine periculo quęratur. Putabam siquidem, & insani & intemperantis ingenij fore, si libero ore loquutus nihil reticerem, quod asserendæ veritatis interesset, & cuncta huius seculi incōmoda propalarem, propterea quòd inde quorundam dignitatem inuidiosa nec iniqua suggillatione vehementer offendi posse prouidebam. Profectò mei instituti nunquam fuit vel encomia falsásque laudationes ad quærendam gratiam conscripsisse, neque ex aduerso ad parandum odium, Satyricæ acerbitatis stylum exercuisse, vt à quibusdā impudenter factum videmus. Quoniam viro philo

philosopho, senique maximè turpe sit & ineptum, sibi, vti oportet, in graui præcipuę negotio sapere nesciuisse. Itaque peritos medicos imitatus, carcinomata desperatæ curationis quæ si attrectes, & acri medicamine lacessas, in immensum furere, & pestifera edacique serpigine mortem afferre solent, naturæ relinquenda, neque his vllo pacto manum admouendam iudicaui. Quamobrem existimationi salutiq; meæ consulens, diræ tempestatis materiam, tanquam abominabilis impijq; operis, minimè attingendam arbitratus sum, quando hæc aduersæ fortunæ accepta vulnera insaniæq; nostræ detrimenta, non modò non prodenda posteris, sed pro virili occultanda esse videātur: Ea siquidem quæ Italicum nomen dedecorent, neque memoria recoli sine dolore, neque sine vberrimis lachrymis scribi, nec sine flagitio pudoréque posteris enarrari queunt. Cæterùm quod ad rem pertinet, historiæ studiosorum iusto desiderio magna ex parte satis fecisse iudicari possum. Nam si vitas illustrium Ducum quas conscripsimus, curiosi diligenter euoluant, in Leone x. atque Hadriano vi. Pontificibus, Pompeióque Columna & Daualo Piscario, Magno Consaluo, & Alfonso Atestino, totius huius funesti secu-

li historiæ texturam inuenient sic, vt ea facilè, quæ nos vel non scripsimus, vel scripta non inconsultè supprimimus, supplere & resarcire cumulatè possint: Quanquam & hæc, singulorum librorum Epitome, suo ordine ad prodendam rerum gestarum seriem explicanda censuerim. Quòd si mihi quanquam pedibus capto, atque adeò grauiter senescenti, Deus magnus fatalis horæ spatium extendat, perpetua proculdubio lucrubratione enitar, vt totum id quod in clade vrbis ereptum, vel à me postea contumaci quadam indignatione prætermissum fuit, non diu à bonis mortalibus desideretur, te præsertim auspice omnis virtutis amantissimo, qui, vt hæc conficerem atque ederem, generosa cohortatione perpulisti. Vale.

Pisis. Calen.
Maijs.
M. D. LII.

LIB

LIBRORVM QVI PRAETERMISSI SVNT, EPITOME,

quæ primi voluminis libris, suo temporum ordine obseruato, continuata serie connectitur.

DECIMINONI LIBRI.

VMBRICI *belli causæ & successus, resq; multis in locis à Pontificijs fœdissimè gestæ, libro Decimonono continentur obitérque Franciscí Mariæ Feltrij Vrbinatis Reguli, multiplices victoriæ, suum regnum, quo dudum iniuriâ fuerat eiectus, egregia virtute repetentis. Maldonati quoque Hispani viri summæ auctoritatis suspectam fidem, quòd largitione corruptus videretur, atrocissimo spectaculo vindicatam: quum Hispani eundem, & complices cogitati facinoris C. Maccium, Ferdinandum Rubrium, & Plasollam cohortium præfectos, corona totius exercitus circundatos, in-*

usitata horribilis supplicij pœna confodissent. Explicat item Leonis Pontificis dolorem ex aduerso rerum successu, Vulnereque Laurentij Medicis conceptum, & Petrucciana coniurationis pericula, eiusq; detecta Vindicatam iniuriam, sublatumq; metum fœda nece Alfonsi Petrucij Cardinalis, & consirantium cum eo aliquot Cardinalium exilijs, & propterea supplendi senatus necessitatem, quum Pontifex Vnum & triginta Senatores honore purpuræ decorasset, egregio certè dignissimorum Virorum delectu, qui ex omnibus prouincijs præclaro Virtutis merito petebantur, nisi à quibusdam pretio coemptus honor, liberalis atque beneficentissimi Pontificis famam eleuasset. Hispanos quoque mercenarios milites spe præmiorum, iussuq; principum diductos à Feltrio enarrat, & aduersum Feltrio belli exitum, Vrbinatesque à Medice receptos, sed nudatos mœnibus atque item Feltrium, deserentibus eum Hispanis, recepti dudum regni possessione iectum, quum Mantuam exulatum grauioris iniuriæ metu maturè contendisset, seipsum vel ob id in tanta Fortunæ iniquitate probè consolantem, quòd Laurentium Medicem parto iniquè principatu non diu lætantem, morte ereptum audisset, & Hispanos fermè omnes, à quibus contra militiæ iusiurandum fuisset desertus, ab Hugone Moncata nauibus impositos

tos ad Algerium Mauritaniæ oppidum, Vbi paulò ante Didacus Verra exercitum præualidum, superatus à Numidis & Mauris amisserat, miserabile naufragium feciſſe didicisset. Eodem anno Maximilianus Cæsar apud Velsium Norici agri oppidum, quum intempestiuè pharmacum incertæ potestatis aduersus morbum, quem sibi imminere putarat, hausisset, mortuus est, Vir præstantissimis corporis atq; animi dotibus inclytus. Eius imperium Carolus ex Philippo filio nepos excepit, Cæsarum proculdubio potentissimus propter regnorum amplitudinem, Hispaniæ atque Neapolis hæreditate adauctam. Is non multò post imperatorijs comitijs in Germania de more habitis, competitorem habuit Franciscum Galliæ regem, incerta suffragatorum fide innixum, et propterea quòd Germani proceres animos nutantes ad patriæ publicum decus reuocasset, repulsam ferentem. Quæ causa fuit eius altè concepti odij, quod mox cõtracto exitiali belli intereos erupit. Præterea eius belli initia refert, quod in Belgis gestum est à Cæsarianis, Francisco Cecchingo tumultuario Germanorum militum duce, aduersus Robertum Marchium in Eburonibus regulum præpotentem, Gallicæq; factioni semper addictum, atque item Maseriam oppidum, quod ad Mosam flumen positum est, magnis Cecchingi copijs, & insusitatæ

magnitudinis tormentis, acerrimo sed irrito conatu quassatam, Bastardo Gallorum duce impigro fortiter defendente. Eodem anno Selymus Turcarum imperator apud Ciurlium Thraciæ pagum, pestilenti circa renes enato vlcere, mortuus est, quum regnasset annis octo & aduersum nos terra mariq; bellum illaturus crederetur: postquàm Hismaelem Persarum regem grauissimè contudisset, & duobus Sulthanis regibus deiectis atque interfectis Aegyptum & Syriam imperio adiecisset. Solymanus vnicus ex Bosphorana Vxore filius, nemine obsistente amulo, tot regnorum hereditatem adijt: Atque eodem ferè mense, quo Carolus Cæsar est acclamatus, & ipse Solymanus paterno imperatoris titulo compos est factus. Caterùm audita Selymi morte, Gazelles Syriæ præpositus rebellauit, ratus se sacramenti religione solutum, quòd Selymo tantùm, successori verò minimè sacramentum dixisse prædicaret, & proinde sibi decorum fore arbitraretur, si coactis in vnum Mamaluchorum reliquijs, Syriam ad veterem Sulthanorum imperij conditionem eiectis Turcis, reuocare contenderet. Quando iam egregia voluntate tota Syri atque Arabes in id consilium sibi prò consentirent, nec defuturum in ea occasione Caierbeium arbitraretur, qui Aegypto præsset, quin se ex præfecto regem, & Sul-

thanum efficeret postquàm Memphiticus populus acerbo esset odio in Turcas, & in eius manu totius Aegypti arma & opes sitæ viderentur. Sed Gazelles trahendi in partes Caierbeÿ spe depulsus, quòd hic certa tutioráque consilia dubijs atque asperis præferret, & Gazelli veteri à superioribus temporibus inimico, nihil planè confideret, ita Gazellis cohortationes reiecit, vt eius legatum supplicio afficeret, ne Campsoniana proditionis infamiam noua perfidiæ scelere cumularet. Misit etiam Gazelles legatos Rhodum, vt inde tormenta atq; arma aduersus communes hostes Turcas impetraret. Per eũ modum, quòd ferò Rhodius Magister ferendæ opis consilia explicaret, superuentu Frahatis Bassæ, quem cum magnis copijs Solymanus è Cilicia in Syriam transire, & initia rebellionis opprimere iusserat, impar viribus sed animo inuictus Damascũ se recepit ea mente, vt cum his quas collegerat copijs, quàm primum cũ Frahate confligeret. At q; ita Damasco eductis signis, vt honestè cõcideret, hostes inuasit, eo acerrimæ pugnæ exitu vt ipse peritissimè & constantissimè dimicans, cum suis omnibus nihil de fuga cogitantibus interficeretur.

VIG

VIGESIMI LIBRI.

CAESAR per Oceanum in Hispaniam deuectus, utriusq; auiti regni hæreditatem adijt, magnoq; confirmatis antiquæ immunitatis legibus honorario utriusq; prouinciæ munere ditatus est. Ipso ad Belgas redeunte populi ingenti tumultu exorto ad arma consternati, nec obscurè rebellantes ab auctoritate regiorum præsidum discesserunt, quòd immodicè se expilari à præfectis Belgis quererentur. Quoniam Carolus Ceurius Belga regis nutritius, ad arbitrium cuncta administrasset, aureæ monetæ regiæ, quæ erat præstantis formæ & puritatis, auidissimus extitisset. Seditiosæ multitudini duces se præbuerunt Ioannes Padillia, Ioannes item Brauius, & Maldonatus. Atque ita exarsit bellum, quo Urbs Medina Campi nundinis clara, impetu Antonij Fonsecæ, qui regias tuebatur partes, fortuito igne penè totæ cremata sit. Sed consurgentibus cum regijs copijs Indico Velasco magistro equitum, & Henrico Ammirante, qui erat in præfectura maris seditiosorum copiæ ad villam Alariam oppugnatæ deletæq; sunt, capto Padillia cum socijs, de quibus supplicium publicè est desumptum. Nec remiserant animos seditiosi populares, quum Maria Paceca Tendilij Mendocij filia, eruditi ingenij, & virilis animi mulier, Padilliæ coniugis vexillum, ne concitatæ multitudini deesset dux gerendo bello sustulisset. Ab ea Hispanici tumultus fama, Franciscus Galliæ rex excitus, recuperandi Cantabriæ regni occasionem arripuit, scilicet vt Henricum Ioannis regis filium reduceret, quòd pater regno pulsus, in Gallia exul paulò ante decessisset. Sed Galli à secundo rerum initio, Algrunium, quod olim fuit Iuliobrigæ, usque progressi, conserto prælio à Velasco & Henrico superati sunt, capto ipsorum duce Asparoto. Atque ita priſtina tranquillitas perturbatæ Hispaniæ restituta est, singulari prudentia Hadriani Florentij Belgæ Cardinalis, qui regiæ cum authoritate in procuratione vtriusque Hispaniæ à Carolo fuerat rectus. Eadem ætate Franciscus Galliæ & Henricus Angliæ reges, constituto in finibus Morinorum loco ad certam diem in colloquium deuenerunt. Gallus qui cum ornatissimo totius Galliæ procerum comitatu descenderat, sumptuosissimi operis tabernacula, multiplicesque papiliones patentibus in locis erexit. Britannus autem attulerat ligneam domum amplissimæ regiæ instar, cum luculentissimis ac amplissimis porticibus, atque cœnaculis, quæ constabant ex materia miris modis

modis elaborata, picta simul atque inaurata, tanto fabrorum architectorumq; ingenio, vt aptissimis iuncturis atque vertebris totæ plicatilis membratim diuidi, & quum luberet, iucunda commutatione tolli asportarique & rursus in varias formas distingui atque erigi posset. Cæterum eo colloquio nihil plus quo homines admiratione tenerentur, emituit. quàm duorum maximè insignium Europæ Principum humaniter sese complectentium, aspectus atque maiestas. Ambo nanque ætate, opibus, & victorijs nuper partis famaque bellica virtutis florentes, id oris decus præferebant, vt spectantes in admirationem adducerent: Quando ex his nemo qui adesset vtriusque gentis spectator, vel decore formæ vel habitu proceri corporis, tractandorumq; armorum peritia, comparari posse videretur. Nam præter equestria spectacula in gratiam illustrium fœminarum, quæ vtrinque cultissimis cœtibus aduenerãt, edita & sæpius instaurata, nihil plus actum fuisse apparuit, quàm vt vterque sese in mutuam comparationem luxuriantis elegantiæ prolatis opibus ostentaret. Nec multo post Cæsar, quod iam enata essent semina orientis belli inter se & Galliæ regem, ab Hispania rediens in Britanniam diuertit, non obscura obtrectatione eius colloquij ita vt tres simul reges coire

Voluisse crederentur. Sed vterque præmoliens bellum, & iam arma parans, Britannum socium sibi asciscere contendebat. Nam ille belli & pacis arbiter existimari cupiens, dudum animi sui argumentũ tam aptũ quàm insolens, in foribus ligneæ domus supra armatum ingentem sagittarium, habitu Britannico scitè perpictum prætulerat hoc titulo: CVI adhæreo præest. Eodem anno Solymanus maiorum disciplinã sequutus, postquàm Syriam atque Aegyptum interfecto Gazelle, virtute Frahatis pacatas didicit, in Pannoniam arma conuertit, adortúsque Belgradum, quod ad confluentes Sauum atque Danubium situm, egregium erat atque firmissimum totius Pannoniæ munimentum, expugnauit, Hungaris quidem propter trophæa ibi fortiter atque feliciter Turcis erepta maximè decorum. Barbaris verò supra quàm dici posset funestum atque ignominiosum. Nam ibi frustra tentata oppugnatione, Amurathes abauus, & proauus Mahometes, magnis acceptis detrimentis inde repulsi, re infectà discesserant. Solymano igitur cum paratissimis copijs aduentanti, neque Hungari proceres, neque Ludouicus imbecillo ingenio rex iuuenis, necessaria præsidia opposuerunt, quòd nihil inter se consentirent, & à pristina inuictæ antea gentis virtute & disciplina

defec

defecissent. Eo modo Belgradum otiosè oppugnatum, turpissimèque defensum in potestatem Barbarorum deuenit, & porta inferendis maioribus nostris cladibus panderetur.

Eodem tempore Carolus Cæsar apud Vangiones Rheni accolas, Concilium Germaniæ procerum indixit, propter commotæ religionis famam, Martino Luthero Saxone cucullato, Romani Pontificis authoritatem conuellente. In eo conuentu, Martino licuit recitare causas, cur iure Christiano à Pontificis censura discedendum iudicaret, vel ob id præsertim quòd auarissimi è Romana aula in prouincias emissarij, defunctorum animas in Purgatorij flammis criminum pœnas dantes, pretio venditare Pontificis clementiæ, seruturos profiterentur. Sed initis & protractis supra id negotium disputationibus, nihil tamen discussum est, sicut Cæsar in ea re compescendâ pio animo salubria decreta ad publicam salutem excogitanda censeret, nec multò post cum Leone Pontifice percusso fœdere iungeretur. Leo nanque grauissimis de causis extimulatus, Gallos Mediolanensi principatu extrudendos statuerat, & Francisco Sfortiæ paternæ hæreditatis iure, communibus Cæsaris atque ipsius armis redderetur. Atque ita bellum quod apud Belgas inchoatum fuerat, incrementáque in Hispania sump-

sumpserat, in Italiam translatum est, dirò prorsus cõsilio, quum inde Italia propè omnis, vetustum decus, & pristinam libertatem amiserit. Causáq; item odiorum in Gallos Insubrum, ex multa Lotrechij superbia, crudelitateque Lescuti fratris concepta, referuntur. Lescutus, dum exules auidus persequitur, cum ala equitum ad Regij portam delatus, prior Pontifici bellum infert, Guiciardino vix tuente vrbem. Ob id iratus Pontifex arma expedit delectúsque imperator Prosper Columna cum Piscario atque Antonio Leua, ad oppugnandam Parmam mittitur. Sed dimidia eius vrbis parte capta, reliqua pars, quæ est cis amnem, à Gallis impigrè defenditur. Lotrechio verò cum magnis suis Venetorúmque auxilijs appropinquante, Prosper ne cum duplici hoste dimicare cogeretur, ad Niceam amnem castra reduxit. Cuius irriti conatus fama permotus Leo, Iulium Medicem Cardinalem patruelem suum è Florentia in castra contendere iubet. Is allata ingenti pecunia, perterritis & ferè langventis exercitus vires instaurat, & ducibus animos restituit, ac mox aliâ ratione gerendum bellum ratus, traiecto Pado atque inde Oglio, ad Abduam pernenit, quòd erat auctus Heluetiorum nouis copijs, quas Sedunensis Cardinalis adduxerat, nusquam

Gallo acie consligere ausō. Per hunc modum Lotrechius, quum hostes ad Vaprium Vicum noctu scaphis Abduam transissent, tumultuariū ibi parum prosperè à Lescuto fratre conserta pugna, Mediolanum se recipit. Nec insequentibus hostibus defuit fortuna appropinquante nanq; Piscario Hispanorū cohortes occultum nactæ aditum intra munitionem irruperūt, apud quas Lotrechius inter suburbana tecta constiterat: tantusq; fuit tumultus, vt Gallicæ Vndiq; & Venetæ simul copiæ prope sine vulnere funderentur, caperetur autem Theodorus Triuultius inermis Venetorum imperator. Lotrechius tanto accepto detrimento, in Vrbem equitatum omnem introduxit, paululumq; moratus ad arcis aream, Comensi via in fugam se coniecit, nullo hostium persequente, qui ad mediam fermè noctem à Mediolanensibus Ticinensem portam aperientibus, cum magna gratulatione Victores exceperant. Lotrechius Vandenesio Palliæ fratre præsidio Comi imposito, cum vniuerso equitatu Leucum contendit, superatoq; ibi amne Abdua, in Cremonensem agrum deflexit, Cremonamq; nuper hosti deditā, priusquàm præsidio firmaretur, potitus est. Sed deinde nouis Bernensium, & Sedurorum, qui sunt Heluetij nominis legionibus cōfirmatus, Ticinū adortus, defendēte Federico Gonzaga principe Mantuano, expugnare non potuit, neq; obsessa circumuallataq; arci opem ferre valuit. Quoniam ibi M. Antonius Columna summæ virtutis dux tormento maiore à Proſperi patrui munitionibus emisso fuerat interfectus. Intra paucos verò dies, quum Lotrechius Vrbem Mediolanum, castris ad Sextum Vicum positis, esset iturus eiq; Prosper & Franciscus Sforcia, cum omni Insubrum multitudine, egressi Vrbe sese opposuissent, ad Biccoccam Vicum prælio certatū est, quo Gallis aduerso Albertus Petra Heluetiorum dux, legionibus suis sclopettorum procella obrutis, cecidit. Ab ea victoria Prosper præeunte Piscario Laudem Pompeiā capit, & eodem mense cursuq; victoria, Pisleonem supra Abduam oppidum expugnat, & mox Cremonam recipit, Lescuto honesta pactione Vrbem dedente, & demum Alexandria, excedente Gallorum præsidio, in potestatem redacta est. Dum hæc feliciter à Prospero gererentur, inexpectata mors Leonem ætatis atque temperaturæ robusto vigore florentem oppressit, paucis postquàm de Mediolanensi victoria nuncium accepisset, attroci proculdubio toxici violentia abreptus. In eius locum suffectus Hadrianus Sextus, mira & certè pudenda, si Italiæ decus respiceretur, Senatorum factiosorum suffragatione, quum festinatis

comitijs hominem apud Batauos extremi Oceani natum, & tum in Hispania agentem, virtutis nomine, cunctis senatorij ordinis prætulissent.

VIGESIMI PRIMI LIBRI.

GALLI per interregnum comitialesq; occupationes, rati se Parmam facile recepturos, è Cremona aduolant, & à triplici loco tribus uno tempore editis prælijs, scalis murum transcendere conantur. Sed insigni Guicciardini præsidis studio, & summa Parmensium alacritate, quum Salomon Siculus, & Petrus Baccionius Ligur cohortium præfecti acerrimè propugnarent, hostes repelluntur: pariq; Fortuna in Placentinum effusi agrum, & terrorem Placentiæ inferentes à Pontificio equitum præsidio sustinentur. Sequenti anno, quòd Genuenses Gallicum nomen Octauiani Fregosio duce tuerentur, Cæsariani diuersis, impetrantibus Adurnijs exulibus, vt reducerentur, ad Genuam castra faciunt: huic Prosper cum Germanis, illinc Piscarius cum Hispanis. Sed Piscarius ab eo loco qui Faba Græca vocatur, tormentis murum aperit, impetúque facto, pulsis defensoribus, vrbe potitur, & demum victor vrbem percurrit, nullo negotio prætorium capit. Venère in potestatem ipse Octauianus Fregosius, & Petrus Nauarrus, qui dudum appulerat, vt non temere timentium ciuium animos authoritate nominis sui confirmaret. Eo modo Piscarius vrbem multis diuitijs opulentam diripuit, priusquã Prosper ingrederetur, Fliscis autem Othobonus ac Sinibaldus peculiares Fregosiorum hostes, propter fratris eorum cædem, probè vindictam exercuerunt, & Antoniotus, & Hieronymus Adurnij postquam decem annos exulassent, in vrbe principes constituti sunt, à quibus non multò post Castelleti arx quæ à Gallis defendebatur, maioribus tormentis expugnata est. Eadem æstate qua tanta vrbs capta direptáque fuerat, Hadrianus pontifex magnis precibus populi Romani, & cohortatione senatus ad vrbem euocatus, Genuam applicuit, nulla ciuium recentem cladem suam lugentium lætitia exceptus, indéque Liburnum nauigauit, vbi à Iulio Medice cardinale, legatísque Florentinorum, & aliquot Etruscis cardinalibus expectabatur. Paucis inde horis cardinales sequi iussit, & felici nauigatione Romam deuectus est. Per id tempus Rhodus à Solymano qui in insulam cum ducentis armatorum millibus trauerat, oppugnabatur. Eam verò consilij ingentis & perdifficilis belli occasionem auda-

ter susceperat Barbarus, quòd Christianos reges intestinis occupatos bellis didicerat. Cupiebat Hadrianus ferre opem, sed pecuniæ inopia, quo minus officio satisfaceret, retardabatur. Nam quas ab Hispania aduexerat peditum copias, factiosorum quorundam hortatu, non Rhodum, sed in Galliam Cisalpinam, quæ Cæsaris opes confirmarent, mittendas censuerat. Atque ita Rhodus quintum post mensem, admirandis operibus & cuniculis, ad deditionem compulsa est, Philippo Liladamo militiæ magistro, desperatis auxilijs ad Solymanum egresso. & certa pactione Vrbem, atque insulam dedente. Idq; tantum Vulnus Christianæ reipublicæ illatũ est, insanientibus aut oscitantibus nostris regibus, apud quos priuatæ spes augendi imperij totum Christianæ pietatis decus extinxerant. Hadrianus Romanæ aulæ rudis, & rerum Italicarum imperitus, serò detrimentum intellexit, exortaq; est in Vrbe pestilentiæ lues, quæ quum seueris legibus more nostro Pontifici minimè coherceda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, vt multa funera in compitis viserentur, appareretq; Vastari Vrbem haud multo dierum spatio, nisi Graculus quidam nomine Demetrius Spartanus, sedandæ pestilentiæ, fauente ei turba hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionem vetare auso. Nam se-

rum taurum, cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato repentè ita mansuefactum reddiderat, vt inciso tenui filo ad integrum cornu, quò vellet perducens, pestilentiæ placãdo numini ad Amphitheatrum immolasset. Nec credula multitudinis spem ex toto fefellit, cum ab ea inanis sacrificij prospera litatione, mitescere morbus cœpisset. Nec multò post euocato ad Vrbem Iulio Medice cardinale, Franciscum Soderinum cardinalẽ custodiæ tradit, quod maligni eius animi & aduersi in Cæsarem studij indices literas intercepisset. Nam Soderinus cõtra Iulium, vt Florentia pelleretur, copias in Etruriam miserat, Rentio Cerite duce, percussoribusq; item in Iulij cædem præparatis. Sed detecta coniuratione, nonnulli ciues Florentini, concepti facinoris capite pœnas dederant: alij Iulio conniuente profugerant. Rentius què exercitum Senas perduxerat, vt inde Florentia peteretur, inopia commeatus, & terrore Heluetij præsidij, qui Iulio aderat adductus fœdum consilij sui exitum tulit. Vel ob id etiam, quod Feltrium Vrbinatem, Malatestámque Baleonum, hic è Perusia, ille Vrbino, contractis viribus ad vindicandas iniurias, secum bellum Iulio illaturos credidisset. Paucos verò post menses quàm Soderinus

custodiæ traditus est, Hadrianus fato concessit, cui protractis aliquandiu comitijs conspiratione iuniorum, Iulius Medices, desumpto Clementis nomine subrogatus est: qui ad tuendam nouæ dignitatis personam, egregiè se medium inter Cæsarem & Franciscum regem præstare videbatur.

Vigesimi secundi Libri.

MORIENTE Hadriano, Gulielmus Gofferius appellatus Amiras, in Italiam descendit cum quadraginta peditum, & decem equitum Gallorum millibus, & pulso ad Ticinum amnem Cæsarianorum exercitu, positus ad Mediolanum castris, urbem obsidere constituit. Ineunte anno Prosper Columna moritur: eiq; imperio copiarum succedunt Carolus Lannoius Belga & Piscarius. Insubres pro Francisco Sfortia, egregiè Gallorum vim, & belli detrimenta sustinent. Gofferius multa nunc calo importunè delapsa, à conspectu urbis discedere cogitur. Cum parte copiarum Baiardum ad oppugnandam Cremonā mittit, irrito eius incepto. Veneti copias suas, & ducem Feltrium Vrbinatem ex lege fœderis Sfortiæ qui opem ferant, mittunt. Quibus iunctis exercitibus, Galli

Galli aliquot in locis per partes opprimuntur: nusquam iusto prælio contenditur. Cæsariani ponte Ticinum iungunt, Gofferius idem facere cogitur, ne quæ in tergo erant oppida ad Novariam inuadenda hostibus relinquat. Interim Ioannes Medices cum Sfortianis copijs Mediolanensium iuuentute auctus, Abiatum tormentis expugnat. Nec multò post Ticinum transgressus, coniunctusq; Feltrio, Garlascum oppidum aggreditur, & quanquam præalta esset in fossis aqua, vel cum interitu multorū id expugnat. Exinde Gofferius tot acceptis detrimentis, quum se reciperet, ad Sesithem amnem tumultuaria pugna, graui ictus vulnere funditur, biduoq; post, dum tormenta defendere per Baiardum fortissimum ducem, atque hostes acriter incumbentes substinere conatur, Baiardo cadente, exuitur tormentis, & cum multa cæde Heluetiorū terga tuentium, in fugam conijcitur, mirumq; videri potuit, tantas Galloram copias, validis Heluetiorum subsidijs firmatas, à Cæsarianis & Venetis sustineri, atque deleri potuisse. Aderat Cæsarianis Carolus Borbonius, qui paulò ante à studio sui regis malignè discedens, & sese priuato quodam Cæsari fœdere coniungens, prodendi regis sui, impugnandæq; patriæ consilia agitarat, quibus detectis è Gallia in Sequa-

nos profugerat, declaratusq; patriæ hostis, Cæsaris operam nauabat, ita vt inuadendæ Galliæ consilium susciperet, Hispanis auidè se sequutures profitentibus, quòd in Prouinciam opulentam regionem, vbi non defutura amicorum studia, auersa penitus a rege, & proceres quosdam ad rebellandum paratos se inuenturum iactabat. Lanoius quanquam id minimè probaret permisit, vt Piscarius cum Hispanorum, Germanorumq; cohortibus in Prouinciam penetraret. Sed Piscarius Massilia mœnibus frustra hærens, quòd validissimo Gallorum præsidio teneretur, retrocedere coactus est, quum nemo Gallorum ad authoritatem Borbonij nominis se conferret, & regiæ copiæ appropinquarent, & Borbonius cuncta opinione sua sibi infestiora, Gallo verò fideliora reperiret. Quapropter reuersus per maritimas Ligusticasq; Alpes cum copijs asperitate itinerum defessis, & his sæpe, vt sunt viri dicaces, Borbonio consilij leuitatem exprobrantibus. Eo autem tempore rex Franciscus, valido conflato exercitu, vt Prouinciam tueretur, postquàm re infecta hostes Prouinciæ finibus excesserant, consilium flexit ad occasionem repetendæ Italiæ, miráque celeritate Pœninis & Cottijs Alpibus, in Taurinos descendit, progressusq; secundo cursu, ita Mediolano potitus

titus est, vt Piscarius cum Hispanis Laudem Pompeiam se reciperet, & Antonius Leua cum Germanis defendendi Ticini munus susciperet. Atque ita Veneti, & Clemens eius belli commutationem nequaquam egerrimè tulerunt, quòd inuadendæ Prouinciæ, & lacessendi Galli regis consilium tam immoditum, quàm temeritati proximum improbassent, ob idque Cæsariani exulis consilio innixi, belli quàm pacis autdiores apparuissent. Rex Mediolano potitus, consilij anceps, Laudem Pompeiam ne, ad opprimendos Hispanos, an Ticinum debellandis Germanis aggrederetur, inauspicata belli ratione Ticinum prætulit, vbi nulla memorabili earum rerum, quæ tentasset, prosperè confecta, quartum tam circumsedens, & hærens mensem, didicit is primò, & mox reliquis senescentibus viribus, quòd noua Cæsarianis auxilia, adducente Borbonio, superuenissent, prælio decertare coactus est, quo regijs aduerso, nobilissimi quique Gallorum ducum & procerum, interfecti sunt: & rex ipse nauiter dimicando, saucitatus, prolabente mox equo, captus est, eo præsertim effusius, Hispanis & Germanis parta victoria lætantibus, quòd ipso Caroli Cæsaris natali die secundissimo

euentu

euentu dimicassent, sic vt de eiiciendo Francisco Sfortia cogitarent, & totius Italiæ immodicis animis imperium affectare dicerentur: Quando inusitato rerum successu elati, nequaquam alieno commodo, sed suo bellum fortiter gessisse videri vellent.

Vigesimi tertij Libri.

FRANCISCVS ineunte æstate à Genua in Hispaniam perducitur à Carolo Lanoio, què ægro eius animo futuræ Cæsaris clementiæ spem iniecerat. Sed Cæsar multis de causis eũ nequaquam videre sustinuit. Qua offensione rex sua spe deceptus, in grauem incidit morbum, ita vt infortunij sui miserias morte finiturus videretur: nisi Cæsar perhumano colloquio afflictum consolatus, eum se maturè dimissurum promisisset. Nec multò post certo inito fœdere, Cæsar ei sororem in matrimonio collocauit. Ea Emanuelis Lusitaniæ regis vxor fuerat, & è tribus regis liberis, maiores natu duos pater obsides tradidit, & in Aquitaniã abire permissus est. Ex eo fœdere ingens, & atrox apud Principes orta est suspicio, quòd inter se Franciscus & Cæsar, in perniciem quorundam coniurare dicerentur, sic vt ad regem libertatem restitutum, vndique legati gratulatum mitterentur & Clemens & Veneti adiuncto Britanniæ rege, ad mutuam securitatem noua fœdera percuterent. Quibus paratis vndique copijs Cæsari totius Italiæ imperium affectanti obuiã iretur. Nam quod iniquissimum fuisse iudicabant, Antonius Leua atque Piscarius imperium Mediolanense Francisco Sfortiæ inuidentes, eum tanquam defectionis a Cæsare consilia agitantem, reum fecerant, grauissimoq; laborantem morbo in arce obsederant, & aliquot vrbibus ereptis hostem declararant. Ea calumniæ vis cum summa malignitate Sfortiæ illatæ, Venetos & Pontificem mirum in modum pupugit vsque adeò vt consternati animis arma pararent, & Cæsarianos impotenter atq; superbè fœderis fidem fallentes, atq; impudenter sociorum existimationem contemnentes armis persequendos arbitrarentur: & Piscario interim morte subrepto, ad Mediolanum arma proferrent, vt Sfortiam obsidionis, & vitæ periculo implicitum, matura ope allata liberarent. Sed tanta fuit Antonij, Alfonsiq; Vastij, qui Piscarij patruelis erat frater, militaris constantia, vt non modò oppugnantium hostium vim sustinerent, sed Mediolanensibus metu cædis subactis, Sfortiam extremam perpessum inediam, ad deditionem

tionem compellerent. Eo modo Sforti ad Cremonam calamitatis suæ iniquam sortem lugente, noua Germanorum auxilia Georgio Franispergo duce in Mantuanum agrum descenderunt & Vgo Moncata cum Pompeio Columna cardinale, Pontificem inducijs, quas dolosè concesserãt, ineptè confisum deceptumq; repentina in vrbem irruptione penè oppresserunt, ita vt directo Vaticano, & templo maximo fœdè profanato, perterritus Pontifex in arcem elaberetur, & Cæsarianis, quòd nullus esset in arce commeatus, triduo eum in potestatem redacturi crederentur, nisi Vgo Moncata, tanti admissi sceleris pertæsus, vel cõtradicente Pompeio, & in extremam Clementis perniciem proclinato, obsidibus acceptis, in arcem venisset, & certis conditionibus pacem cum Pontifice confecisset. Isdem diebus quibus Cæsar, & Pontifex infestis armis inter se decertabant, Solymanus in occasionem semper intentus, qua regni fines proferre, & Christianis maximè nocere posset, Pannoniæ bellũ intulit, quòd regem iuuenem non suo iure, sed præcario propè turbidissima gẽti, nec iusto consensu vnquam parenti dominantem, & bellicis artibus propter ætatem nequaquam satis instructum, facile opprimere se posse confidebat, vel ob id præsertim, quòd neque Pannonici regni neque

neque regis ipsius salutem proximis Germanis, neque ipsis consanguineis regibus, Cæsari, Ferdinandoq;, & Sigismundo Poloniæ regi, curæ futuram arbitraretur: Quando neque Germani per se segnes in aliena causa, neque Austriæ domies reges Italico occupati bello, neque Polonus, ne veteres inducias temere abrũperet, vt se commouerent, adduci posse videretur. Ludouicus rex ingenio per se imbecilli, neque salubri ratione confirmato, inexpectata aduentantis tanti hostis fama perculsus, missis vndique legatis frustra opem implorat. Hungarorum tamen concilium indicit, id est, arma tamultitudinis, & Rhacos appellatur. In eo sacrati antistites de more stipendiarij, quæ debebant in publico periculo semiplenas equitum alas, & minorem quam oporteret pecuniam in belli sumptum expediunt. Profani verò iuris proceres totaque nobilitas, vt potè qui veteris disciplinæ obliti, nunquam Othomannorum regum castra viderant, sed minutis tantum prælijs per incursiones pugnare consuessent, ab innata superbis eorum animis arrogantia, Turcas ita contemnebant, vt se, vel exiguo numero, ingentia Barbarorum agmina, confertis manibus insolenter concisuros, & deleturos iactarent. Sed vnus maximè cucullati ordinis Paulus Tomerasa archiepiscopus Collocensis, aliquando

in excursione, subitario prælio cũ Turcis dimicare solitus, tanta animi ferocia, tanta ſperatæ victoriæ fiducia ſtolidè pugnax efferebatur, vt ſacras ad multitudinem militum haberet conciones, & ante alios proceres, ſtudio religionis inflammatus, in aduerſam Barbarorum aciem infeſta haſta ſe impetum facturum polliceretur. Paulò ante ex Pontificia pecunia, Germanorum & Bohemorum cohortes conſcripſerant, quarum præſidio ſtabiliri aciem equitum, & ſuſtineri Barbarorũ vim poſſe putabant. Neque enim accuratè recenſendo, peditum ſimul & equitum copia, viginti quinque millium ſummam efficiebant, ſic vt ab omnibus peritis, ea Tomoræi audacia, & reliquorum pugnam poſcentium temeritas magnoperè damnaretur, quando veteres milites miſerrimum eſſe dicerent, cum eo hoſte confligere, quũ octuplo ampliores copias in acie eſſet producturus. Propterea aliquã ſubmouendum imminenti periculo regem iuuenem inducabant, fruſtra conſulente Stephano Verbetio vt regis adoleſcentis perſona ad publicam ſalutem, extra pugnæ diſcrimen in vtrumque belli euentum, Budana in arce ſeruaretur. Sed obſtrepebant efferi milites, nec ſe niſi rege duce pugnaturos dicebant. Tomoræus dicta ſententia peruicit, vt quàm primùm confligeretur, & rex generoſus ſuæ tutelæ

tutelæ dei maximi pugnæ ſignum daturus, hoſti obuiam ire pergeret. Itaque Secordi impetu infauſtóque conſilio, Ludouicus ad Nugacium vſque ſignũ promouit, quod eſt oppidulum medio fere itinere poſitum inter Budam atque Belgradum. Iam aduentabant prima Turcarum agmina, quum ſupremo concilio à præfectis & ducibus eſt diſputatum, an caſtra vallata curribus ad Danubij ripam eſſent tantiſper collocanda, donec auxilia Tranſyluanorum aduenirent, quæ à Ioanne Sepuſio prouinciæ præfecto, qui Vayuoda Hungariæ appellatur, iuſtis itineribus adduci ferebantur. Cæterùm Tomoræus cui nouo ſuperuenienti duci propter præfecturæ dignitatem parendum foret, vt imperij ius integrum ad ſpem victoriæ retineret, omnem moræ cauſam improbans, et in ſua fauta præceps ruens, ita ſanis conſilijs obſtitit, vt regem incautum & per iniquum pugnæ diſcrimen perduceret. Barbari nanque quaternas equitum acies præmiſerant, quæ diſtinctis inter ſe noctis atque diei ſpatijs, perpetuò luceſſentes regijs caſtris circumueherentur: Quo perſultante equitatu, vſque adeò arctè regia caſtra obſeſſa ſunt, vt nemo lignatum aut pabulatum exire, aut in proximam Danubij ripam potandis equis progredi auderet, niſi magno periculo & iniqua conditione propter Barbarorum multitudinem certaretur. Qua neceſſita

cessitate impulsus Tomoraus, instruere aciem, & pro antiquo decore, inuictæ antea gentis, dignitateque regij nominis, prælio confligere coactus est. Acies forma ferè simplex fuit: protersis scilicet peditum cohortibus in oblongam seriem, ac intermixto idoneis in spatijs equitatu, ne Barbari numero superantes, vniuersam circumuenirent aciem. & Hungari pene in orbem pugnare cogerentur. Castra catenatis vallata curribus, leui præsidio impositio, ad dextram relinquebantur quibus non absurdo consilio Tomoraus alam vnam lectissimorum equitum, vallum propè contingentem apposuerat, vt ad incerta belli rex eius firmo atq; expedito præsidio protegeretur. Sed Hungarico nomini infaustus is dies, regijq; maximè inauspicatus postremam eam seri consilij rationem euertit. Num primo congressu concurrentes acies nostræ, tametsi nihil eis Barbarorum tormenta altius librata nocerent, nullo tamen negotio pulsæ protritæq; sunt, cadente præsertim Tomoræo, & reliquis ad vnum ferè præceribus interfectis, & Vsaronibus, qui sunt Hungarorum lauis armaturæ equites, dissipatis, & in fugam versis, totoq; pariter equitatu fœdè concisio. In tanta rerum asperitate cum Barbarorum globus ad diripienda castra conuolasset & ægrè à præsidio defenderentur ea, quam diximus lectissimorum equitum ala, quæ regi præsidio esse debuerat, continere nequijt, quin opem castris asserens, in Turcas oppugnantes deferretur. Eodémque semihora momento, Ludouicus rex prostratis vndique copijs nudatus eo quod sperarat, paraueratq; præsidio sese eripiens, in proximam paludem, vrgente se equo, sex equipalmis aquæ lutulento ingurgite suffocatus interijt. Ita tamen, vt eum locum Cetriscus armiger eius et cubicularius, genere Bohemus, notaret, & effugeret, & post multos dies, decedentibus hostibus, integrum regis cadauer Cetrisci indicio reperiretur, & regio funere tumulandum ad Album regalem deferretur. Ab ea victoria, Solymannus non obscura admiratione ducius, risisse fertur, quòd Hungari tanta essent animorum temeritate, tantaq; insania regis consiliarij essent occupati, vt alienis viribus stultissima ratione æstimatis ipsorum copias quæ essent exiguæ, tanto exercitui obijcere, quam regredi maluissent. Potitus Buda, inuisaque arce, quàm mirificè laudabat, nihil plus ad victoriæ suæ monumentum sustulit, quàm aeneas statuas tres ingentes, quæ Matthiæ bello paceq; inclyti regis fuerant. Eæ Byzantij in Hippodromo collocatæ hodie visuntur.

Vigesimi quarti Libri.

CLemens, quòd eius fama fœdè apud populum proscindcretur, nec ideo tantæ iniuriæ contumeliam animo sustineret quoniam improuidè malignis hostibus credens, confidensq; dolosis inducijs, vt imperitus rerum, tantam cum publicæ tum priuatæ existimationis, tum Vaticanæ supellectilis quæ erat opulentæ iacturam fecisset, abrupto tanquam indecoro fœdere, & stretis obsidibus, bellum Cæsarianis inferendum censet. Pompeium Columnam à senatu amouet, & tanquam sacrilegum hostem aqua, & igni interdicit, accersitoq; à Gallia Valdemontio Lotharingiæ regulli fratre, quòd esset stirpis Andegauensium regum, qui superiore seculo Neapoli regnassent, terra marique Neapolitanis bellum infert. Magnus terror Campaniæ infertur, capitur Salernum, Valdemontius ad Neapolis portas compulso intra vrbem Moncata, se ostentat, & in Latio Columniæ familiæ oppida à Pontificijs militibus, crudeli incendio passim excitato deformantur. Per eos dies Carolus Lannoius cum classe, sublatis Germanorum veteranis cohortibus, & Hispanorum satis valida tyronum manu in Italiam trajicit. Iter Corsicam & Iluam insulas, Hispanica classis medio in pelago, à tribus triremium classibus tormentis

mentis oppugnatur. Duces erant Andreas Auria, Petrus Nauarrus, & Paul. Iustinianus Venetus. Sed aliquot nauibus magno impetu pilarum incidentium perforatis, & vna atque altera demersis, Lanoius è summo discrimine, obortæ tempestatis beneficio, se eripuit proiectusq; rapido vento in Stephanium Etruriæ portum, quò à est in Occidentali Argentarij promontorij latere, se intuit, atque inde circa Campaniæ litora milites exposuit. Eius aduentu Pompeius Columna cum Vespasiano atque Ascanio Columnijs proceribus conflato exercitu ad oppugnandum Frusinonem in Hernicos pergunt. Sed mœnia tumultuarijs aggeribus permunita, fortissimorum militum manu defenduntur, qui erant ex cohortibus veteranis, quas Ioannes Medices Insubribus Pontifici præsidio miserat. Nec multò post, quòd salus earum cohortium, & Hernicorum omnium cordi esset, iusto cum exercitu Rentius Ceres et Vitellius Tiphernas instructa acie superuenerunt, à quibus soluta est obsidio, fusis et coniectis in fugam Cæsarianis, & his ægrè tormenta seruantibus. Exinde à quibusdam tota ea contentio ad falsam spem concordiæ reuocata est, quòd Pontifex pecuniæ pressus inopia, et magnis vndique Cæsarianorum copijs circumuentus, nequaquam diu belli sumptum sustinere posse videretur. Peropportunè ad eam

rem, conficiendam ab Hispania in Vrbem venit Cæsar Feramusca Campanus, Cæsaris literas afferens, humanitatis, & equitatis, & quod intererat ad flectendum Pontificem, religiosæ excusationis plenissimas. Atque ita iterum Clemens adueniente in Vrbem, obsidibus ei datis, Carolo Lanoio, in quo summa tum erat belli & pacis authoritas, Cæsari conciliatur. Fœdus Reipublicæ dirum percutitur, ea conditione, vt Lanoius in Etruriam iret, Borbonium auerteret, qui cum Germanis & Hispanis auctus vndique factiosorum & perditorum hominum copijs, ad diripiendam Romam contendere ferebatur. Borbonius enim in spem diripiendæ opulentissimæ Vrbis animos sustulerat, quòd Germani paulò ante ad Mincium hostium copias, Feltrio duce, se transitu prohibere conantes submouissent, quum fortuito tormenti ictu Ioannes Medices cecidisset: cuius fortissimi ducis impetum, extraordinarijs prælijs, grauia incedentium agmina carpentem sternentémque, ægrè sustinuerant. Nec multùm insequentium, Feltrij & Salassi, qui Venetas & Gallicas ductabant copias, sibi pertimescendam putabant. Itaque Borbonio Appenninum Aretinis iugis superanti, Lanoius occurrit. Sed abnuentium pacem militum clamoribus, dirempto colloquio, Borbonius proposito itineri ita institit, vt Pontificem

tificem, dimissis importunè copijs, inermem nudatum ęq; præsidio, vna celeritate facilè se opprimere posse speraret. Fuit fortuna facinorosis consilijs atque impia fraudi, vti tamprideni infesta Vrbi atque Pontifici: Intentissimo nanque cursu totius exercitus, Borbonius ad Vrbem peruenit, commeatus egens, & tormentorum expers pridie Nonas Maij, statimque scalis appositis Clemente exterrito, neque vllum fugæ consilium explicante, ad eum locum, qui est contra obeliscum, humilia Leonina Vrbis mœnia superantur, frustraq; ineptis armis, et trepidis animis obsistente Vrbana multitudine, Hispani atque Germani intrant, infimiam propè hominum frustra abiectis armis, vitam petentium, multitudinem crudelissimè trucidant, sacrosanctum, & toto orbe venerabile templum, direptis ornamentis multo cruore ad singula altaria fuso, immaniter fœdant, atque omnia sacrata vasa diripiunt, elapso ęq; in arcem Pontifice, Vrbem semihora transcensis inter Aurelium & Septimianam portam vetustate collapsis mœnibus, irrumpunt, in eaq; cuncta auaritia & immanitatis exempla, in miseros ciues edunt, arcem circumsident, & perductis fossis circumuallant, ne vsquam Pontifici effugium pateat. Animus horret eas referre Barbarici cruciatus miserias, quas pertulit infelix populus, olim

gentium omnium victor. Hæc enim sine multis lachrymis, neque referri, neque audiri possunt, ita vt sacrosancta ciuitas Deos penitus auersos à salute sua existimare potuerit, nisi Dij tutelares vrbis quanquam ad inane solatium, præclaro suo vltore numine, perfidiosi atque immanissimi latronis hostiam, in ipso capta vrbis limine mactauissent. Cecidit namque Borbonius, dum scalam funesta manu mœnibus admouet, per inguen dextri femoris glande traiectus, ne dira victoria sua compos, tanto sacrilegio latare-

tur.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXV.

AD FAMAM, vsque adeò miserabili, inexpectatoque euentu, captæ vrbis ac obsessi in arce sacrosancti Pontificis, vni omnium in Italia Florentini effusè lætari videbãtur, quòd diu exoptatam repetendæ libertatis occasionem, sibi ex tuto oblatam perspicerent, quam dudum ennuatis in Mediceos veteribus odijs, intempestiuè arripere tentauissent. Paulò enim antequàm Borbonius Aretinas superaret alpes, & sese alienum ostenderet ab omni pacis conditione repulso scilicet Carolo Lanoio, qui per ampla de compositione mandata detulisset: Florentinæ iuuentutis globus, paratissimis ad rebellandum animis, arma ceperat, factóque impetu prætorium occuparat. Eius audendi facinoris princeps fuit Petrus Saluiatus,

c 5 multis

multis propinquitatibus atque diuitijs potent. Huic nemo seniorum restiterat, quum grauissimi ciuium eius facti consiliique gnari essent, vt pote qui dissimulando & connuendo, auidè, verùm suspensis animis, tanta rei euentum expectare cernerentur. Erat in summo magistratu vexillifer, Aloysius Guicciardinus, multis quidem beneficijs Mediceo nomini obstrictus: sed apud eum hominem incerta fides, ab antiquo malorum suorum studio libertatis auidum, cuncta facilè obliterarat praesens occasio admittendi maturandique facinoris: ea tamen simulati animi specie, reprehendere detestarique iuuentutis audaciam coperat, vt in re dubia atque anceps, magistratus fidem syncerúmque personæ munus tueretur: Quando nihil magis optare eum credibile esset, quam vt, pulsis Mediceis, ciuitas sese asseret in libertatem. In ea verborum contentione, iuuentus quæ iam planè rebellarat, curiáque potita, extremum decretum commutatæ Reipublicæ deposcebat, fremere atque crebrare gladios cœpit ad deterrendos decu[illegible]nes, è quibus, Federicus Riccius seuerè obiurgans, graniter caput vulneratus est à Iacobo Alamanno præferoci iuuene ac ipse vexillifer simulanter intentata sicu penè violatus: Quum etiam in conspectu eius Ioannem Franciscum, loci & honoris decus obsistendo tueri conantem, attractum ad fenestram à seditiosis, ipso præsertim Alamanno impellente, in forum præcipitem dare niterentur. Iam in aream curiæ, singularum regionum signiferi, sublatis vexillis de more, contribules suos adduxerant, & patricij ordinis magna multitudo ad magistratus ascenderat. Nemo enim ferè fuit vel ex ipsis amicissimis Mediceo nomini ciuibus qui nō properanter ascenderet, atq; pulcherrimi eius facti lætitia copleretur, sic vt postea compertum est, omnes in vnum conspirasse, & defecisse existimari possent. Nam constabat signiferos regionum a vexillifero pridie admonitos fuisse, vt parati instructiq; armis quum res posceret, exortiq; tumultus strepitum sentirent, ad curiā progrederentur. Antonius quoq; Nerlius sacerdos factiosius in turrem curiæ, extortis à ianitore clauibus, ascendit, vt ad sonitū campani aeris populus ad arma vocaretur. His rebus decuriones exterriti, postulante iuuentute adhortantibus q; patricijs, decretū perscripserunt pronuntiandum q; ad populum publico præconi dederunt. Eo Medwei adolescentes, Hippolytus, & Alexander, Reipublicæ hostes declarati sunt, bonaq; eorum fisco addicta, & liberati nonnulli ciues qui in custodia seruabantur, quòd hostilem animum in Mediceos, quos appellarent tyrannos, ostendissent. In promulg

mulgando autem atrocissimi consilij decretu quod minimè prætermittendum videtur. Cesinus Saxetus podagricus nec insulsus senator, cultu resupino & ferè oscitanti, subitam voce interpellans præconem interrogauit, an ipse etiam Papa Clemens eadem qua gentiles eius, exilij & capitis pœna damnaretur, & id quū altiore voce probaq; nutu præconis par & æquum esse subderetur: Vos ergo inquit videritis ciues, qui nihil libera patria carius habere vultis, an vobis ab hac mox iniuria satis interdicti, familiari pane vestro satis pie vesci liceat. Quod falsè dictum, vniuersæ concioni risum commouit: quòd omnes adeò perficatæ essent frontis, vt inuerecundam præconis vocem ineptissimè imitarentur. Ab hac tanta perfidiosaq; decreti acerbitate quum optimates, qui aderant frequentes, de ordinanda Republica disputarēt, Franciscus Feltrius Vrbinas, Veneti dux exercitus, & Michael Salusius regulus, Federicusq; Gonzaga cognomento Bozzolus Gallorum duces vrbem intrarunt, quibus ad secundum lapidem dudum obuiam ierant honoris causa. Sylvius Passerinus cardinalis legatus, ipsiq; duo pariter cardinales, Innocentius Cibous, & Nicolaus Ridulphus à Leone auunculo in senatum lecti. Cum his etiam aderat Hippolytus Medices adolescens, qui omnes inopinata ciuium

ciuium rebellione perturbati, in vrbem regredi maturarunt, primusq; omnium Petrus Honofrius Montedolius Medicearum cohortium præfectus in forum aduolat, omnique aditu regionum occupato inuasis disiectisque popularium manipulis, prætorium expugnare parat. Ipsi, quos diximus duces, citatis equis superuenerunt, certaturq; missilibus ab obsessis atque obsidentibus, in magnumq; metum atque periculum imperiti homines, & ineptis instructi armis vndique conijciuntur. Erat curia plena patritijs, atque ea iuuentute, quæ primæ perfidiæ vocem sustulerat, decretumq; arrepta libertatis in Mediceos ad plebem promulgari iusserat. Quibus omnibus quum iusta ad defensionem arma deessent, neque vllus esset in curia commeatus, ex conscientia admissi sceleris, extrema supplicia metuebant. Nam Honofrius eo studio ferebatur, vt curiæ fores incenderet, & tormenta proferret, quibus curia quateretur. Iam enim introductis in vrbem maioribus copijs, pauidos seniorum imbelliumque ciuium animos, præproperæ temeritatis, & meritæ pœnæ metus inuaserat, tanta trepidatione, vt nonnulli inusitato egressu dilabi festinarent consilij q; inopes, & maturæ opis indigi, prorsusq; ad vnum semianimes, admirabilem commutati ingenij perturbationem gestu incondito, & demissis

demissis pudendisq; verbis ostenderent, dolerentq; planè singuli vicem suam, quòd nimis celeriter, & inconsultè, nequaquam animadverso periculo, nondum maturæ libertatis munus expetissēt. In nullū quippe eo grauius aut periculosius salutis discrimē Rempub. incidisse, ab vlla annalium memoria meminerant viri prudentes, præsentium & imminentium rerū casus expendere soliti, quam atrocissimā externarum gentium colluuiem, incendia, & clades passim offerentē, in ceruicibus esse inter Senas & Aretium, alterum porro socialem exercitum, quē vt Borbonio obsisteret, à Magellano Apennini latere, euastatis militari licentia amœnissimis prædijs, in vrbem confluxisse conspicerent: Quandoquidem nihil hic potius, omisso vero hoste, qui ad excindendam Romam properabat, quàm diripienda opulentissimæ vrbis prædam spectare videretur, vt præsentis rebellionis admissū facinus vindicaret. Sed tanta extitit in Syluio legato adolescentēq; Hippolyto, & Medicea familia propinquis ciuibus clementia, tantumque in Feltrio cæterisq; ducibus æquitatis & tranquillitatis studium, vt pro conseruanda salute ciuitatis seditiosis atque rebellibus, modò se dederent, integra fide parcendum censerent. Atque ita, quum iam Medicei in non dubiam spem recuperandæ curiæ venissent, seretq; armatorum concursus ad eorum domos defendendas, & in aream curruliæ tormenta peruenirent, Federicus Bozzolus prodijt, pacatamq; dextram ostendens, cessantibus strinq; reis, ad curiæ portum accessit, admissesq; ad decuriones, ita loquutus est. Nisi pro dignitate salutemq; Italici nominis, principes Florentini, hæc arma gestarem, regi Galliæ operā nauans, quem huic ciuitati ab antiqua Caroli Magni conditoris vestri memoria, multisq; nec vnquā ferè intermissis in Galliam reges officijs, amicissimum esse scio, huc vtique nullo meo cōmodo impulsus ascendissem, quāquam ex benefactis officiosoq; hoc munere suscepto, non inanem fortasse laudem expetendam rear, modò à vobis non omnino intempestiues orator existimer, si hanc libertatē, quā honestè potius cōcupistis, quàm auspicatò tenere videmini, vobis iā planè obsessis & circumuentis, non dubio exitio futurā ostendero. dederoq; obiter consiliū, cum nobis, qui curiam tenetis tum vniuersæ ciuitati, omni ope quæ alicūde expectari possit, liquido certius atque præstātius. Acquissimas enim cōditiones certæ pacis atq; cōcordiæ vobis affero, quas nō insani homines sicuti vos hodie esse opto, minimè repudiēt. Primū siquidem repentinumq; illius ardorē, quo hoc facinus cœptum patratūq; est, in animis vestris ita deferbuisse crediderim

ad com

ad conſpectū ſcilicet tot armatarū cohortium atq; illuſtrium ducū, qui Vos circunſident, & propius Vim admouere parant, Vt ea, quæ publicam ſalutem reſpiciunt, nequaquam egrè auribus Vos arbitrer admiſſuros. Vos nanque omnes integra fide ad Vnum incolumes, ſaluamq; Vrbem fore pollicemur. Quòd ſi rationis & neceſſitatis, quæ Vos vrget, obliuiſcimini, & amiciſſimè oblata repudiatis, proculdubio (quod abominari potius poſſim quàm auertere) hanc curiam veſtro ſanguine inundatam, patriamq; veſtram intromiſſo noſtro exercitu occupatam, licentia atque auaritiæ militum conceſſam, priuſquam Sol occidat, cum ſumma Vxorum & liberorum veſtrorum calamitate atque miſeria ſentietis. Vt hæc verò præſentire, & liberè proloqui audeam, multa me inducunt, & Vos Vti ſpero, etiam præclarè admonent, ſicuti huc aſcendens ab obuijs didici. Primum omnium, nihil hic pro negotij atque periculi magnitudine, Vti oporteret, accuratè paratum video, quum arma, tela, tormenta, & præſidia, denique, omnia Vobis deſint, & (quod horreſco referens) cuncta etiam Vitæ alimenta deficiant. Harum rerum inopia profectò, velſi cunctis ciuibus egregiè conſtans & ingens animus ſuperſit, indomitos certè ſpiritus celerrimè frangeret, ſi ſuperba atq; exitiali contumacia, furto quodam

quodem arreptam libertatem, poſtquàm fata obſtant, ferocibus tantùm verbis retinere conemini. Hinc ſiquidem, nihil Vobis pro ſalute ſperandum eſt, quam aduerſa Vndiq;, atque aſpera Vobis imminent. Illinc verò, benignitate magni numinis pax certa, & publica omnium ſecuritas comparetur. Hæc clariſſimi atq; certiſſimi Vades repromittunt, ipſe ante alios Feltrius imperator, duoq; ſummæ authoritatis Veneti Senatus legati, & nos deniq; regiarum copiarum duces, qui Barbaros, Italiæ vaſtitatem, & Clementi ſacrorum principi immane ſupplicium minitantes, gloriosè perſequi, quam infami Etruſca præda diteſcere malumus. Non me præterit Viri Florentini, aliquanto audacius quæri quàm defendi libertatē, ab his præſertim hominibus qui Vitæ fortunarumq; ſuarum certam ſalutem dubijs belli caſibus anteponūt, nec aliunde quàm ab incolumi patria, cuncta Vitæ cōmoda atque ornamenta expectant. Proinde Vos hortor, fortaſſe propenſius quàm deceat Virū militarem, Vt iuuentuti noxam totius hodiernī impetus remittere velitis modò ipſa vehementem illum, quo non dubiam gloriam appetiſſe viſa eſt, immodici ardoris ſtudium remittat. Præclarè enim video iunioribus ſecus ac ætate prouectis, quàm odioſum ſit pacificatoris nomen: & quàm deniq; ingratum ad

que importunum militibus nostris, ac ipsis fortasse Medicæis, in ipso præsertim speratæ victoriæ limine, sit futurum, quando illis sua sperate prædæ fraudentur. hi verò quosdam fortasse vestri ordines Vlciscì tanquam ingratos atq; aquo acerbius rebellantes, quàm ingratiam recipere malint. Vos itaq; in vestigio, & deliberare, & decernere oportet, an beneficio nostro potius, quàm occulto aliquo munere Fortunæ, quæ iam vos deserit, vti velitis. Nos certè, si vobis hac in re Dij immortales mentem non eripient, decreta pacis religiosa fide sanciemus, atque armis: si ita opus fuerit, pro dignitate nostri nominis, salutemq; vestra, obnixè tuebimur. Ad ea vexillifer Guicciardinus, ita perplexo titubantiq; sermone respondit, vt fidelis ac opportuni consilij & usquadeò propensæ voluntatis erga ciuitatem, Federico gratias agere potius, quàm quid esset in causa probaturus, ostendere videretur. Primores autem patritij, in queis eminebant Franciscus Victorius, & Nicolaus Caponius, vti probos veteresq; senatores, & rerum agendè peritos decebat, peroranti, ex ipsa aræ complexus, & pacati vultus significatione prorsus assentiri, multoq; maximam primorum ordinum partem, eius consilia qua tam amicè quàm humaniter dedisset, dubio procul amplexuram confirmare, ad id fremente iuuentute

uentute, & his superbè atq; indignanter succensente tanquam parum fortibus, & iampridem longo & præpingui seruitio assuetis: Quandoquidem aliena virtute, alieno q; periculo partam libertatem, & vltro etiam inculcatam admittere tuerique nescirent. Multi quoque de salute potius soliciti, quàm de libertate, quæ iam conclamata videbatur, anxiè requirebant, an ex tuto, rectè q;, publica omnium salus Pontifici offensionum odia recondere solito, committi posset. Quibus vocibus excitatus, Federicus: Ne timete, inquit, viri Florentini, hac in re liquidem ego vnus me pro omnibus locupletissimum vadem, & sponsorem fore polliceor. An verò nos Pontifex, cui impijs circumuento armis, auxilium propere ferimus, vel impudenter, vel ingratè decipiet? vel denique seipsum omnino fallet qui non temere Clementis nomen desumpserit? Cuncta enim vobis facilè condonabit, vt augusta pietatis munus impleat, & sacrosanctæ existimationis iura tueatur. Itaq; Federicus è curia ad suos reuersus, qui renunciaret, quos animos in obsessis ipsisq; præsertim senioribus reperisset, nemo fuit qui non concordia studendum esse censeret, in id Syluio enixè proclinato, vt potè qui natura imbellis & degener, lentis q; consilijs stultæ grauitatis nomen aucupans, nequaquā parato & efficaci

ingenio, tantæ defectionis noxam, inconsulta Pontifice, vindicandam arbitraretur, & Vir sacratus ad pietatem percussi animi tui morem referens, à cruento consilio penitus abhorreret, nec Feltrius & reliqui duces, vllo omnino mora distineri vellent, quo minus festinanter Borbonium magnis confectis itineribus antecedentem persequerentur. Per hunc modum satagẽte cohortante q̃ Francisco Guicciardino, qui de Vexilliferi fratris propinquorumq̃ suorum salute solicitus, pacis conditiones dictauerat, prolatis tabulis, in proximam diui Michaelis Horreo tabernam concessit, facileq̃ obtinuit, vt his Feltrius, Veneti q̃ legati & cæteri duces subscriberent. Singularẽ enim his rerum difficultatibus explicandis, Guicciardinus authoritatem afferebat, vt potè qui Pontificijs copijs cum imperio præesset. Summa conditionum hæc fuit, vt obsessi in curia atq; item reliqui omnes, admissi sceleris veniam ferrent. Quia in re, Feltrius & legatus Syluius synceræ clementiæ fidem suã obligarent, obliuionemque eius inconsultæ rebellionis ab ipso Clemẽte Pontifice accuratis precibus impetrarent: Florentini verò ciues redirent ad officium, pristinæ q̃ fidei obsequium Medicei nomini præstarent, atq; ijsdem suffragijs reducto rescisso q̃ recentis malignitatis decreto, nouum fideleq; commutata probè voluntate,

tate, conficerent, excederent extemplò curia, & Rempublicã magistratibus administrandam relinquerent. Hæc mutuis assensibus transacta sunt, sexto Calendas Maias, sic, vt eodem die, qui Veneri dicatus erat, intra pauciss. horas, Clemens, & amissæ, & receptæ simul curiæ, pacatæq; ciuitatis nuncium acciperet. Nec multò post Guicciardinus Vexillifer, continuato cum octo viris decurionibus magistratu, Calendis Maijs de more successori insignia tradidit, priuatus q̃ abijt domũ. Creatus namque est in eius locum Antonius Franciscus Norius Medicearum partium studiosus, cuius pater ex Pactiana coniuratione cum Iuliano Medice in templo fuerat interfectus. Tum verò Feltrius priuati commodi, vel turbulento eo tempore, nihil oblitus, priusquàm sese, & copias ad iter expediret, à decurionibus impetrauit, vt inexpugnabile castellum sancti Lei, Vmbrico amissum bello, attributumque Florentinis, sibi redderetur. Actum quoque subinde est de renouando fœdere, in quo nuper Florentini ea lege fuerant adscripti, vt nullum certum munus bellici oneris ipsis imponeretur, niss ex arbitrio Clementis: Idcirco legati Veneti, Aloysius Pisanus, & Marcus Foscarus seuerè postulabant, vt quid præstare conferreque vellent in id bellum, diserte in tabulis

bulis exprimerent. Itaque adstipulantibus Octouiris, qui toti negotio belli & pacis cum summa authoritate præsunt, practicisq; ab ipsis vocantur, Florentini separatim à Pontifice, vbicunque in Italia gerendum bellum foret, socijs se daturos promiserunt cataphractos equites ducentos & quinquaginta, leuis autem armaturæ equites galeatos bis tot idem atque item integram delectorum peditum legionem, turauereque inuicem se nunquam separatim à socijs in amicitiam cum Cæsare cibusq; eius esse redituros. Huius ineundi fœderis eximiè astutus suasor Feltrius fuit, ex æquo in gratiam Venceti senatus, atque olim Clementis, vt postea apparuit. Nam ab hoc fœdere Florentini pacti cum Gallo Venetóque libertatem sibi eorum auspicijs incolumè futuram, ita Pontificem offenderunt, vt is suæ ipse repetendæ patriæ deiectus, oblitusq; summæ eius acceptæ iniuriæ, ad ipsum Cæsarem inspectata, & penè incredibili exulcerati animi conuersione se contulerit, vt ipso Cæsare in Italiam euocato, ingratorum ciuium perfidiam vindicaret. His confectis reliquis Feltrius eiecto exercitu, sed nequaquà ea celeritate, quæ opus esse videretur, in eo Romanæ vrbis discrimine, Romam est profectus, attonitæ adhuc ciuitate, quum nemo esset, qui reputatione præteriti periculi non magnopere terreretur, &

& ex futuri, & instantis solicitudine, metuendum esse non duceret. Quando quidem necesse esset, eorum animos perturbari, qui de belli euentu, propter externorum hostium vim singularem, atque inuicta adhuc robora Germanorũ dubitare cogerentur, & ex conscientia admissi facinoris, clementiæ Pontificis parum confiderent, & tum à Sylvio legato, non ipsius modo curia, platea, sed cuncta regionum compita, portæq; vrbis singulæ, & ipsa Medicea domus firmissimis præsidijs tenerentur. Cæterùm abeunte Feltrio, & cum omnibus copijs Romana via iter habente, simulatos Florentinorum vultus intueri admirarique licuit, quum vndique aut gratulandi, aut suã expurgandi causa, Mediceas domos confluerent, non sine risu multorum, qui eos dudum ineptè loricatos, instructosq; tumultuarijs & veteribus telis, minabundos & furentes vidissent. Tunc verò illi ijdem homines compositæ fronte, solitis inuoluti pallijs, protectiq; capita pendulis & ciuilibus integumentis, quæ ipsi Etrusci capuccia vocant, egregiè blandi & supplices spectabantur, vt potè qui vnius tantum noctis interuallo sicut in scena histrionibus accidit, diuersas è vestigio personas induissent. Ea enim est natura populi Florentini, vt nullis vel ingentibus beneficijs pacari, nullis vel extrema benignitatis obsequijs eos

obstringi posse constet. Veteris nanque potentiæ, quæ in libera ciuitate singulis ciuibus dispensati dominatus erat instar, obliuisci nescit neque eminentiam conspicui cuiusquam, vel etiam moderatissimi ciuis pati potest. Tanta siquidem ambitione, támque superbo liuore præditi sunt, vt cum quisque ad clauum gubernandæ Reipublicæ sedere, potiri quoquo modo communis patriæ imperio, & publicas opes priuato commodo complecti cupiat, ea inexplebili cupiditate ardeant omnes, & prorsus insaniant, quòd neminem tanquam ex æqui ciuem, vel opibus, vel dignitate superiorem ferre velint, & clariorem quoque virtutem, meliorémque fortunam in aliena domo nisi ægris oculis conspiciant, quando eadem ex pari merito sibi deberi iudicent, sic vt nequaquam mirari lubeat, si elati & peracris ingenij, notæq; tenacitatis homines plerunque decus in lucro præsentique pecunia, & immoderatis sæpeque etiam parum pijs quæstibus reponant, eo etiam maiore reliquarum gentium admiratione, quòd domi nequaquam sumptuosam: vt pleraque aliæ ciuitates, sed parcam in vniuersum, & bonæ frugis disciplinam exemplo veterum Græcorum, ex quibus orti sunt, institutam sequantur. Quanquam alioqui, vti sunt pecuniosi mercatores, supra censum, & totius industriæ spem, magnificis

gnificis ædificijs laudem quærant. Sed his vitijs quæ supra memorauimus, facilè euenit, vt intestinis discordijs ferè continenter per trecentos annos grauissimè laborarint: tantæ quidem rabie, vt modò patritios, modò populares alternante victoria, è ciuitate in exilium expellerent, sæuis cædibus integras sæpe familias delerent, & crudelibus incendijs in nobilissima tecta grassarentur. Nec in his malis, nunquam mitigata feritate, dissuderet à sordidissimo opifice iugum accipere, vltrò Barbaros tyrannos, quæ liberis leges darent, adscisere, vti miserabili conditione experti sunt, ex ipsis Michaelis Landi, Gualteriique Athenarum reguli, & Caroli Andegauensis abominandis casibus. Per hunc modum ciuitatem magnis perturbatam tactatámque fluctibus, maiores Medicei per integrum ferè seculum saluberrimis legibus compositam, cum insigni vera virtutis gloria confirmarunt & auxerunt, & ne quid ad summam felicitatem pulcherrimæ vrbis deesset, affuère salutari sydere ortus, Leo Pontifex, & Clemens, vel alioqui moribus dissimilis. Hi continuata imperij successione, atrocissimorum in se odiorum coniurationum q; memoriam ex Christiana pietate, amore q; ipso vel ingratissimæ patriæ, pacatis animis deponere voluerunt, vt in ciues suos vel nihil tale merentes, cumcta honorum com-

modo, & totius certioris opulentiæ ornamẽta insatiabili studio, redituaq; semper liberalitate congererent, vsque adeò iniqua & ferè insana benignitate, vt multos ex aula, de fide virtuteq; bene meritos, supina prætermitteret: Quādo nō solùm maiora minoraq; sacerdotia verùm etiam vrbium & prouinciarum præfectura, & munera legationum, sacratis viris committi solita, vnis omnino Florentinis mandarentur: qui etiam vectigalia, & totum denique Pontificij dominatus patrimonium ad certissimos quæstus inuasissent, eo quidem exitu, vt nihil cuiquam etiam honestissimo, ad sacri vel profani iuris prouentum, Etruscis cuncta abradentibus, relinqueretur. Neque tamen his tantis beneficijs atque meneribus accumulatè congestis, quicquam ad promerendos ciuium animos profecere, quum Leonis malo publico immaturè defuncti, omnē memoriam ingratissimis mentibus abiecissent, & tum Clementis viui regnantisq; & diu etiam regnaturi, maiestatem impie contemnerent, nulla quidem misericordia eius insuetæ calamitatis, quæ alienissimis etiam hominibus veras piasq; lachrymas posset exprimere. Itaque Florentini (vt ad historiæ seriem reuertamur) nunquam ingenio pacati nunquam exuta malignitate pœnitentes, sed paratis animis, quos diuersis cultibus effingerent,

rent, renouare perfidiam, odiumq; vetus exercere, id vnum expectabant, vt alicunde resciscerent, quorsum Cæsarianorum impetus euaderet. Postquam verò pridie Nonas Maias, Vrbem manu captam, Romanosque omnes, aut trucidatos, aut acerbissimis tormentis excruciatos ipsumq; Clementem in arce cum patribus circumuallari atque obsideri nunciatum est, nullam sibi moram attulerunt, qui eosdem animos redintegrata perfidia constanter erigerent. Breui nanque effectum est, vt frequentibus conciliabulis per coronas in foro passim habitis, multi patritij sed togati omnes prætorium intrarent, communicatisq; consilijs ad Medicæam domum contenderent, & legatum amicissimis hortarentur verbis, vt postquam Romæ res essent perditæ: cogenti fortunæ cederet probè & sapienter, & Rempublicam ciuibus reddere vellet. Erat legatus graui mœrore saucius ex clade Vrbis, fraudeq; prostratus, sed multo grauiore perculsus metu, quum à Nicolao Caponio & nonnullis alijs, quos sibi amicissimos putabat, acerbissimum nuncium accepisset, ita vt virilis consilij inops, & de sua tantum pecunia solicitus & tenax, cuncta in præceps prolabi sineret, sibiq; maximè timendum arbitraretur, quod plerisque non temere ab agrestibus responsis & moribus se inusum putaret, quanquam Octauianus Medices inconcussa

concussa fide, & nonnulli fideli studio insignes, neque aquam despondendos esse animos prædicarent, confirmandaque liberali stipendio militum præsidia iudicarent. Sed reperiri expediriq; pecunia non poterat, quòd eam Franciscus Niger proquæstor, malignè apud Laurentium Strozzam deposuisset, atque extemplo Lucam profugisset, Vir Vtique supra eam perfidiam, multis impietatis & auaritiæ sordibus coopertus. Eo frustra citato quæsitóque, Mediceis & Honofrio militaris præsidij præfecto animus concidit. Hic egregiè pugnax & intrepidus, rem ad arma deducere cupiebat, pollicebaturq; se notorum sibi ciuium perfidiam, multa cæde Vindicaturum. Verùm Syluius tanquam iactato naufragio, & naufragium adeunti persimilis, neque consilium, neque pecuniam expedire potuit, Vnisq; obiurgationibus insultantis mulierculæ domo atque Vrbe cum adolescentibus Mediceis exturbatus est. Hæc erat Clarice Medices iunioris Laurentij soror, Philippo Strozzæ nupta quæ tuta suo sexu & propinquitatis nomine, legatum coram rusticanum, adolescentes Verò spurios, obiteráq; hæreditate Mediceæ familiæ indignos, contumeliosis Verbis appellarat & domo & patria protinus excedere increpita mora iusserat: Quanquam generosè ei ab Hippolyto responderetur, quum eam omnino insanam

nam esse diceret, quæ oblita sanguinis, potentiam principatus ad inimicissimos potius transferre, quàm conseruare in domo propria in qua ipsa nata esset, malignè atque peruerse properaret. Verùm hæc frustra dicebantur, quum ad fœminam peracri iracundia flagrantem etiam accessisset Nicolaus Ridulphus cardinalis, miti quidem ingenio Vir, sed non obscurè appetens libertatis, qui cedendum fortunæ, & saluti maturè consulendum esse disserebat. Id in Clarice excitarat odium Clemens, qui neque Petrum filium purpureo galero exornare Vti promiserat Voluisset Virumque ipsius Philippum pro obside Cæsarianis Neapoli custodiendum tradidisset. His Vocibus peracerbisq; minis Vnà Syluius atque ipse adolescentes excessere patria, in non dubium exilium, quanquam decuriones ad leniendam subitæ atrocitatis inuidiam, abeuntes benigniore decreto prosecuti sint. Hoc erat, Vt adolescentibus Hippolyto atque Alexandro maneret ius integrum ciuitatis, ambobusq; locus esset in Republica ad capiendos eos honores, quos per ætatem adipisci possent, manerentq; eis incolumes totius Medicei patrimonij facultates. Eos autem, Philippus Strozza ex senatusconsulto comes datus, Pisas deduceret, Vt arx, oblata tessera reciperetur. Caterùm Strozzæ ex arcanis mandatis, Vt eos retra-

heret

herct iubebatur, quibus tamen propter affinitatem, tanquam ab ætate tenera nihil tale meritis parcendum putarit. Conatus autem est Dantes Castellio ex Strozzæ comitatu, directo & penè incenso sclopetto Hippolytum interimere. Verùm adolescentes subodorati cum sibi parari, concitatis equis inexpectatè Lucam proclarunt. Lucenses ex decreto publico eos amicissimè & lautissimè de more ciuitatis susceperunt & Florentinis per publicas literas sibi eos dedi deposcentibus, integra fide se illos conseruaturos responderunt. Per hunc modum Medicea domus impotentis Fortunæ ciuiumq; perfidiæ vltrò cessit, cum à reditu Ioannis cardinalis, ejecto Soderino, quindecim annis patriæ præfuisset. Eximè noui creati sunt magistratus, reuocata prisca Soderini consuetudine, Norióque se ante exactum tempus abdicante magistratu, renunciatus est vexillifer Nicolaus Capponius ea conditione, vt ipse & decuriones, comitiale consilium populoris multitudinis indicerent, vt ex æquo cuncti ciues recepta libertatis fructu lætarentur. Secunda namque & tertia classis turba insolenter postulabant, vt Reipublicæ munera latius quàm antea dispensarentur, ne populus suæ studiosus libertatis, pro vna tyranno, plures simul ex nobilitate superbos impotentésque dominos esset perpessurus, ita vt iam

vt iam planè patritios pœniteret recuperatæ libertatis, quam nequaquam suo ordini, sed indignis plebeis & hominibus sua magna cum inuidia & tum demum iuste cum dolore periisse dicerentur. Nec multò post Florentinus arcem Pisanam dedidit Paccionus Pistoriensis custos, cum pecuniam in stipendium cohortis custodiæ, quæ aliter in fide atque officio contineri non poterat, expetenti obtestanti& Syluius cardinalis subnittere noluisset. Is subsederat Lucæ cum adolescentibus. Medicæis animoq; deiecto atque eadem auaritiæ labe oppresso, verba pro auro & inanem spem prostipendio, Paccionianis nuncijs dabat. Qua rei indignitate atque offensione permotus custos, quum se maligne deseri à cardinale quereretur, nec quicquam proficeret, Antonio Francisco Albicio arcem dedidit, ea tamen integra fidei erga Mediceos constantia, vt repudiatis præsentis pecuniæ muneribus, quæ Albicius protulerat, expers omnis præmij, ob idq; inops, solo incorrupti& fidei testimonio contentus, arce excederet. Eodem etiam cursu, sed non eadem fidelis animi probitate, exemplum sequutus Galletus Barga, accepto fœde pactionis præmio, Liburni arcem tradidit. Interea Franciscus & Henricus reges, ex ea directa Vrbis & capti Pontificis execrabili fama vehementissimè comoti excitiq;, ad quærendum nouum

decus

decus arma parabant. Id nanque adiuto li
ratóque Pontifice & Vindicatis eius iniu
de Cæsarianorum militum immanitate lon
honestissimum proponebatur, eóque iustius &
speciosius, quoniam ad Vtriusque existimatio
nem maximè pertineret, tueri armis sacrum
principem, suprema propè ac inexpiabili affe
ctum calamitate & quod Christiana aure
vix ferrent, indignissima carceris contumelia
cum cardinalium senatu usque adeò impo
mulctatum. Videbatur enim Vterque eorum
peculiari officio obstringi, quòd Franciscus se
Vetus ex præclaris superiorum Galliæ regum
meritis partum Christianissimi cognomen ser
ret. & Henricus ab illustri suo studio, quem
Iulium secundum Ludouici armis oppugnatu
protegeret, Pontificiæ libertatis defensor ex s
natusconsulto fuisset appellatus. Hos quoque
duo legati opportunè aduersus Cæsarem con
citabant, Saluiatus cardinalis in Gallia &
Vbertus Gambara apud Britannos, qui Vtro
bique accuratè referendo, quanta immanita
te in Romanos nihil tale meritos esset sanc
tum, quantóque ludibrio sacrati episcopi in
catenis ad hastam venales fuissent circum
ducti, & quot demum honesti atque in
tes ex aula, aut tormentis excruciati, aut in
vinculis, desperato redemptionis pretio, truci
dati perijssent, piorum hominum animos inu
sitata

sitata crudelitatis cogitatione suspendebant.
Quando etiam per multos ante aram maxi
mam summè venerabilis templi frustrà à di
uis tutelaribus salutem petentes, inundato
cruore pauimento cædeq; polluto, cecidisse nar
rarent. His sermonibus per coronas Vtriusque
aulæ disseminatis, vetera nouáque Vtriusque
gentis odia, quæ vix dum in Cæsarem defer
buerant, ex atrocitate tanti facinoris refrica
bantur, tanto altius, quòd Heluetij cum Gallo
& Britanno in idem studium consensúmque
accesserant, quos Ennius Philonardus vetus
apud eam gentem Pontificis legatus, crebris
conciombus per singulos pagorum conuentus
habitis, tanquam homines militares, nec tum
velagresti ingenio de religione potestatéque
Pontificis malè sentientes, diligenter admo
nebat, vt quam Iulio pontifici nuper circum
uento & ferè oppresso, fortem felicemque ope
ram præstitissent, eandem & certè maiorem
in liberando Clemente aduersus impios nauа
re vellent. Debere ipsos probè meminisse, in
quam egregiæ virtutis & probitatis existi
mationem apud cunctas nationes, ex celeber
rimi facti gloria peruenerint. Retulisse si qui
dem inde non opima modò stipendia, quibus
honestè locupletes euasissent, verùm quod esset
omni auro præstantius, ad perpetuum gentis
decus illum cunctis publicis ante ferendum or

namentis pia virtutis titulum, quo Romani pontificis defensores, impiorúmque principum domitores appellarentur. Itaque Lotrechius cum iusto exercitu maioribus copijs subsequutus, in Alexandrinum agrum descendit, magnáque vi Boscum oppidum adortus, deiecto inde Ludouico Lodronio, qui Germanorum cohortibus praerat, oppidum cepit, castrisq; inde ad Alexandriam positis, eadem felicitate quod exiguo praesidio teneretur, ea opportuna vrbe potitus est. Lotrechio quoque impigrè procedenti, accessere Venetorum copiae cum iusto tormentorum apparatu, coniunctisq; viribus ad oppugnandum Ticinum processerunt. Praefecerat vrbi Caesarianóque praesidio Antonius Leua, quum Mediolano, sibi minimè excedendum, nisi grauissima de causa statuisset, Lucium Balbianum, virum egregiè fortem & Sforciano nomini inimicissimum, & quòd ei non magnoperè valide cohortes adessent, quibus Gallicam vim sustineret, opem submissis Hispanorum supplemento laturum promiserat. Caeterum Lotrechius animaduerso vrbis situ, edoctus q; de his munitionibus quas Ticinenses periculosa in parte moenium oppugnaturis Gallis opposuissent, incredibile Balbianum Ticinensibus q; oppugnationis consilium suggerit. Conuersis siquidem ad ipsam arcem omnibus tormentis, quae ei ex Venetis castris collata erant,

erant, tanta vi turrem quadratam quatere est adortus, vt ea cum adiuncto arcis muro, qui ad portam ipsius arcis ad viridaria educentem pertinet, adaperta perforataq; vndique pene integra concideret, prorumpentibus vnà in eandem ruinam annexis his coenaculis amoenissimi prospectus, qua Galeacius Vicecomes ante ducentos fere annos admirandis sumptuosissimisq; picturis exornarat. Cui edificio propter incomparabilem structurae pulchritudinem omnino parcendum fuerit, nisi Lotrechius ad famam celebre testimonium odij sui atque iracundiae, Ticini relinquere voluisset, quod ante sex annos ab ea parte vrbis moenia iuxta arcem frustra oppugnans à defensoribus multa detrimenta è summa eadem turre transuersè oppositus accepisset. Oderat quoque Ticini vrbis nomen, deleti Gallici exercitus, & capti regis recenti abominabilique memoria, Gallis infaustum & infame. Balbianus tantis ex improuiso territus ruinis, attonitúsque atque omnis consilij inops, quum seruare vrbem non posset, luctuosa Ticinensibus pactione se dedidit, eductúsque per ruinas ad Lotrechium, sese impetratae salute conseruauit. Tum verò Galli milites, facto impetu per easdem ruinas nullibi acriter reiecti per arcem, quod nemo crediderat, in vrbem irruperunt, miserabilémque in modum, caeso magna ex parte

præsidio & ciuibus captis, vniuersam diripiẽ-
runt, vsque adeò dira victorum oru delitate-
ut nec templis, sacratarúmque virginum se-
ptis parceretur: quanquam Lotrechio summa
cura esset tuendæ fœminei pudoris. Primus
qui audacter in arcem vrbémque irruperit,
Hostasium Rhauennatem militem fuisse con-
stat. Is à Lotrechio in præmium nauatæ opera
aneam equestrem statuam, quæ Antonini Cæ-
saris esse dicitur, impetrauit, quum ea anti-
quitus Rhauennatium fuisset, sed post Goth-
ca tempora, à Longobardis Rhauennam diri-
pientibus, trophæi modo in signum victoriæ a
ducta Ticinum fuerit & in foro constituta. E
modo Hostasius decorum sibi fore existima
se vetus patriæ spolium recuperaret & suæ p
tatis memoriæ, eo in loco, vbi ablatum olim fu
rat, renouata dedicatione poneretur in forum
descendit & permittente Lotrechio, cum mu
nipularibus suis atque item fabris, deiicere
statuam sede sua, atque excindere columnæ
basi suppositam superbo molimine conabatur.
Quo spectaculo (id enim longè miserrimum
Ticinenses iudicabant) vsque adeò tumultu
sus complorantis & deplorantis populi concu
sus fuit, vt oblitus domestica calamitatis, fu
riosè in forum decurreret, nullo modo pas
sus, vt patriæ quæ fortunarum omnium &
publici decoris iacturam dudum fecerat, etiã
nu

nobilissimæ & vetustissimæ memoriæ monu-
mentum eriperetur. Res eò erat perducta, vt
cum armatis ab inermibus exiturgio certan-
dum foret. Verùm Rhauennate imperatoris
Lotrechij diploma proferente, omnes ea Tici-
nensium turba suo recenti mœrore & cultus
deformitate miserabilis, ad prætorium conten-
dit, atque ibi vnus patritij ordinis Franci-
scus Boticella proiectus ad pedes sic loquutus
est. Patere magnanime victor, vt victis &
inauspicatæ constantiæ suæ meritas fortasse
pœnas dantibus, in victoria tua lugere liceat
& virtutis tuæ atque felicitatis odium, quod
nobis miseris æquo acerbius videtur, deprecá-
ri. Apud generosos nanque vera clementiæ
laus nunquam sordescit, quum cætera ex bel-
licis operibus atque periculis quæsita virtu-
tum præconia, quod multis sæpe communicen-
tur, celeriter euanescant. Vna profectò clemen
tia mortales superis æquat, eiusque muneris
memoria nunquam apud conseruatos obsolè-
scit. Miseri Ticinenses non suopte quidem in-
genio, aut publico decreto, sed peruersa pauco-
rum & planè fatali factione impulsi, à vete-
re studio Gallorum defecimus, scilicet, vt ob-
sessi primum obsidente rege vestro & cunctæ
intus atrocissimè vastantibus socijs Hispanis
atque Germanis, non deformata modò, sed cor
ruentis patriæ dirum spectaculum videre-

mus. Nec(quod meminisse dispudet)ex victo-
ria Cæsarianorum, qui cuncta domi & foris
ciuilis opulentiæ ornamenta deleuerant, ve-
infausta fide, vel constantia nostra præmium
tulimus, nisi vt ad hanc postremam aduers
belli calamitatem à te expugnati, eadem
perniciosa Cæsarianorum societate raper-
mur. Sed quod in fatis fuit, ab immiti fortu-
na iam planè transactum est, nec à te id
integrum restitui potest, scilicet vt expugna-
ti captique & bonis omnibus expoliati, gra-
uissimè mulctaremur: nec nobis quicquam ve
publicæ vel priuatæ substantiæ superest, qu
militaris auaritia exaturari queat, nisi vr
publici decoris ornamentum, equestris statu
veteris atque eximiæ pulchritudinis, qua
foro vestibuloque templi maximi, à pereg
nis virisque elegantibus cum admiratione
statur. Hanc gregarius miles Rhauenna
præda nomine sibi concessam, demoliri, aue
réque nauigio per Padum insolenter pera
Id ne pati velis, ciuitas supplex rogat, ve
mentissime imperator, vt pro tua pietate ma
gnitudinéque animi, sicuti dudum tua vi
gni seueritate pudicitiam in matronis virg
nibúsque nostris inuiolatam conseruasti, a
inanis, sed vetusta tamen gloriæ ornamen
tum, infelici patriæ nostræ conserues, vt pe
petuum sit, cum victoria tua, tum clemen
ra

erga victos monumentum. Manabant cun-
ctis Ticinensibus lachrymæ, quando eius sta-
tuæ tacturam instar summæ calamitatis, at-
que miseriæ, supra directa patriæ aduersam
sortem existimarent. Lotrechius ad miseri-
cordiam versus, Rhauennatem ex aduerso pro
missum muralis coronæ præmium ex diploma-
te repetentem, blandis verbis admonuit, vt
præmium potius nauatæ fortiter operæ ex sua
liberalitate oblatum accipere vellet, quàm
tantæ acerbissimè directæ ciuitatis miseriæ
lætari, ardereque demum inuidia aliquando
ei & Rhauennatibus nocitura. Itaque vel in-
dignabundus miles pro ænea statua pecuniam
à quæstoribus accepit, quantum satis est, pro
murali corona ex auro puro fabricanda, quæ
in fidem virtutis suæ, cum elogio Rhauennate
in templo poneretur. Ticino capto, diuersa apud
Lotrechium sententiæ dicebantur. Sforziani
ante alios legati cunctantem atque perple-
xum maxime vrgebant, in queis erat Fran-
ciscus Somalius inter Insubres nobilitate at-
que opibus potens, Gallicæq; peritus linguæ,
quòd regijs in castris aliquandiu militasset.
Is recenti vtendum victoria, & Mediolano,
Antonioque Leuæ vim & terrorem admo-
nendum dissentiebat, quòd Mediolanenses ad-
uersissima essent voluntate in Antonium &

Hispanos, à quibus sæuissima instar tyrannidis extrema rerum incommoda pertulissent. Attenuatas nanque esse Antonij cohortes Hispanorum vario discessu, quos ipse in præsidijs apud Comum, Leucum & Tricium distribuisset, & flos veteranorum Romana in præda detineretur, nec ipse immiti podagra iactatus & signata egens pecunia, tantum animi habiturus videretur, vt tot aduentantium hostium vim, & grauissimis iniurijs exacerbati populi tumultum, vno præsertim tempore sustinere posset. Id probabat Pisanus Venetorum legatus, cum æquo iure fœderis Francisco Sforcia fauens, tum reipublicæ suæ commodo integra victoria securum finem spectans. Extrudendos siquidem Mediolano Cæsarianos, & finibus Venetis cauendum putabat. Quoniam potentissimi Cæsaris vicinitas Veneto nomini maximè grauis atque suspecta foret, ex recenti scilicet memoria Bergomi, Brixiæ, Veronæque ereptarum vrbium. Antonius quoque Franciscus Albicius Florentinorum legatus, Veneto & Sforciano præclarè assentiebatur, vel ob id præsertim, quòd Mediolanum tanquam perennem præsentis pecuniæ thesaurum aliquando Cæsarianis adimendum diceret. Ex aduerso duo cardinales Gibous, atque Ridulphus, qui cæde vrbis elapsi, ad Lotrechium victorem peruenerant, & cum his Gregorius Casalius Henrici Britanniæ regis legatus, vehementissimis precibus postulabant, vt liberandæ vrbis Romæ, eripiendique inde Pontificis, potius quàm oppugnandi Leuæ negotium susciperet. Decorum scilicet ipsi factuque facile futurum, quando nulla grauiore de causa transcendisset alpes, quàm vt tam glorioso, quàm necessario duorum regum decreto expedita, pietate satisfaceret. Vbi enim ad Vrbem explicatis vexillis iter intenderet, altiora esse arma pro religione susceptæ, eáque passim fore auctiora, firmioráq; excitis vndiq; voluntarijs, postquam latrones non Cæsaris milites & incendiarios euersoresque sacrosanctæ Vrbis persequeretur. Liberato nanque Pontifice pristinam eius dignitatis atque potentiæ existimationem ad fœderatos esse rediturum, vnde vlciscis acceptas clades & reliquo metu atque sæuitia hostium victor Italiam summa cum laude liberaret. Cæterùm Lotrechij animum diuersis distractum sententijs, vnus senatoria dignitatis vir Insuber, astutæ & propè maligna oratione perpulit, vt omnem euadendi Antonij Leuæ curam in aliud tempus differret. Quo consilio, non cursus modò parata victoria interruptus est sed expedita

conficiendi belli spes omnis intercidit. Is erat Ambrosius Florentius ex vetere factionis studio Sforciano nomini infensus, vtpote, qui semper superioribus temporibus Gallis adhæsisset. Itaque secretò Lotrechium aggressus, nisi, inquit, imperator existimare eandem esse susceptibelli causam & potiunda victoriæ rationem. Nam (quod me non fallit) tibi omnino obeundum est id peculiare munus, quod ipsi regis & ex authoritate fœderatorum, virtuti tuæ iniunctum est. Id enim vnum quærunt & expostulant, vt felicitate tui cursus vti velis, liberareque Pontificem carcere emendas, cuius rei causa nouum fœdus est ictum & resumptæ sunt arma, prosperèque transcensa alpes, atque hac etiam duæ validæ vrbes expugnatæ scilicet vt immanium hostium ferocia frangeretur, pararetúrque aditus ad opem capto Pontifici, ruentique Romanæ vrbi opportunè ferendam, qua propriam rem nostri gloriam respiciunt & socijs publica salutis authoritate honestissimum asserunt decus. Nec diffiteor ad subleuandam sociorum nostrorum existimationem plurimùm interesse, si Mediolano potiamur. Sed videndum est, ne hoc sit Gallicis rationibus alienum. Nam neque Antonianas vires eleuare hoc loco lubet, neque nostras attollere, vt cuncta nobis

cessura facilè credam. Certè hoc vnum prouideo, cunctos laboris atque periculi nostri fructus, alieno prorsus commodo ineptè cessuros: non vtique vt fœderi minus syncerè seruiendum putem, verùm, vt hoc ipsum Mediolanense imperium (vti antiqua iura postulant) aliquando ad regem rediturum recordere. Si cunctemur, expugnanda quæ validissima vrbi diutius hæreamus, eludet fortasse nos Fortuna, atque illa, quam petimus, occasio liberandi Pontificis euolabit. Quod si hostem in ruinis atque luxuria opulentissima vrbis sepultum senescentéque ferocia ad vini & Veneris voluptates, desidem aggrediare, implebis officium prudentis piique imperatoris, occupandæque Neapolis ex cursu explorata victoriæ facultatem arripies & quod bene ominari fas est, deletis immanium latronum legionibus, quas iam pestilentia fœdè absumi vulgatis morbis audimus, vndique victor Italici imperij compos fies. Ab hac persuasione, Lotrechius non ineptas consilij causas apud legatos ostendens, traiecto Pado Parmam se demisit, atque inde modicis itineribus Bononiam profectus, amplissima ea in vrbe & copiosissima hyemare constituit, quod sibi multo maxima virium mole bellum gesturo, noua copiarum supplementa è Gallis

expecti

expectanda prædicaret. Verùm quibusdam sociorum, cum proculdubio parata dimissis victoriæ proventum, Francisco Sfortiæ inuidisse apparebat, atque ideo cunctantius & segnius quàm plerique flagitarent Romanis rebus opem ferre videbatur. Nec deerant, qui non obscure existimarent ipsum probè regijs iussibus obsequentem, ostentare bellum è longinquo, & multo armorum apparatu perstrepere, quàm Cæsarianos aggredi, atque lacessere malle, scilicet, ne Cæsar grauiore iniuria atque periculo exagitatus, animum in ipso rerum discrimine, aduersus metum facilè peruicacem, à spe pacis atque concordiæ longius abduceret: Quoniam ea esset ingenij Cæsaris vis atq; natura, vt placari precibus & ratione flecti, quàm vi & armis, ad id quod sponte nollet, cogi posse constaret. Id enim si quidem rex Franciscus ex arcano eo belli motu petebat, vt Cæsar multis rerum adductus difficultatibus, ab se regios adolescentes obsides datos oblato auro redimi pateretur. Sed postquàm ea spes recipiendorum obsidum frustra tentata, in irritum cessit, ab omnibus ad eadem belli cogitationes recursum est. His rebus cognitis, Cæsar siue tactus religione, siue permotus infamia, aut graui rerum futurarum periculo adductus, Pontificem custodia & tot arumnis liberare constituit. Fratriscum q; Angelium cucullatum Franciscani ordinis principem, pietatis & probitatis nomine, expiandis criminibus sibi delectum, cum Vergio cubiculario ab Hispania Romam misit deditque ei literas super ea re ducibus perferendas, quibus significabat Philiberto Aurantio, Vgonio q; Moncatæ, atque item Ferdinando Alarconi, sibi æquum piumque videri, Pontificem dimittere, atque eum cum omni honore verborum in pristinam asserere libertatem, subindeque sacrosanctam eius dignitatem obnixè defendi colique oportere, modò alicunde pecuniæ pararetur, qua militibus merita stipendia persoluerent, vt quum tempus poscceret, Germanorum legiones vrbe Roma aduersus hostes educerentur. Sedulò autem cauerent certis obsidibus ne Pontifex, si fortè iniuria nondum oblitus, hostilem animum indueret, ipsis non magnopere nocere posset. Erant hæc Pontifici in alienæ potestate constituto longè grauissima, quum nulla omnino tuta ratio cogendæ repræsentandæq; pecuniæ reperiretur, quòd infirmissima fide esset Pontifex apud creditores, vti captiuus & manceps factus, neque vlla in eo nisi dubia & anceps vigeret authoritas, sic vt de promissis firmiter cauere non facilè posset, quàdo syngraphæ nummariæ, addictorum q;

vect

Sectigalium tabulæ & obligationum contractus omnes, ac assensuum stipulationes, legitimo robore, ex certa communis iuris formula cærere dicerentur. In hac verò negotij difficultate, vni omnium Germani, indomita feritate, nequaquam euersæ ciuitatis spolijs exaturati, quum promissæ pecuniæ aquas publicanorum pactiones suspectarent, superbeq; reijcerent, truculentissimè cunctis qui aderant in arce. Pontificiq; in primis, atque senatui, nisi maturè pecuniam expedirent, terrima supplicia comminabantur. Res autem eò deducta est, vt Clemens longè carissimos atque honestissimos ex familiaribus, qui secum erant representandæ pecuniæ obsides, frementibus, deposcentibusq; Germanis, tradere sit coactus. Hi fuere Ioannes Maria Montanus Archiepiscopus Sipontinus et Honofrius Bartholinus Pisanus Archiepiscopus: episcopi verò Antonius Puccius Pistoriensis & Ioannes Matthæus Gibertus Veronensis. His accessere vti pecuniosi nobiles q; & arcta propinquitate Pontifici cõiuncti, Iacobus Saluiatus Ioannis cardinalis pater, & Laurentius Ridulphus, Nicolai cardinalis frater germanus. Horum sacratis manibus illicominaces Barbari catenas iniecerunt & tanta truculentia ad exprimendum aurum terruerunt, vt in Campo Floræ ad erectas dicatasq; latronum suspendijs furcas, damnatorum more catenati perducerentur, parato ibidem ad lege agendum carnifice, si paulò asperior concionis fremitus annuisset. Per hunc modum miserè pallentes, & extremo supplicij metu perfusi, terq; in concionem producti, præclaræ opis magni numinis seruati sunt, cum spes auri vel in efferatis diuturna immanitate animis misericordiam exprimeret. Siquidem paulò post, in carcere custodibus ex institutæ cœnæ crapulæ multoq; Falerno consopitis, catenas exuerunt & per Caporarium foci tubum in summa Riaria domus tecta extracti funibus euaserunt tanta felicitate, vt pedibus egressi Vrbem, ad Vrbinatis castra quæ tum erant in Vmbriæ finibus confugerent. Vbi non diu miseri, tanquam illudente fortunæ, in aliud propè discrimen incidere, quum eos Laurentius Martellius Florentinus præpositus copijs comprehendendos, Vesana temeritate censuisset. Sed huius impij peruersiq; hominis amentiam Feltrius & Bozzolus seuerissimis verbis retuderunt. Horum obsidum inexpectata, atque admirabilis fuga, Pontifici destinatam libertatem proculdubio maturauit. Nam Pontifex semper ad nouæ parandæ libertatis consilia solertissimè conuersus propositis venalibus senatorijs aliquot galeris, qui consensu militum non ob-

scura

scura licitatione, amicissimis Cæsarianorum partium ad eum honorem aspirantibus, præsenti pecunia venderentur, breui tantam vim signati auri, vel infami collatione coactam collegerit, & militibus numerarit. Vt quum aduersi rumores de secundis Lotrechij successibus sensim increbrescerent, milites in vniuersum Hispani Germanique nequaquam ægerrime paterentur, & sese ducum imperijs & dicto audientes futuros dicerent. Pontifex quoque, ad declarandum fidelis amicique animi studium, quinque senatores, quos Cæsariani delegerant, obsides dederat. Pisanum scilicet Venetum, eius Aloysij, qui in socialibus Feltrij castris legati munere fungebatur, filium, & Triuultium Mediolanensem Gallica factioni semper addictum, Gaddiumque item Florentinum, pecuniosi publicani fratrem. Hi Neapolim perducti, in arcéque noua custoditi sunt: Pompeius verò Columna pro reliquis duobus qui fuere Franciottus Vrsinus, & Paulus Casius, eadem se præbuit, & secum postea eos ad Sublaqueanum peramœna salubritatis secessum humaniter perduxit. Nec multo post in componenda transactione liberandi Pontificis, strenuè satagentibus Pompeio Columna, & Hieronymo Morono (hos enim certis liberalibusque promissis reconciliatos, & pijs emollitos pretibus,

bus, ita in partes traduxerat. Vt Cæsaris decreto, quod Angelius cucullatus adduxerat mirifice fauerent) res apposite confecta est, eóque facilius, quòd Vgo Moncata & Verreius, incerti & sæpe transuersi consilij homines, Neapolim concessissent, & Auarantius apud Galeriam vicum hyemaret, vt potè qui suopte ingenio captuque mutabilis & semper suspitiose perplexo nouas difficultates negotio allaturus esse crederetur. Itaque post septimum carceris mensem, Pontifex Cæsariamorum Alarconisque præsertim iudicio dimittendus, decreto vix dum perscripto, quum se exiturum postriduo dixisset intempesta nocte euasit, nihil prohibentibus porta custodibus, quum petasatus & penulatus, subductáque & vellata barba, se dispensatoris ministrum ignobilis eo habitu mentiretur. Dispensator enim se præparandis alimentis exituro Pontifici, ad singulas Cassia via mansiones præcursurum dixerat. Euasit autem vrbe occulta porta, quæ est in Vaticani viridarij extremo ad turrem rotundam angulo, cuius clauem ab olitore paulò antea Pontifex impetrarat, atque eo modo clusis custodibus. Hispanico militari equo vectus, quem ei dederat Aloysius Gonzaga cognomine Rodomontes, cuius fratrem adolescentem nomine Pyrrhum Pontifex in his armamis propensissimè legerat

in senatum, ad iter sese extendit, subtérque Cæsianum vicum & Baccaniam sylvam, Capranicæ paulùm moratus, ad Orbitum oppidum naturali circumambientis vallis saxea orbita permunitum contendit, admirante moram & semidecepto Alarcone, qui, vt Pontificem ad quotidiana sacra è cubiculo prodeuntem salutaret, in multâ diem expectarat, non semel increpita apud cubicularios surgendi tarditate, quum Pontifex, vel obdormiscens excitandus ad iter videretur, quod ægrè, vti longum & lutulentum, his bruma libus præsertim diebus obeundum foret. Cæterùm nihil se commouere milites, quanquam nonnulli de animo fideq; Pontificis male suspicarentur qui ex repentino discessu, quosdam duces, militumq; primores, ipsum honoris causa comitari paratos, antecaptis intempestæ noctis tenebris, parum prudenter elusisset. At Florentini, vbi certius didicere Clementem custodia emissum, Orbiti tutissimo Tusciæ oppido constitisse, atque eum frequenti hominum concursu, qui vndique gratulatum coibant, itemq; multis principum & ciuitatum legationibus celi, rediuinaq; authoritate, quotidie supplicibus libellis subscribendo, senatum habendo & sacerdotia conferendo integri & probè coalescētis Pontificatus munia obire, metu atque inuidia crescentibus

in omnes partes legatos mittere, & certa armorum præsidia noua libertati tuendæ parare cœperunt. Sedebat tum ad clauum Reipublicæ idem Nicolaus Caponisus, quem pulsis Medicæis Francisco Norio suffectum docuimus. Is vti erat multarum rerum experiens, optimusq; ciuis & patriæ libertatis amantissimus, in vnum pro salute publica consilium incumbebat, vt proceres ciuitatis ex vetere studio Medicææ familiæ addictos complecteretur, à popularium iniurijs defenderet, in partemq; Reipublicæ cōmunicatis honoribus susciperet. Sic enim inueteratæ factionis oblitos posse indicabat, atque honestissimo & tutissimo consensu cæteris ciuibus coniungi, vt firmum & bene sanum noui status robur, in effecta & ægrè coalescente Republica pararetur, quo parto, nihil intus ex omnium ordinum cōcordia, vel foris hostile esset metuendum. Eo siquidem tempore inualescebat antiqua factio mediocrium atque infirmorum ciuium, nata ad conturbandā Reipublicæ tranquillitatem. Hæc nanque turba tam superbè quam temere, vti superioribus seculis, recentibusque Soderini temporibus consueuerant, nullam bonā ciuem esse putabat, nisi qui Medicæum nomen maximè & acerbissimè odisset, quòd à Medicæis diuse ū administranda Republica præterm̄issos atq; neglectos me-

miniſſent, ac ſimul honores omnes ciuitatis, vnis optimatibus & nobilitati, iniqua ratione tributos quererentur. Ab hoc improbo & vti mox apparuit, peſtilenti minorum ciuium ordine, quaſata primò eſt noua libertas, quæ fata pepererant. & demum vniuerſæ ciuitatis miſerè diſſidentis, opes attritæ, conuulſæq; ſunt. His popularibus importunisq; ciuibus ſigniferũ ſeſe præbuerat Balthaſar Carducius vetuſta potius quàm nobili ortus familia, qui Patauij iuris ciuile profitendo claruerat, odiumq; ſibi Pontificis acre paraueratquum tanquam exul deplorando ſtatum ſeruientis patriæ, Patauij & Venetijs Medicees appellans tyrannos, eorum famam contumelioſè lacerare conſueuiſſet. Is fortunarũ egenus & parum Florentiæ cognitus, inani immodicoq; iudicio ad ſummum vexilliferatus honorem vnde clarescere & ditari poſſet, inſolenter aſpirabat, vixq; liuida animo ferebat magiſtratum ex publico decreto in tres annos Caponio deſignatum, qua in ſede honoris aqua diutius regnare Caponium, nonnullos etiam patritios agris animis pati intelligebat. Erãt hi Thomas Soderinus, quem fraterni vexilliferatus memoria grata popularibus mirificè commendabat & Alfonſus Strozza, ex vetere perpetuaque ſimultate, pertinaci ſtudio, Medicæo nomini ſemper aduerſus. Ambo autem

autem eadem ambitione ita erant occupati captique, vt non improbare Caponium tanquam ex profeſſo ab omni Mediceæ domus dominatu abhorrentem, ſed eius locum exoptare occultæ dignitatis obtrectatione crederentur; quem popularium ſuffragijs facilè adipiſci conſiderent: Propterea Balthaſari Carduccio ex turbidi atque præcipitis ingenij vecordia res nouas molienti, atque item concitanti iuuentutem, aſſutè adulabantur. Itaque Carduccius maledicentiæ ſuæ frena exoluens intemperanter & criminoſè Clementis dignitatem & totius optimatium ordinis decus proſcindebat, ſecus ac cuperet ipſe Caponius, qui eum ordinem, ſtabiliendæ libertatis cauſa, nequaquam contumelijs exagitandum, ſed aſciſcendum vltrò in curiã, & ſyncera ciuiliq; honorum communicatione complectendum arbitrabatur, vt obliterari ſenſim poſſet veterum beneficiorũ memoria, quæ adhuc apud non ingratos ciuium animos vigeret. Dixerat enim palàm in coronis Carducius rabido furioſoq; perſimilis, ſe nunquam ſtabilis Reipublicæ decus viſurum, niſi in multo cruore amicorum Mediceæ familiæ, manus & pedes ablueret & tyrannorũ domum decreto publico dirui & radicitus excindi conſpiceret. Erat ſiquidem amenti prope ingenio truculentus, propterea q; ei obtem-

nerat moribus eius aptum Scimitarra cognomentum, quæ vox incurui atque terribilis barbarici gladij genus significat, vnde turbida atque insolens iuuentus in foro spatiantis latera stipare consuesset, vt eo authore concessionem gestandorum armorum & custodiendæ curiæ munus, vti euenit, impetraret: Postulante nanque & acerrimè cotendente Caduccio, id impetratum est, Quanquam decuriones nihil necesse esse respondérent, vt armati curiam custodirent, quando nulla vel intus vel foris à quoquam extimescenda videretur. Ea verò effrenatorum iuuenum procacitas fuit, vt vel nolens Caponius decreto assentiri cogeretur, eóq; properantius, quòd seditiosos quosdam absq; periculo dignitatis oratione cohercere posse desperaret. Per huiusmodi impetratis armis, iuuentus per se audax & effrænis, ab ea licentia æquo seruidior atque insolentior aduersus optimates effecta est. In vestibulo nanq; ipsoq; atrio curiæ, prætoria cohortis more stationem delecti constituq; iuuenes habere cœperunt, tanta animorum ferocia, vt obsidere decuriones potius & magistratuum dicta factaq; malignè observare, quàm curiæ limen tueri censerentur. Suspectus enim quibusdam popularibus Caponius euaserat, quòd studiosius quàm oporteret, propinquos veteresque amicos Medicea familiæ complecteretur, quos ipsi maximè odissent & trucidare percuperent: scilicet vt Caponio authore, non popularis quidem status, vti omnes expeterent, in ciuitate sed optimatium aristocratia conderetur. Proinde quidã è plebeio ordine anteà insolenter Caponio dixerat, tam improbè quàm falsè, quum Medicei pellerentur: Tu, inquit, Caponi nequaquã sana & opportuna libertati consilia agitas. nam tabernæ vinariæ frondis signum, nõ prioris dolij vinum mutare contendis, quod nunquam à te fieri patiemur, quasi diceret sublatis Medicæis, ipsum quidem tyrannidis nomẽ tolli sed veteres eius ministros & fautores, nimio Caponij & optimatũ studio conseruari, qui demũ multorũ instar tyrannorũ, vti antea consuessent, populo superbè atq; auarè dominarentur. Sed vir ciuili prudentia insignis, modo publicæ saluti prospiceret, hosce aduersos de se rumores facilè contẽnebat, dabatq; assiduè operam, vt Pontifex atq; propinqui eius, nullis verborũ contumelijs afficerẽtur & quibusdam tenuibus officijs, quæ libertati captæ nihil efficerent, iustæ Pontificis in rebelles iracundiæ molliretur. Dixerat enim sæpe Clemẽs quòd tanto obrutus infortunio & diuturna fe req; lethali correptus febre decumberet, vt nos lectulo familiariter assidentes audiuimus, se totas perpessa calamitatis & torquentis morbi pœnas

bi pœnas tot peccatis suis ac erroribus debitas, etiã si Deus sibi misera vita finem adduceret, æquo animo laturũ neq; aliud ab ingratis ciuibus Florentinis postulaturũ, quã vt in propinquos veteresq; amicos familiæ Medicææ grassari desineret, hisq; aditus ciuilis æquitate ad honores præberetur, redderentq; ite sibi Catharinã neptem quã ad Vestales Virgines deputassent, paternarũ quoq; possessionũ fructibus potiri liceret: quando totius patrimonij vectigal ciuilis oneris ærario publico esset soluturum. Quantũ verò ad Pontificiã maiestatẽ pertineret, hoc obnixè petebat, nullas nisi ex Pontificia authoritate sacerdotijs decumas imponerent. Hæc erãt suprema languẽtis nec adhuc planè restituti Pontificis decreta, plena pietatis & æquitatis, quibus per mercatores idoneosq; homines Florentiæ significatis, Caponius indulgendum existimabat, vtpote qui prudentissimi viri vim, & iamtum reuiuiscente eius dignitate, minimè exigitandam, sed spatio & leui obtemperantia, his præsertim in rebus, quæ publico voto nihil officerent, leniendam censeret, hac in re certissimus vates futurus: Quandoquidem sæpe & etiam ante magistratũ, prædicaret libertatẽ apud proteruos citò periturã, nisi Respublica moderatis cõsilijs regeretur: Quoniã his omnibus imperitis rerum plerique ciues, aut importunis dissenti-

odijs

odijs arrogantius quàm deceret, tumultuosè miscerentur. Nec in hoc salubris sententia instituto. Caponius inuidiam facilè sustinebat. quum iuuenes, qui ceptis armis insolescebant. a Scimitarra malo publico concitati, eum nonnunquam Venetum ducem, solis optimatium votentem suffragijs, ad conflandam inuidiam per iocum appellarent. & ciues, qui parum popularis videri possent, toruis atque minacibus oculis intuerentur vsque adeò arroganter, vt Iacobus Alamannus præcipitus audaciæ iuuenis, in Leonardum Ginoriũ honestum ciuem. quòd modestiam in iuuentute requirere videretur, in ipso curiæ limine ferrum distringeret, quo in loco, lege lata, nefas esset arma aduersus quenquam nudare, aut tumultuari. Id factum, quum summi magistratus maiestatẽ læsisse censeretur, nec ille amens & exitialis superbia tumens, curiæ aream excedere vellet, decuriones ad seueritatem perpulit, apud quos Scimitarra ex ciuilis iuris lenitate tutari reũ conatus, frustra perorarat. Atque eo modo Alamannus captus, in superiore curiæ tabulato, capitali supplicio affectus est. Meminerãt enim illum eundem esse Alamannũ, qui paulò antea, curia à seditiosis occupata, Federicum Riccium è numero decurionum in conspectu Guicciardini dictatoris, nefaria temeritate vulnerarat. Ab hac festinatæ Alamãni damnatione.

natione, quum caput eius è summa curia to-
rona populo decisum ostenderetur, audacia nō
mediocriter apud iuuētutem refixit & Car-
duccij vis temere exardens grauiter immi-
nuta est. Paucis enim ante diebus, ita excre-
uerat, cùm huius concionantis, tum furētium
iuuenum licentia, vt globo facto adscenderent
ad summum magistratum & vexillum de-
poscerent, quo, vti bono patriæ oporteret, ordi-
nati starentur. Ea verò expostulatio superba
atque intempestiua patribus visa est, quum
senieres id negandum censerent & Caponius
fœderata iuuenum arma vereretur, quòd in
vnius turbulenti signiferi manu foret, sublato
vexillo populum ad arma vocare, atque ag-
gredi quodcunque vel crudele facinus & ci-
uitatem intestino tumultu perturbare. Quum
verò aliquandiu diuersis sententijs esset de-
certatum, hunc ea contentio habuit exitum,
vt decuriones quod negare ex tuto non pote-
rant, moderata atque seuera conditione con-
cederent, lata scilicet salutari lege, qua cau-
tum est, vt id datum vexillum intra curiam
ad columnam porticus defixum sisteretur, ca-
pitaleq; esset his qui iniussu summi magistra
tus reuellissent & extra curiæ limen extulis-
sent. Eo temperamento Caponius insolentem
turbam opportunè pacasse, & publica saluti
cauisse visus est. Armata siquidem iuuentus,

quæ suopte consilio effrenatq; libidine furere
grassarique cœperat, nisi seueris edictis ac im-
perijs contineri non posse censebatur. Nam pau
lò antea iuuenum globus tumultuosè in tem-
plum Deiparæ Virginis Nunciatæ irrumpens,
vt studium suum erga libertatem & ingens
in Mediceos odium ostenderet, statuas Leonis
& Clementis lanceis transfodiendo, nefaria
atque vanissima temeritate deiecerāt, vnusq;
ante alios futilis & superbus cius Oricella-
rius, cognomento Cardinalis, Clementinæ sta-
tuæ faciem ingentis alabardæ ictu deforma-
rat, & Chiurlius Macciauellius dextrum Leo
nis statuæ oculum spiculo perfoderat: Quas ina
nes iniurias stultæ animorum truculentia in-
dices, Caponius ita grauiter fuerat detestatus
vt id facinus scelestè inuidioseq; editum, pœ-
na vindicandum esse diceret, nisi patritio-
rum iuuenum amplior numerus, quæ infami
sacrilegio manus admouerat, à perscribendo
decreto eum absterruisset. Eodem quoque fe-
sano impetu concitata iuuentus, è scutis Me-
diceæ familiæ puniceas pilas passim deleue-
rat, vsque adeò processit licentia, vt Lau-
rentianum ingressa templum, è sepulchro ma-
gni Cosmi, titulum, quo pater patria decreto
publico fuerat appellatus, scalpellis abrade-
ret. In id quoque consilium non multò post cal-
lidis seniorum & optimatium artibus, fra-

nanda

nande iuuentuti remedium, periculosum certe, sed euentu ciuitati salutare, repertum est, scilicet Vt in Vniuersum ciuitati capiendorum armorum iura traderentur & descriptis à militari ætate ad quinquagesimum annum cunctis ciuibus, cohortes sub vexillis instituerentur, quæ diuisæ per quatuor tribus, collegiorum signiferis præsto essent. Erant hi signiferi numero sexdecim, quum Vrbs diuisa in quatuor regiones, quæ singulæ quaternos haberent signiferos, peculiaribus vexillorum insignibus eleganti diuersarum imaginum varietate figuratis, distingueretur. Per hunc modum Ca ponius communicatione armorum, quæ non obscurè feruida violentaq; iuuentutis animos compesceret, populareſque modestia ciuilis admoneret, ciuitatem in officio continebat. Pari quoque prudentia turbulentos ciues legationis nomine ablegauit, Carduccium scilicet in Galliam, nihil vnquam pro sano cogitantem & Galeottum Iunium apud Alfonsum Atestinum, qui & ipse iurisconsultus indomita feritatis & pertinacia ciuis inter populares habebatur. Eadem quoque de causa Franciscus Portinarius elegantibus literis instructus, & Bartholomæus Gualterottus, quanquam ingenij inefficacis iureconsultus, quòd aquo acrius factioni popularium faucerent, hic Venetias, ille in Britanniam missi sunt. Cæte

Cæterùm ordinatim centuriatæ cohortes maximè lætum Vrbi spectaculum præbuerũt, quũ inter duo augustiora Vrbis templa, erectis altaribus traducerentur, iurarẽtque singuli se patriæ libertatem contempto omni periculo defensuros, neque his vsuros armis, nisi aduersus hostem Reipublicæ seruitutem afferentem. Hoc sacramento vsque adeò deuotis animis circiter quatuor millia hominum consociata sunt, vt fideli concordia diligentiq; armorum exercitatione coalescentes, magno vsui patriæ fuerint, magnóque terrori non hostibus modò, qui obsessuri erant Vrbem, forent, sed externo ascititióque militum præsidio, quod mercede ad tutelam Vrbis conduxissent, ne militari licentia composita & tranquilla Vrbis disciplina turbaretur, quum armati Iudices præsto essent, qui paulo insolentioris facti contumeliam vlcisci possent.

INTER eas quoque Lotrechij moras, Vemeti intentiore cura melioréque spe copias Vndique conducebant, quòd post elapsum carcere Pontificem, Cæsarianos cadaueroſa in Vrbe & magis ac magis pestilenti, multis vtique absumptis, multisq; profundo luxu diffluentibus facilè superari posse crederent, & quas in Apulia, & Salentinis Vrbes antea possedissent, debellatis Cæsarianis, ex fœdere se recepturos arbitrarentur, Florentini quoque eandem

dem quam cum Gallis & Venetis, ante cladem Vrbis (vti memorauimus) societatem inierant, secuti ante omnia Herculem Alfonsi Ferrariensis principis filium, copijs suis cum summo imperij stipendijq; honore præfecerat. Is tum nuptias cum Renata Ludouici regis filia Ferraria celebrarat, ex qua affinitate & ipse Alfonsius pater, commutato studio, in eundem belli consensum veniebat. Videbatur autem id fœdus tot principum arma consociantium, non æquissimo tantùm, sed longè etiam honestissimo iure percussum, quòd salutem libertatémque Pontificis ab initio respexisse censeretur. Verùm hos omnes Cæsarianorum arrogantia cum summa impietate coniuncta vehementer angebat & inflammabat, quum se dira vastatione & crudelibus flammis nobilissimas Italiæ vrbes deleturos minarentur. Erat enim edita in vulgus fama, eos conuersis signis, post absumptam & dirutam vrbem, part truculentia ad euertendum Florentiam adscensuros, facilè inuitante inexplebiles Barbaros & nulli vnquam certi ducis imperio parentes, opulentissima vrbis præda, incitantibus maximè eos duobus è consilio Neapolitano senatoribus, Ludouico Montalto Siculo & Antonio Venafrano, quibus vti impijs sacri imperij decus maximè erat odiosum, scilicet vt effrænem atque omnibus facinoribus

cinoribus contaminatam militum sociorum colluuiem, longè à Neapolitanis mœnibus auerterent. Quibus adductos rumoribus Florentinos, de renouando atque arctius confirmando fœdere, consilia maturasse constat, nimis (vti postea compertum est) celeri atque ipsis demum exitiosa festinatione, quum Galliæ regis, & reliquorum principum prælatæ societate, Cæsaris amicitiam importunè contempserint. Ingentibus tamen sententijs de eo fœdere ineundo Florentia certatum est, quum ciuitas in diuersa studia, promptis maximeq; facundis ad disserendum ciuium ingenijs scinderetur. Mouebant ciuitatem, vt Gallorum potius quàm Cæsaris Fortunam sequeretur, amplissima Francisci regis opes, gratia & exceliens Veneti senatus authoritas, mirumq; locupletissimi Britanniæ regis studium, & Lotrechij præsentis res secunda. Nã & tum Genua, peropportunè ejectis Adurnijs, qui Cæsari fauebant, in partes traducta fuerat: Antonij q; Leua pertenues in sustinendo bello vires & auxiliorum spes infirmæ videbantur. Quæ res Florentinorum animos per se in Gallicum nomen proclines, ita impellebant, vt magna pars populi priuatis addicta lucris, quæ satis opima ex negociatione Lugdunensis mercatura prouenirent, Gallici fœderis decreto paratis suffragijs assentiretur.

Ita

In tabulis autem disertè perscriptum est, Vt descensuro ad liberandam Vrbem Romam inuadendámque Neapolim Lotrechio, Etruscæ iuuentutis legionem adiungerent, Ex aduerso ipse Lotrechius, regijs viribus & copijs, Florentiæ ciuitatis libertatem conseruandam ab omni iniuria, defendendámque susciperet. Atque ita à Gallo rege missus est Florentiam Claudius Velleius legatus, & à Venetis Antonius Surianus, qui fœderatæ ciuitatis consilijs adessent. Non probarant id fœdus Caponius ipse dictator, & optimatium atque prudentium penè totus ordo, vtpote qui ex parti, cui Pontifex adhæsisset, omnino adhærendum censerent, & cum Pontifice honesta conditione, quæ incolumẽ libera ciuitatis statum conseruaret, paciscí oportere dissererent. Prouidebant enim vsu rerum periti, Clementem indomito spiritu ad pristinum patriæ dominatum aspirantem, facilè obliuisci posse recentis accepta cladis, tanquam non sua, sed publica omnium calamitatis, & Cæsari renouata amicitia rursus coniungi, vt illatam à rebellibus ciuibus peculiarem contumeliam vindicaret, ipsius q; Cæsaris felicibus armis in patriam reduceretur: Quando quidem ipse suspirans & gemens, existimationis suæ iniuriã à Gallis vel intempestiuè vel improbè dissimulatam quereretur, ipso præsertim nouo fœderi,

quo se illi Florentinis aduersus eorum hostes opem latturos pepigissent: cuius nondum maturi, sed certè non multò post futuri rerum euentus, verissimus vates Caponius extitit, quum multorum imperitorum numeratæ suffragia, aduersus paucos rectissimè sentientes, vti plerunque sit maximè valuissent. His rebus cognitis, Clemens seipso amarior factus, grauiter angebatur, quanquam ad eum Vicentius Turrenius à Francisco rege missus, ea quæ iam transacta essent, eleuare, molliréque & subtilius interpretari contenderet, sic tamen lenire offensum non poterat, quin ille nauet consilij curam coquere putaretur, suspenso manque animo ex rerum successu, in complexum Cæsaris se dare fortunámque eius sequi statuebat. Memini me eum familiariter, sicuti solebat, his de rebus mecum contracta fronte sermones serentem, in hæc verba prorupisse. Quid mihi Iouis, vel incolumi Pontificatus dignitate, vel hac restituta sanitate vitaque opus est, si ab ingratis ciuibus patria pulso & exuli, perpetuo deplorandæ sit maiorum meorum vetus amplitudo, totúmque familiæ decus & fortuna principatus? Hæc enim omnia infami ignauiæ amisisse atque euertisse prorsus dubio existimabor, nisi eadem virtute, qua illa longo tempore parta conseruataque fuere, & mihi, & profugis adolescentibus recu-

perentur, referásque in annales tuos iustis Gotis mes non semper fortunam illusisse. At Lotrechius tota ferè hyeme Bononiæ absumpta, communicatis cum Veneto Florentinóque senatu consilijs & constitutus itineribus per Aemiliam atque Flaminiam, in Picenum duxit. Iam enim quas expectabat, copia Heluetiorum, & Germanorum, atque item Vasconum, alaq; postremæ equitum aduenerant, & Pisanus cum Veneto exercitu antecedens, conducto Valerio Vrsino, ad Truentum amnem properabat. Valerius clade Romana elapsus Firmum peruenerat, vbi præpotentes habebat propinquos Brancadoræ factionis, cum Guerreria familia de principatu contendentes, cuius princeps erat Federicus Cæsarianæ factionis. Is Firmanorum castella inuadebat, nec Cariato antistiti Pontificis nomine Piceni præfecto parebat. Quibus de causis Cariatus Valerium sibi adiungit, & per eum, qui alam Veteranorum equitum conflauerat, Guerrerium interficit. Valerius quoque quosdam Cæsarianos in Camertium iugis adortes, Orpheo Ausidio duce cæso, profligarat, opulentáque exuerat præda. Nam Sarra Columna ab Vrbe Camerinum profectus, Varæ viæ familiæ regulos, Vetere atque legitimo dominatu depulerat, direpta Vrbe & Catharina Ciboa quæ Ioannis Mariæ Vxor fuerat, omnibus

omnibus ornamentis perfidiosè spoliata & ad Ridulphum Varanium spurium, cui ipse sororem desponsisset, dominatum ciuitatis detulerat. Ex ea Ausiliana præda, Valerius, coemptis vndique equis insignem alam auctam Siforti bus exornarat: qua fretus cohortante Pisano ad Aternum amnem contendit, nullaque negotio, citeriore nauigio atque vlteriore tarre potitus, tumultuarium pontem effecit, ad id operam insigni studio nauantibus quibusdam Venetis nautis, qui forte ad fauces amnis erant in statione, & subducta nauigia multáque materiam ad efficiendum sternendúmque pontem conuexerunt. Hoc nuncio Pisanus vehementer exhilaratus est, vtpote qui neque amnis ripam defensoribus vacuam, neque præfluentem submersi olim magni Sforti æ miserabili interitu nobilitatum, facilè transiri posse existimarat. Itaque promotis copijs, Valerius eadem celeritatis felicitate. Sulmonenses & Praecutini, Peligni que nominis gentes, in potestatem sine vulnere redegit: quod Cæsariani duces, eius regionis oppida, nullo militari præsidio munuissent, rati Lotrechium non illac factarum iter, sed per Flaminiam ad Vrbem Romam rectà perrecturum. Non videtur hoc loco prætermittendum, quid Venetis cohortibus, præunte eorum equitatu, à Sulmone iter habentibus acciderit. Eas siqui-

dem ingenti niuoſoque Ventorum turbine exorta atrox tempeſtas, miſerabili ac inopinato cladis genere penè totas oppreſſit. Nondum enim planè exacta hyeme, & in algidis & montanis euenit locis, ſerius in Ver nouum annus aperitur, & culmina montium præalta diu inſident & occupant niues. Inter duas Apennini arctas fauces imminetium vtrinque altiſſimorum montium, aduerſis iugis, non multum lata, verùm plana, vallis extenditur ſpatio quadraginta ferè ſtadiorum. Hunc locum incolæ Peligni, quinque millium planum appellant. Hæc autem eſt eius anguſti itineris natura, vt exorti venti quum ingruant, contrario in ſeſe & rapidiſſimo impetu conuoluantur, ſublatas niues è iugis deijciant, & in gyros per aera vertant, quibus media in valle iter habentes, intercluſo ſpiritu, repente ſuffocêt & perimât. Propterea explorare oportet inconſtantis cæli ſerenitatem, quæ ſubitis ſæpe momentis fallax, viatores decipit: Quoniam abditi introrſus ſpecus, conceptum naturalis terræ habitu ſpiritum, ex illis inflectentium inter ſe montium anfractibus violenter expuant, certo ſemper exitio deprehenſorum, niſi intento curſu celerrimè faucibus elabantur. Periêre in eo turbine trecenti ferè pedites, repertique ſunt rigentibus membris enecti, dormientibus planè ſimiles, quum repentina procella tempeſtas deceſſiſſet. Cognito Valerij Piſanique progreſſu, qui Aterni amnis tranſitu potiti eſſent, pontemque in eo nullo prohibente conſtruxiſſent, Lotrechius, qui adhuc erat circa Firmum, incertus, an tranſuerſis itineribus in Campaniam ſigna verteret, celeritatem ſibi adhibuit, & Venetas conſecutus copias, tormentis Aternum amnem ante parato ponte tranſuectis, in Apuliam penetrauit. Petrus quoque Piſaurius apud Lotrechium legatus, & Camillus Vrſinus cum reliquæ parte exercitus Veneti, ſeſe Piſano & Gallis coniunxerunt. Conſtabant Venetæ copiæ mille fermè leuis armaturæ equitibus, in queis erant Epirotici & Græci generis pileati peltatique circiter quingenti, Andrea Cibranio duce. Reliqui Italico more galeati, thoracatique erant, inter quos armis ſplendidior & Thracibus equis validior, Valerij ala cenſebatur. His adiunctæ erant aliquot cataphractorum turmæ, ipſaque præſertim Alfonſi Ferrarienſis principis ala, Franciſco Cantelmo nobili duce ad Lotrechium iure fœderis miſſa. Peditatus autem conſtabat Germanicis cohortibus octo mercede conductis quibus præerat Petrus Augarius nobilis Brixianus. Reliquæ cohortes erant ex delectu Italico, apud quas Gabriel Ripa veteranus ſummam obtinebat authoritatem. Eodem quoque tem-

pore Gallicis sese castris adiunxit Petrus Nauarrus, qui commeatibus cauens, & locorum notitia adductus, cum Vascombus suis & Cantabris per Sabinorum & Aquilanorum fines Fucinumque lacum, Capistrano oppido ex itinere expugnato, iter confecerat, Luceriámque peruenerat. Atque ita Lotrechius, positis ad Sanctum Seuerum castris, nusquam conspecto hoste, copias recensuit, quæ & specie & numero roboreque firmissimarum gentium, triginta ferè millium numerum implebant. Valdemontius Lotharingiæ regulí frater, qui superioribus annis ea ipse Neapolim penetrarat & Salernum manu ceperat, & regno quod antiquitus Andegauensium regum fuisset (horum enim ipse legitima stirpis erat hæres) adiudicante Clemente potiretur, legiones duas Germanorum ductabat. Præerat Heluetia legioni Tendanus comes, Bastardi Sabaudij filius, quibus addebantur subsidiariæ Sclopettariorum Italicæ cohortes. Equitatus autem Gallicus peramplus erat & illustris, cui Gherlindanus Britannus ab Henrico rege missus peculiarem alam adnexerat. Hac procedentis Lotrechij fama permoti Aurantius & Vastius, operam dabant, vt Germanos & Hispanos hærentes prædæ reliquijs, & de constituenda in Vrbe colonia cogitantes educerent. Exuisse enim vsque adeò veterem

veterem ferociam, turpique otio emarcuisse videbantur, vt nisi agre multaque commiratione seueri imperij signa sequi velle crederentur. Sed illatus ab infenso validóque hoste metus & salutis & decoris cura, vel segnes animos ad iter erexit. Atque ita vacua relicta Vrbe, Latina via profecti, ex itinere Vastius Vallemontonium Latij oppidum, quod Baptista è Comitum familia nobilis adolescens neque portas aperiret, neque commeatum præberet, tormentis expugnauit, cruenta irruptione direpto oppido, quod in ingressu, nonnulli Viri fortes et in his Bertrandus Russicus nobilis Parmensis, & Gallindus Hispanus cohortis præfectus Vastióque familiaris, cecidissent. Exinde per Hernica oppida in Campaniam iere, ad lauámque deflectentes, per Sidicinos, Exernos atque Aufanos fines & per terram demum, quam vocant Capreolanam, ex qua facilis est ab Apennino in Apuliam descensus, Troiam peruenere. Hæc Vrbs ex veterum Harporum ruinis, cuius agri pars nomen adhuc retinet, adificata dicitur, magnámque habet celebritatem, quòd edito in colle posita, subiecta Apulia campos Garganum que montem, & Hadriatici maris litora prospectet. Lotrechius vbi hostes ad Troiam constitisse dicit, Luceriam ad Nauarrum est profectus, sequentique nocte Valerium, quòd

firmis & expeditis turmis uteretur, & ipse alacri ingenio nauandæ operæ esset auidus, Troiana via exploratum misit, ut aliquo excepto, de hostium consilijs numeróque, ac eorum sede & castrorum ordine, certius cognosceret. Inter Luceriam & Troiam medio fermè itinere flumen exiguum, verùm cauis admodum ripis decurrit, in queis, pari explorandi studio, Vastius Hispanorum validam manum condiderat. Inalbescente itaque cælo, Valerius ad amnem perueniens, quum paucos equites ab amne in uteriorem ripam euadere iussisset, hostes in insidijs occultatos deprehendit. Illico quid repererit (quod ita fieri iussus erat) Lotrechium docet, petitque ut sibi liceat transire amnem & cum hoste manum conserere. Id seuerè negat imperator, sed mox alacrium iuuenum globus è Gallicis alis Valerium subsecutus, conspecto hoste, quin pertransiret, vel obtestante obsistentéque Valerio, retineri non potuit. Accensum est leue primò prælium, sed sensim acrius & ardentius, quoniam multo frequentiores quàm putassent, Hispani pedites & equites ex depressis locis prodibant. Pugna autem eò deducta est ut Galli, quanquam summa alacritate depugnarent, in magnum discrimen per ducti uiderentur: Quorum permotus periculo Valerius, vel contra Lotrechij imperium, opem ferendam

rendam statuit, ne in primo congressu ad omen uniuersi belli aliquod detrimentum vel dedecus acciperetur, quando ea Gallorum manus ex equitibus primæ nobilitatis constaret, cui se ducem præbuerat Griffeius, cùm regis gratia, tum suo bellico uigore præstans iuuenis. Nec mora, suo procursu Valerius, iam planè circumuentos & perturbatos Gallos confirmauit, opportunéque summotis hostibus citra amnem reduxit. Nam aliæ atque aliæ hostium turmæ & peditum cohortes, eo consilio ex acliuibus locis se demittebant, ut aucto numero renouatóque impetu, pulsos in amnem præruptúmque cauæ ripæ alueum præcipites darent. Succensuit Valerio Lotrechius, quòd suo iniussu amnem transisset, quasi eum punituros, nisi Griffeius cum suis defensus & proculdubio seruatus, réique peroportunè & fortiter gesta, seueri alioqui ducis iracundiam mitigassent. Postero die Lotrechius motis castris, ad hostes rectà contendit, in subiectisque Troiæ campis, equestri prælio summa utrinque alacritate certatum est, nullis quidem interpositis sclopettarijs, ita ut leui cum periculo, quantum quisque eques lanceæ gladióque ualeret, ex cristis ac insignibus nosceretur. Captus est in eo congressu Martius Columnæ impiger adolescens, quem Pompeius cardinalis patruus, paulò post pecunia redemit. Casa-

riani duces accliuibus in locis castrametati, distinctis atque ordinatis copijs sub Troia constiterant, posteróque die Lotrechius sese in conspectum dedit, tuta aciem flectens & copias ostentans, & multo tubarum clangore hostes è propinquo ad committendum prælium prouocaret. & proiectis in gyrum curulibus tormentis in aduersos ea disploderet. Sed pila in erectos per acclinia hostes minimum inferebant detrimentum quod terreno statim haustæ, vix vno aut altero interfecto, nec subsilirent, nec confertis aciebus inciderent. sic. & vni tantum significro Christophoro Ario cum vexillo dextra manus falconis ictu abriperetur. Apta videri poterat occasio conserenda pugnæ quibusdam audacibus, quòd insolentissimi hostis conspectum, tandiu minimè ferendum putarent, eundémque ducem atque eosdem hostes sæpius victos, acri concursu propelli & prosligari posse arbitrarentur: sed Vasliius & Dorbinates, Auarotij feruidos impetus moderari soliti Gallos mora & cunctatione eludendos, refrigeratáque domum eorum gentium, quæ impetu valerent, dimicandi cupiditate, sine vulnere, vti sæpe alias, debellandos differebant, ob idá, præsertim, quòd tum omni tormentorum carerent apparatu & cataphractorum alas, Garzia Mamm. & Ludonio ducibus, Neapoli profectas, atque itine-

item quorundam procerum Neapolitanorum auxilia, ipsúmque præsertim cum suis cohortibus Fabritium Maramaldum expectarent, ne priusquam bene explorata victoria, non de regno modò Neapolitano, sed de Mediolanensi quoque imperio vnius prælij alea dimicarent. Ad verò vnum eos ad confligendum hortari poterat, quòd nondum Horatius Baleonus cum Etrusca legione Lotrechij castris applicuisset: propterea aq; se pugnam differrent, hostem non nouis, sed exercitatissimis sclopettariorum cohortibus firmiorem se postea inuenturos intelligerent. Constabat enim ea Baleoni legio magna ex parte veteranis, quum sub Ioanne Medice ad summam bellicæ virtutis opinionem peruenissent. Verùm vt postea ab ipso Vasliis Dorbinoque audiui, Hispani & Germani neq; quam prisinam eo die animorum alacritatem ostenderunt, quum multorum mensium desidia, et luxu captæ vrbis eneruati, omnis; ferè præda omni decori & laudi, qua periculo parari possent, vitam anteferre, & partis diuitijs atq; otio frui velle viderentur. Per hunc modum Lotrechius frustra prouocato lacessitóque hoste, ea copiarum & pugnæ ostentatione lætus, quòd hostes alias pugnacissimi oblato prælio desuissent, copias suas reduxit in castra & septè ferè sequentibus diebus, quid consilij agitaret hostis, expectauit: quum perpetuò in eadē planitie

planitie, inter duo castra, quotidiana exercitatione, minutis et diuersis equestribus prælijs certaretur, decoro potius quàm cruento spectaculo, quum ingens vtrinq; equitum multitudo, nihil intermixtis sclopettarijs, raro lethali vulnere dimicaret. Cecidit tamen è Cæsarianis Teias Aghillarius leuis armaturæ equitum præfectus, quum aurato insignis scrupulo in aciem prodijsset, & hostes eum ab illo splendido ornatu Aurantium esse existimantes, certatim adorirentur. Hic est ille Teias immanis sæuitiæ Hispanus, qui capto in Vrbe Laurentio Granio Signino episcopo, Romanæ florenti eloquentiæ quum ille egens pecuniæ & direptæ domo, redemptionis pretium ægrè expediret, sacratum caput insolenti vulnere propè discidit. Interceptus quoque est Ferdinandi Gonzagæ alæ equitum Campegius Stagnifer cum vexillo, quum frumentatoribus præsidio missus, in Gallos equites incidisset. Tum verò Cæsariani cognito Baleoni aduentu, qui non procul inde aberat, mouêdâ castra statuunt, & rectà Neapolim multis de causis contendendum censent, vt ibi certiore spe commeatus, & maioribus præsidijs bellum geretur. Sergianum verò Caracciolum cum sua cataphractorũ ala, duabus q; Hispanorum & quatuor Italorum cohortibus, Melphim ipsum Sergiani ditionis vrbem, vt præsidio sit, dimittunt, multis q; relictis ignibus, crassiore matutina aura tecti, deceptis Gallis & præmissis impedimentis, peditatu q; omni, nouissimũ agmen valido equitatus præsidio firmant & per Creppacorij iuga, quæ sunt arcta fauces, è Samnio in Campaniam descendunt, serò persequentibus Gallis, qui in ea exorta nebulæ caligine, de discessu hostium nihil pro certo explorare potuerãt. Nec multò post Horatio Baleono obuiam missis equitibus, eius legionem ab apparatu speciei q; militum cumulatè laudatam, cum mutua gratulatione in castra receperunt. Tum verò apud Lotrechium in consilio disputatum est, an hostem prælio decertare non ausum, & ex ignobili discessu in non dubiam conuersum fugam, vti credebãt, persequi præstaret, an expediendis commeatibus, nihil in tergo, nisi pacatum omniq; metu vacuum relinquere. Guidoni Rangono, qui multi vsus dux habebatur, ipsiq; item Valdemonio, & præfectis alarum fere singulis, vniq; præsertim Valerio Vrsino magnopere placebat instare abeuntium tergis & proculdubio è clandestino turpiq; receptu, perterritos & distinctis agminibus diuersa itinera capientes, toto equitatu consectari. Fore enim, vt insigne detrimentum nouissimis inferretur: si verò hostium equitatus ora conuerteret, vt postremi agminis terga tueretur, eum per scilo-

sclopettarios, Etrusca præsertim legionis, qui essent summæ pernicitatis atq; peritiæ facilè sustineri atq; propelli & si fugam intenderent, exui impedimentis quo eventu nihil ipsis Romana præda onustis grauius, nostro verò militi latius, & ad opinionem speratæ victoriæ confirmandam atq; attollendam, vtilius & speciosius accidere posset. His Nauarrus (si vxuersi belli exitus spectetur) fatali sibi & Lotrechio cæterisq; ducibus & copijs maximè funesto cõsilio contradixit, veteré secutus belli rationem, ne si feruidis animis abeuntibus hostibus incumberent, ea omnis quæ tum potirentur, adipiscendi commeatus facultas amitteretur. Neque enim sperare debere, vt vicos & oppida commeatibus plena per quæ antecedens & prædabundus hostis transiret, diffugientibus metu incolis reperirent. Relinqui siquidem in tergo Melphim opulentam vrbem, militari præsidio & peculiaribus Sergiani reguli viribus confirmatam, vnde frequentibus eorum eruptionibus impediri atque intercludi subuectiones frumentarias posse, nemo belli regionisq; peritus non dubitaret. Itaque sibi Melphim omnino aggrediendam expugnandamq; videri, & circunjecta oppida in potestatem redigi debere, vt nihil hostile retro metuant & deficientium ab hoste eius tractus populorum fama aucti, ex tuto Neapolim

polim vsque penetrent. Hæc apud Lotrechium sententia vicit, quum nec fugientes & perturbatos propè Cæsarianos Fortuna desereret. Nec mora, Nauarrus cum iusto tormentorum apparatu Melphim contendit, eiusq; prolatis magnum in muro hiatum fecit, sed nequaquam vsque adeò latum, vt non plus quàm bini aut terni milites irrumpere posse apparet. Subiere tamen temere atque audacius quàm expediret, Etrusca vexilla, quæ quum per arduæ eniterentur & difficiliorem opinione aditum reperirent, multis interfectis & vulneratis, retrouersa sunt egregiè propugnante Sergiano. Cæterum Vascones & Cantabri Etruscis successere, magnaq; vi ad delecti muri aditum dimicatum est, maiore oppugnantium cæde atque periculo: Quoniã Nauarrus, vt conglobatis cohortibus latiorem ingressum pararet, tormẽta in eam partem continenter ita adigi iubebat, vt multi qui primi ascenderãt, tergis pilas excuperent & miserabilis sociorum strages ederetur. Sed his incommodis atque vulneribus accensi pariter Vascones & Etrusci, si factæ in vrbem perruperunt, neque quisquam fidè ex Hispanis & Italis, qui erant in præsidio, tuti victoriæ sauitiem effugit, manauitq; ea cædes ad oppidanos, tanta rabie, vt infantibus & fœminis agrè parceretur & victores inter se de captiuis

ptiuis & præda rixantes, cateruatim manu consererent, quæres cæsorũ stragem accumulauit: Nam à Nauarro circiter quingenti omnis generis milites desiderati sunt, ex oppidanis autẽ & præsidiarijs cohortibus & turmis, supra tria hominũ millia cecidisse referuntur. Captus est ipse Sergianus Caracciolus, qui constantissimè, vti debebat, suã vrbem defenderat. Melphi expugnata, Venusini Gallis deditionem fecerũt, quorum exemplum secuta sunt pleraq; oppida Lucania & Apulia, apud quæ nõ ingratum erat ex veteribus studijs Gallicũ nomen. Atq; eo modo Nauarrus, quum nulla hostium manus occurreret, ad Latrechium reuersus est. At Casariani ex itinere Arriano oppido direpto, quod Arrianenses ex vetere factione Gallorũ aduentũ expectare viderentur, præter Auellinũ et Montefusculum lacteis figulinis nobile, tripartito agmine quum Aurantius cũ Germanis præederet, Gonzagæ cũ equitatu latè diffuso, quòd nemo instaret hostis, subsequeretur, et Vastius cum Hispanis Nolam peteret, paucis diebus vno fermè tempore Neapolim contenderunt. Cæterùm Hispani ad Nolam more suo stipendia flagitantes, vix concionantis Vastij cohortatione, ad seditionẽ consternati, in officio contineri potuerunt, increpita scilicet malignitate atque stultitia eorum, qui prædæ diutes instante

stante tergis hoste stipendia vel meritæ, importunissimo tempore postularent. Ad id impudentiæ facinus milites Dorbini operæ incitatos, Salsedus eximiæ virtutis veteranus dictitabat, non obscura dignitatis obtrectatione, quando is ad honorem magisterij castrorũ, quo Dorbinus fungebatur, vehementer aspiraret. Qua de causa Dorbinus, vt calũniam dilueret, capitale ausus facinus spectãte Vastio, in Salsedũ ensem distrinxit, eiq; brachium discidit. Eius atrocis & insolentis facti conspectu acriter permotus Vastius, in Dorbinũ irruit, suæ manu Salsedi iniuriã & percussoris temeritatẽ vindicaturus. Quo animaduerso Dorbinus ex irati ducis oculis vitæ suæ periculo, in genua procũbens, gladij cuspide comprehensi capulum duci porrigens: hoc inquit in meam necem vtere imperator, qui iracundè toties quàm iniquè, nominis tui offensa maiestate deliquerim. Tanta enim erat erga Vastium vetus Dorbini reuerentia, vt effugere metu mortis dissuderet. Hic demissi & supplicis nec mortem deprecantis habitus, paratam semper in Vastio generosi animi clementiam facile exciuit, eiq; non modò pepercit, sed primum honorẽ, qui erat summus in exercitu, etiam conseruauit: quod strenuissimi viri eo graui bello virtutẽ magno sibi vsui futuram iudicaret. Sed Salsedus nequaquã mortiferi

vulneris sed implacabilis animi dolore, multos post dies Neapoli excessit è vita. Quem Cæsariani duces ad Neapolim cōiunctis copijs peruenissent, & Vastius orantibus Neapolitanis, & sese omnes affatim commeatus suppeditaturos pollicentibus, castra idoneo loco extra vrbem ponendu censeret, Vgonis Moncata & Alorconis sententia præualuit, qui introducendum in vrbem exercitum contendebant. Quoniam dilabentibus & in fidem mutantibus quibusdam Andegauensis factionis regulis, populum ab ipsius lenitate, nouis rebus & regibus semper studentem, defecturum crederent, quum primum Gallica signa conspiceret. Contineri enim in officio & fide facile posse, præsentibus, & portas & mœnia tuentibus militum præsidijs: quando paratus esset in vrbe & in arcis horreis frumenti & commeatus omnis generis copia, vinique præsertim, quæ vnaue allici promereriq; Germanorum animos conflaret. Hunc reliqui duces Aurantius & Gonzaga, militibus id expetentibus fauere soliti, sententiam approbarunt, vel grauiter reclamante Vastio, qui eo consilio vrbem misere & propè hostiliter à secijs diuertam iri, intromisso exercitu prædicabat. Sed nihil eius ante prouisa calamitatis detrimentum, externorū ducum animos permouebat, vtpotè qui neglecto omni ciuium incommodo, vni tantum defensioni vrbis, publicæq; militum saluti prospicerent. Atque ita frustra lugentibus Neapolitanis, per idonea vrbis loca, exercitus regionatim est distributus. Nec multo post Lotrechius cum omnibus copijs in conspectum se dedit, castrametatusq; editis in collibus, & perductis perpetuis munitionibus, qua ad mare vsq; pertinerent præaltis atq; admirādis aggeribus se circūsepsit, ipseq; in Aragonij Montalti Villa prætorium fixit, qua exeuntibus ab vrbe, Campana via ad dextram relinquitur, Nauarrus autem diuersis constitit in iugis, qui ad lanam vltra diui Martini collem vergunt et Ianuarias portas imminent, & in Iouinis Rossi Villa munitissima castra constituit, eo cōsilio, vt longam obsidionem terra mariq; instituerent. Et Sicinus Neapoli vrbes, Capuā, Auersam, Puteolos & Nolam, quas occupauerant præsidijs obtinerent. Tum verò Galloriē antecursores atq; admixta aliquot stipendiariorum cohortes, ab æde diui Antonij ad Campanam vsque portam decurrerunt, in quas Cæsarianorū globus erupit, certatumq; est tumultuaria pugna, sed paucis vtrinq; interfectis, quum Galli aucti numero vehementer premerent, Cæsariani, cadente Verreio, intra portam compulsi sunt. Hic Verreius, vt supra diximus, ab Hispania missus à Cæsare Romā,

ad duces mandata detulerat: Verùm postea
deprauatus malignitate quorundam, ne in-
teresset pactionibus, quibus Pontifex dimit-
teretur astutè quidem, sed leuissimè Neapo-
lim concesserat, primusq; improbæ suæ uolun-
tatis pœnas dedit. Exinde cunctis ferè die-
bus leuia certamina serebantur, quum Galli
audacter procurrerent, & Cæsariani erum-
pentes, nous hostis ferociã egregiè sustinerent.
His minutis prælijs nonnulli utrinque eccide-
runt, quòd intermixti equitibus sclopettarij
rem gererẽt & eos dispersos Hispani leuis ar-
maturæ equites turmatim aggrederentur.
Per hunc præliandi morem, Roscinius Ciarin
nobilis atque fortissimus inter Etruscos inue-
nis, quum suos dissipatos recipere conaretur
ab equitibus est interfectus. Interim Neapoli-
tani inexpectata ab Hispanis atque Germa-
nis domesticarum rerum detrimenta perpes-
& duriora in dies expectantes, sese priuati
obsidionis arumnis periculoq; publico eripere
cœperunt, atq; inde nauigantes in proxima
Capreas, Aenariam, Prochytam & Surren-
tini litoris tuta ab hoste atq; salubria loca se
conferebant. E proceribus quoq; Neapolitani,
pleriq; dilapsi sunt, et in his mutata fide mul-
tò maxima pars Andegauensis factionis ad
Gallos transijt, primusq; omnium Vincentius
Carrafa, Montis sacræ arcis oppidi regulus,

Cæsa-

Cæsarianis diffidens rebus, ad Lotrechium se
contulit. Huius Viri iudicio, quòd exacta mi-
litaris prudentia haberetur, multi sunt te-
mere subsecuti, quòd à tanto Viro, consilio an-
ceps, nisi graui cũ ratione susceptum non exi-
stimarent. Ex his fuere Caracciolus Murco-
nij comes, Ferdinandus è Pandona familia
Bouiani regulus, Federicus Caietanus, Fran-
ciscus Aquinas Quadrata in Apulia regu-
lus, qui demum finito bello aut securi percussi,
aut bonis mulctati, male sanæ et infidæ leuitæ
suæ pœnas dederũt. Sergianus quoq; Caracciо-
lus qui animo tam forti quã fideli apud Mel-
phim captus fuerat, quũ aliquandiu summis
precibus ab Aurãtio, ut redimeretur, impetra-
re nequiuisset, ab hac cõtumelia indignabun-
dus Lotrechio liberãti sese addixit, dictoq; sa-
cramẽto, à rege alæ equitũ præfecturam pro-
meruit, et decora sacri ordinis nobiliũ procerũ
torque donatus est. Interea Neapoli, quãquam
magna frumẽti copia suppeteret, coficiẽdi pa-
nis difficultate & sq; adeò laborari cœpta est, ut
Germani præsertim frumento cacabis excocto
uescerẽtur. Nã & frumẽtariæ molæ, quæ sunt
ad Sebethũ fluuiolũ & aliæ, quæ sunt in Gla-
ni amne ad Acerras, atq; Succulã, in potesta-
te hostiũ erant: cui incõmodo solerter occurre-
batur ab Hispanis & Italis, qui paruas è la-
pide suburbano molas manu ductiles confece-

rant, quibus triticum egregiè, sed nequaquã
affatim molebatur. Nec Viri iam tanta supe-
rerat copia, quæ satis esset Germanis, aqua
potum, tanquam Visceribus noxium abomi-
nantibus. Eius quidem desiderio tanquam
æquum & debitu postulantes Vniuersas propè
Vrbis cellas cum fremitu scrutabantur, sic vt
Dandalam ipsius Vasily domum sæua irruptio-
ne violare nõ veriti, aliquot Græci Viri dolia
subter hortum manu factis scrobibus recondita
ex indicio infidelis fabri detegerent, fæliciq;
totius exercitus concursu, perpotando gaudia
& aquarijs cuppis assortando ocyssimè exhau-
rirent, quum modicè parcendo, omnibus per
aliquot dies sufficturæ crederentur. Interea
accitus à Lotrechio è Genua Philippus Auria
Andreæ Auriæ Gallicæ classis præfecti legatus,
cum octo triremibus circa Neapolim ve-
nit, cuius aduentu propè omnis aduentitij cre-
atus spes hostibus intercluſa videbatur.
eoq; ardentius, quòd supra Ligusticam classem
Venetorum quoque triremes circiter viginti
superato Messanæ freto, ad inuadenda obti-
nendaq; litora, præpediem Ventura nuncia-
bantur. Qua rerum fama adducti, Cæsariani
duces, priusquam Venetæ triremes Siculi fre-
tum transirent, cum Philippo confligere statue-
runt. Habebant Cæsariani sex tantum trire-
mes, biremesq; duas, confisiq; virtuti militum

& quatuor magnarum nauium scaphis quæ
scloppetarijs impleuerant, & reliquis pari ra-
tione minoribus nauigijs quæ frahatæ vocan-
ter, concurrere rostris, manusq; conserere mi-
nimè dubitabant. Erat enim cum Vastio, quæ
cum Vgone Moncata Prætoriam cõscenderat,
delectorum suos militum: nam Dorbinos accu-
ratè fortissimum quenque & Cantabrico ma
ri assuetum virtim delegerat, & in his prom
ptissimos centuriones atque signiferos, quos ni
hil maris nauseæ atque iactatione perturbari
consuesse didicisset. Conscendit quoque & ipse
magister equitum Ascanius Columna & ple-
rique alij Viri insignes sua sponte, nihil de Vi-
ctoria dubitantes: & ne Germani quicquam
Hispanis de virtute concederent, Conradino
Glornio duce, circiter ducenti, duas triremes
compleuerunt, magnaq; alacritate, è Pausi-
lypo soluentes ad insulam Capreas contende-
runt, atque ibi iuxta fontes ex iucundiore mo
ra largiùs epulati, Consaluo etiam Barectæ
Lusitano cucullato, què religiosa solitudinis
causa illis in rupibus tugurium condiderat,
conuiuanti aures præbuerunt. Is vehementissi-
mè cohortatus duces singulos obtestabatur, vt
pristinæ virtute vti, pietatisq; patriæ memo-
res, crudeles Vlyssei Ligures, atq; eos acri ma-
ximè impetu inuadere ad non dubiã victoriã
vellent, scilicet, vt tot miseros Hispani generis

Giros longè fortissimos, quos illi perpetuis verberibus & contumelijs affectos & pro seruis remigibus catenatos, ad transtra detinerent, erumnosa atque infami seruitute liberarent. Dum prolixè atq; inflammatè Barecta concionaretur, Biordus Agnesius Neapolitanus nō tam Gallicæ factioni addictus, quàm Hispanorū arrogātiæ infensus, in aduersum insulæ litus se demisit, & veloci vectus naucula ad Philippum aduolauit, primusq; certum nuncium tulit de numero apparatuq; & ducibus Cæsarianæ classis. Quo cognito, Philippus supplementum vnius centuriæ sclopettariorū à Lotrechio postulauit & accepit. Nec diu post Cæsariana classis pluribus expansis vexillis conspicua, à Capreis discedens in conspectū hostium se dedit. Erat tum Philippus orā legens Salernitani litoris ad Concham stationem quam promontorium tenue, Vrsi caput à nautis appellatum suo obiectu efficit. Id abest non magno spatio à prominentiore Campaniæ promontorio, quod Athenæum antiquitus dictū hodie Campanellam incolæ vocant. Ea species ornatissimæ hostium classis, non mediocriter Ligures commouisse visa est, sed rei nauali periti eam mox non ineptè contempserunt, tanquam secus ac disciplina flagitaret, nullas ad mali summitatem caueolas quas gattos vocant habentem. Ea cauea summis alligata malis,

malis, singulos speculatores simul & propugnatores continent. sicuti in carcheſijs onerariarū nauium fieri videmus è quibus deni, & sæpe pro nauigij magnitudine viceni homines saxis atque missilibus propugnant. Tum verò Philippus aduocatis in prætoriā nauem trierarchis, his ferè verbis eos allocutus est, digito adnantē hostiū classem ostendens. VIRI, inquit, generosi inuictaq; virtutis ciues optimi, magnum hodie nobis (vti video) ex certa propè victoria decus proponitur, cum numero tri-remium, cunctisq; rebus bellici apparatus, & fortitudine animorum, peritiaq; rei naualis præstemus. Sint vtique hostes nostri, vt ipsi iactant, egregiè pugnaces terrestribus prælijs, in nauali certe concursu, neque discurrere, neq; se conglobare expeditè poterunt, cum inter transtra & angustijs in foris sibi sit dimicandum, excipiendaq; sint, vti sors ferat, tormentorum pilæ, quum nullus receptui aut declinationi locus propugnantibus relinquatur, præpediente præsertim remigum turba, quæ obiecta ictibus, & suo periculo terrefacta, facultate consistendi, aut locum mutandi prorsus eripiet. Itaque cum nihil de receptu nobis sit cogitandum, & ne dedecus admittatur, omnino sit cum oblato hoste confligendum, existimate veterum maiorumq; nostrorum gloriā, tot prosperis naualibus prælijs partam, in dextris ve-

stris atque peritia esse repositam. Hanc Vti reor quisque optimus ciuis, non conseruare modò sed augere plurimum debet, ne degeneres atque oblitæ disciplinæ, & socijs pariter atq; hostibus existimemur. Ipsum verò Andream Aurium imperatorem nostrum præsentem adesse putatote, & virtutis ac ignauiæ futurũ testem vt fortibus digna præmia, aut æquo iure ignauis ignominiam paret. Trierarchi vocẽ sustulerunt, quam alacres & pugnæ auidi edere solent, paucisq; verbis de excipiendi atq; inuadendi hostis ordine inter se constituentes, vt quæ in rem opus forent aptè pararent, ad triremes suas continuò redierunt. Summa expediti decreti fuit, vt Philippus quinqueremi strato suis in hostem inueheretur, cũ reliquis verò tribus Nicolaus Lomellinus in altum euadens, vbi captum foret prælium, capto circuitu, reflexoq; opportunè remigio, in puppes lateraq; hostilium nauium, prætoria præcipuè petitæ, audacter incurreret. Itaque Philippus è promontorio in apertum mare progrediens, sese ad pugnam obtulit, neque Vgo vel ob id eã detrectare ausus est, quòd tres quas diximus Lomellini triremes concepto metu aufugere crederet, & iniqua conditione quinas Aurianas secum concursuras arbitraretur. Vbi appropinquatum est, ambæq; prætoria ad mutuum concursum proras dirigerent, Vastius salubri

salubri ratione Vgonem hortabatur, vt prior maius tormentum emittere properaret, vt exorta fumi caligine, hosti certior ictus eriperetur. Sed Vgo, qui rei naualis peritissimus existimari volebat, & dudum cunctis veteribus trierarchis ad Capreas pugnæ aleam minimè subeundam differentibus, ignauia increpita contradixerat, tandiu displodere tormentum distulit, vt Philippus in id sedulò intentus, atque aptè collimans, suum ingens tormentum, quod Basiliscum appellabat, in hostem emitteret. Haius immanis pila perfractis supra rostrum crassioribus pluteis, quæ Rembatæ vocantur, cum horribili strage hominum per foros à prora in puppem peruolauit tanta violentia, vt discerptis supra triginta partim militibus partim naualis officij magistris & remigibus etiã in ipsa puppe multos insignes discerperet, & in his Petrum Cardonam Siculum Vastij propinquũ qui geminos fratres Valpergæ Malinij reguloς, obtrectatione amatorem apud Mediolanum interfecerat, & Leonẽ Tassinũ Ferrariensem, à quo Geuarræ Potentiani reguli filius, ex simultate Vastij cũ patre cœpta, magna spei adolescens insons nuper fuerat cõfossus. His accessit Guismanus Hispanus mira dulcedinis citharœdus, qui iocẽ causa (vti fata trahebãt) conscensis iã primcipibus & ornãi soluctibus in prætoriã per remos

prorepserat, sic vt horum cruore atque viscéribus Vastius & Vgo fœdarẽtur. At Vgoniani libratores, ita suum ingens tormentum in Philippi Prætoriam direxerunt vt præpediẽte hostili fumo, non magnum inferret detrimentum, quoniam Ligures secus ac Hispani, non per foros expositi ictibus, sed ad scalmorum proiecturas quas posticcios vocant, intra circumseptas solidis asseribus spondas proclinati, inter remiges consistebant & per fenestellas tanquam e mœnibus, crassioribus sclopettis rem gerebant. Interim dispari Fortuna Cæsariana tres, quarum nomina hic minimè prætereunda putamus, Gibba Iustiniano Ligure vetere trierarcho, in qua propugnatoribus præerat Cæsar Feramusca & cũ hac duæ Catelani generis Secamia, à Secamo impigro trierarcho, & Villamarina pariter à Bernardo Villamarino nuncupatæ, concitato remigio Aurianas duas Peregrinam scilicet & Donzelliam, quæ vox pedisequam virginem significabat, adactis rostris inuaserunt vehementi, edito certamine in eas Hispani milites egregio ausu transilierunt. His conspectis rebus, Lomellinus opportunè ex suo flexu conuersis proris, vti constitutũ imperatum q; fuerat, ad nauandam operam aduolauit, trino q; impetu in hostilem Prætoriam inuectus est, eo ordine, vt vno tempore tria maiora tormenta in hostem

in hostem dissloderentur. Maura puppem detorso gubernaculo perfregit. Cæterùm Patrona, quæ ab inaurata Neptuni imagine, Neptunia vocabatur, disturbato foco, & aliquot remigibus discerptis, malum perfringens, ita conuellit, vt quod miserrimum & in multis lethale fuit, antennæ conciderent, quarum casu complures oppressi sunt, & in his Hieronymus Tranensis qui in vniuersa tormentarij negotij præfectura, Antonello patri Cæsaris munere successerat. Domina verò, qua matronæ perornatæ ad puppem signum præferebat, rostrum & reliqua prora tabulata decussit. Nec mora ea tres conuersis remis iam ab hoste Peregrina atque Donzellia captis, maturè opem tulerunt. Porrò Maura tum peritissimè sese circumuoluens, in oppositam Gibbam, minorum & mediocrium tormentorum procellam grandinis modo effudit, graui Gibbæ periculo: nam præter epibatas & remiges fœdè occisos, Cæsar etiam Feramusca, smerilij, quod est minoris falconis genus, pila trajectus, in mare decidit: Ipse verò Iustiniano trierarcho femur glande traiectum & Baredes centuriæ sclopettariorum præfectus, tribus mortiferis vulneribus est sauciatus. Alia in parte Perpenniana & Calabrensis Oriana nomen accipiens à familia trierarchi, qui inclyti olim naualibus victorijs Rogerij

gerij Oriæ stirpis esse dicebatur, quum hostiles Syreniam atque Fortuniam adortæ, strangue magno affecissent incommodo, & ferè in potestatem redegissent, conspecta suorum clade, incolumes in fugam se dedere. Desperatæ nanque victoria, quòd stratum viderent Prætorie Vexillum, & Villamarinam atque Secaniam circumuentas, subindéque receptas, quas Hispani paulò ante occupassent, Peregrinam atque Donzellam, dispalatámque scapharim & biremium classiculam constituerent, sese seruare Cæsari, quàm cum reliquis eundem aduersæ sortis casum subire maluerunt: quanquam id consilium vti nimis propere captum à multis improbaretur. Ab hac duarum triremium fuga, extemplo concessit Philippo victoria: nam Vgo qui rotundo protectus scuto nudatóque ense pauitum à puppe discesserat, dextrum glande brachium, coxámque sinistram parui falconis pila ictus ceciderat. Vastius quoque in ceruice iuxta aurem fictili globo incendiarij pulueris grauiter sulneratus, crebris lapidum è gatis iaculationibus contusa galea malè mulctatus. & Ascanius Columna dextra & altero pede debilitatus Lomellino deditionem fecerant. Philippo autem in parandæ victoriæ magno vsui fuerunt Mauri Turcæ remiges, quos promissa libertate exutis compedibus

& distributis armis ad prælium accenderat, tanquam veteres Hispanorum hostes, Vgonis præsertim nomini infestos. Hi nanque longè fortissimè atque audacissimè dimicantes, in hostiles triremes transcedere nudi prorsus & gladijs scutisque contenti non dubitarunt mortuo Vgoni barbarico fremitu aliquandiu illuserunt, cadauer circumsistentes, & cum risu interrogantes, num adhuc adenda Africæ litora esset reuersurus. Per hunc modum ad Vrsi caput Amalphitani litoris nauali prælio, quo nullum ætate nostra cruentius fuit decertatum est: Nam septingenti circiter veterani milites Hispani præter totidem remiges & nautas Cæsarianæ classis, aut trucidati, aut demersi periere, & Philippus victor in vniuersum epibatas & remiges ad quingentos, & in his aliquot peritos gubernatores & nautas, atque vnum omnino trierarchum desiderauit. Ex hostilibus duas triremes, & ad has biremem, & aliquot scaphas, myoparonémque vnum, quem brigantium vocant, demersit, binis in altum, vt diximus, fugientibus, reliquas duas, in quibus erat Prætoria, manu cepit: quibus suarum, quæ tormentis quassatæ satisfecebant numerum suppleuit. Præter Vgonem & Feramuscam fortissimi cohortis Præfecti, interfecti sunt, Macinus Daia Cantaber, Ioannes Biscainus, Zambronius atque Baredus,

Baredus. In potestatem verò ciui deuenere præter ipsum Vastium, & Ascanium Columnam, Franciscus Hicardus trierarchus, Ludouici arcis Neapolitanæ præfecti germanus frater, cui pugnanti grauioris tormenti pila ab ima nate pulposum femoris torum horribili sed non mortifero ictu, quod habitu esset præpinguis, abripuit. Philippus item Cerbellio sine vulnere & Ioannes Caietanus, Vaurius Belga, Acogna Gallus Borbonij profugi scutelles, & Seronites Hispanus Neapolitani senatus scriba, illustresq; equites Camillus Columna, & Annibal Genarius, Vgonis amicitia clari. Reliqui centuriones atque signiferi, militésque qui non essent vulneribus debilitati, iniectis catenis, ad remum translati sunt, vt in locum demortuorum, & Barbarorum, qui edita forti opera, libertatem meruissent, opportunè succederent. Hæc fortasse aliquanto curiosius atque diffusius, quàm institutus prealti operis labor breuitatis admonens postularet, descripsisse non piguit. Quoniam hæc pugna inter memorabiles nostri seculi maximè funesta extitisse visa est, & ego totius eius prælij euentus certissimus testis & propemodum spectator fuerim, quum in Aenaria, vbi tum eram Romana arce elapsus, atque liberaliter à Vastio receptus, reboatu tot tormentorum exaudito, qui per maris æquo

ris æquora longissimè diffundebatur, commissi quidem prælij fama, sed incerta victoriæ rumor nunciaretur. Obsecrantibus enim nobilissimis mulieribus, quæ de salute coniugum vehementer erant solicitæ, vt honestissimum pietatis officium implerem cum duabus frahatis validissimo remige instructis, fretus Philippi (si fortè victor euasisset) amicitia ad classes contendi. Is nihil ea victoria elatus, appulsum humaniter suscepit, facultatémque continuò concessit, vt duces captos in Maura trireme custoditos inuiserem: Quibus ideò gratissimus aduentus meus fuit, quòd de vxorum salute nuncium & opportuna quædam eorum calamitati lenimenta deferebam. Ab his deratione euentuq; prælij sigillatim edoctus, rediens ad Philippi Prætorium, mare cadaueribus constratum conspexi, sic vt Philippus benignè studioséque disserens, ea quæ audieram, magna ex parte confirmaret, & multa, quæ sibi accidissent, copiosè atque fideliter enarraret. Eius verò tanta fuit humanitas, vt à se, maurata Vastij arma, me deposcente, impetrari pateretur. Timebat enim Vastius, ne Genuæ in trophæi morem, quòd essent speciosissima, celebri in templo, vti voto dicata suspenderentur. Quum essem apud Philippum, superuenit Ioachimus Leuantius Ligur à Lotrechio missus, qui deposceret captiuos, sed ille negauit se

daturum, quando eos ad ipsum Andream Auriam ammirantem, deducendos esse iudicaret. Vgonis verò cadauer, vt illudentium Barbarorum contumelijs eriperetur, ad Amalphim vrbem delatum est, in adeque Andreæ Apostoli, tumultuarijs exequijs tumulatum. In hac vrbe citriorum & medicorum odoratis memoribus æquè peramœna & celebri, Magnetis vsum nauigantibus hodie familiarem & necessarium, adinuentum fuisse incolæ asserunt. Celebratur quoque hæc vrbs admirabili liquore, qui ex sepulchro Apostoli, quod est ad aram templi maximam, exudat. Hunc religiosè collectum aditui languentibus mirè prodesse persuasum habent. Ferunt Clementem, Sibi ex literis, quas ad eum ex ipsa Philippi victoris Prætoria perscripserat, de euentu eius nualis pugnæ certius didicit, vel ob id magnopere fuisse lætatum, quòd ipse Vgo Moncata & Cæsar Feramusca præcipuè cecidissent, quarum ille occupato Vaticano, & sacrarijs augustissimi templi direptis, primum imitatrix Vulnus: hic verò ab Hispania pro legato Romam missus, nequaquam syncere Cæsaris voluntatis ad traducendum fulsius Gades exiterit, vt immortalis demum DEVS totum id impietatis atque perfidiæ scelus, non seruus vltor vindicaret.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis LIBER XXVI.

SECVNDVM aduersam naualem pugnam Cæsariani duces, nihil sese animis demiserunt, tametsi exuti classe, veteranorum militum longè fortissimos amisissent, & iam Philippo victrici sua classe captiuos in Liguriam perducente, Petrus Landus, qui posteæ Venetæ Reipublicæ effectus est princeps, cum viginti rostratis nauibus à Massanæ freto in Campaniam peruenisset. Superioribus nanque diebus Corcyram delatus, ascito sibi cum aliquot triremibus Ioanne Moro Hadriatici sinus præfecto, Apuliæ oppida prosperè tentans, Malam Polygnanum, atque Monopolim, quòd hæ vrbes iam pridem moderato Venetorum imperio assuetæ, ab Hispanis cupidissimè rebellarent, in deditionem acceperat: & cum

Brundusini ei portas aperuissent, alteram, quæ à terra est Vrbis arcem oppugnare parabat, eo belli successu, Vt omnibus Apuliæ & Calabriæ, Salentinorumque oppidis potiturus esse crederetur, nisi acceptis a Senatu literis, superare Siciliæ fretum iussus, interrupto Victoriæ cursu ad Tyrrhena deflectens litora, Neapolim vela direxisset. Itaque Landus aduentu suo legendo oram ab Athenæo Minervæ promontorio Vsque Misenum mare intercluserat, ne vllum omnino nauigium, quo importari commeatus posset, Neapolitanum in portum proueheretur, perpetuisque custodijs a Cumano litore, vsque ad Formias & Caietam extendebatur, & turrē, quæ est ad ostium Lyris amnis, tormentis aliquandiu quassarat, molisque subinde frumentarijs, quæ sunt ad Scauros potitus, minoribus etiam nauiculis quæ moliti tritici, & recentem pomorum ac hortensium rerum copiam obsessis expetitam adueherent, commeandi facultatem eripuerat, tanta seueritate, Vt quosdam bis captos, laqueis in antemna suspendi iuberet. Sed is terror nequaquam erat tantus, Vt spem lucri in quibusdam minueret, nauicularijs scilicet hominibus sæpe velocissimo intercursu triremium stationes eludentibus, cum ab Aenaria, & Capreis, Prochytaque & Surrentinis vicis soluentes, felici audacia sese Neapolim inferrent. Quibus rerum subuectionibus obsessi veluti oblato recenti obsonio, mirum in modum lætabantur, quandoquidem ingens eis frumenti copia abundè supperet, vnde famem vel in multos menses minimè timendā prospicerent. Quòd verò confuciendi panis deesset facultas, huic desiderio, varijs contusi & ahenis excocti tritici pultarijs occurrebant. Quotidianæ quoque exercitationis maioris et minoris pecoris præda ex hostico raptæ, opportunè panis inopiam subleuabat. Nam nocturnis excursionibus emissa prædatum turmæ cum præsidio peditum, semper aliquid recentis obsonij referebant. Sed vnus in Campania famosus latro, qui Verticillus appellabatur, cum exul præteriti maleficij veniam ab Aurantio per Fabritium Maramaldum impetrasset, obsessos, inuecto multo pecore mirificè adiuuabat. Ei siquidem saltuosis & nemorosis locis assueto, notissimi erant obliqui tramites, quibus Campania, suburbanaque præsertim ad incertum iter obsita est, eratque ita familiaris vicis atque oppidis, Vt quot boum iugis ager araretur, in numerato haberet, solertissimeque insidiosus, vnde maximè nocere cuperet, quam volebat prædam abigeret. Vsque adeò feliciter vitatis, aut deceptis Gallis, Vt vna nocte supra centum boues Neapolim perduceret, & vsque ad belli exitum nihil industriam suam Vti pollicitus fuerat, vs-

quam remittens, sæpe iuxta hostium castra impunè prædaretur, sic vt Gallis frustra indignantibus magno detrimento foret, & Cæsarianis singulare commodum attulisse diceretur. Sed is confecto demum bello, ita inexpectatum cives beneficij præmium tulit, vt à prætore Capuæ viro Hispano, & vt plerunque fit eius spolijs inhiante, comprehensus in furca suspenderetur, iusta quidem veteris maleficij pœna, sed omnino iniqua si recentis publici beneficij memoria spectaretur. His Cæsarianorum terra marique obsessorum incommodis permoti aliquot Neapolitani proceres, ne inclinata victoriæ euentum cunctantes expectare viderentur, in oppidis suæ ditionis Gallicæ vexilla sustulerunt. Nouum etiam ex Brutijs aduersus Cæsarianos excitatum est bellum, quum plerique circa Cosentiam Amedegauensis factionis nomen, ex prioris belli memoria libentissimè complecterentur, cohortante eos ad rebellandum Simone Thebaldio Romano duce impigro, qui in eas regiones cum ala equitum, tumultuarijsque cohortibus (ex itinere siquidem milites conscribebat) à Lotrechio fuerat missus. Iam æstas à solstitio in autumnum inclinarat, & tertius obsidionis mensis agebatur, quum Ferdinandus Gonzaga aliquid grauiore eruptione tentandum ratus, Puteolana via per Cryptam perforati olim

olim à Cocceio Pausilipi montis, validam equitum & peditum manum eduxit, eo consilio, vt hostes ab Auersa atque Puteolis excurrentes, in insidias, vti euenit, præmissis Epirotis equitibus, pertraheret. Fauit astuto consilio Fortuna, nam quum Zucerus Epirota & Ianitius Hispanus sese ostendissent, non continuère se Galli equites, in quibus erant Scoterum cataphractorum turmæ, quin patefactis Auersæ portis, in conspectos statim hostes erumperent. In quos Gonzaga, qui depresso in loco iuxta Regiam Beluederij villam consederat, ex insidijs opportunè consurgens, magnam eorum partem à leui armatura circumuentam, facto vehementiore impetu fudit, & quòd essent grauioribus protecti armis & segnibus vtentes equis, intercepit, vsque adeo graui, tum dolore damnoque Lotrechij, vt Auersani præsidij curam, duplicato amissorum equitum numero, confirmaret, quòd hostium audaciam, qui illuc vsque insolenter excurrere atque prædari consuuissent, iusto aliquo certamine vindicandam, parique æstu acceptum incommodum omnino sarciendum esse iudicaret. Nec multos post dies Gonzaga, qui de Auersano equitatu adaucto didicerat, auidus rei gerendæ in eadem loca ampliores copias quæ frumentatoribus præsidio forent, eduxit. Nam tum demessa segetis plenissimus erat

ager, quæ res agasones & pabulandi simul & frumentandi cupidos vehementer alliciebat. Gonzaga constituto ad tendendas insidias hoc ordine procedebat, cohortes Germanorum idoneo in loco collocantur (agminis enim frontem obtinebant) ipse cauæ in valle, quam latrocinijs infamem Pecoream incolæ vocant, cum equitatu leuis armaturæ & cohorte vna Hispanorum se condidit: quum antea Garzia Manrico, vt cum sua cataphractorum ala in postremo agmine frumentatoribus præsidio foret, præcepisset. Theodorum vero Boccalum Spartanum senem inclytæ virtutis ducem cum suis alarijs præcurrere & sese ad Auersam hostibus ostendere iussit, vt inde excitos præproperos natura homines, simulata fuga in insidias eliceret. Sed Galli recenti suo malo edocti, non iam turmatim dissipati, verum densato agmine, in quo erant equites galeati amplius mille, & pluribus expeditis sclopetarijs vnà desumptis, vsque adeò graui impetu retro se vertentem (vti à Gonzaga præceptum fuerat) Boccalum inuasere, vt quum fugientem acriter persequerentur, ei institutum iter præciderent, sic vt Græci equites cataphractorum metu ipseque Theodorus, alia quàm putarat via per campos patentiores effusè profugere sit coactus, & Gonzaga quòd ille secus ac præceperat tandiu tardaret

vet, suspensè miraretur. Itaque expectabundo & circunspectanti, inexpectati hostes superueniunt, dispalantur Græci equites, frumentatoribus perturbatis, præsidium cataphractorum improuiso inuadentium Gallorum impetu propellitur, & in fugam conijcitur: ipse Gonzaga multitudine celeritateque hostium fere oppressus, magnum salutis discrimen subijt, quum sese è loco ad insidias tegendas idoneo sed sinuosè anfractuoso, celeriter explicare non posset, & vt manus hostium effugeret, dimisso equo in pedes desilire & ab alta præruptæ vallis crepidine se deijcere cogeretur, vt id faceret suadente Francisco Ario equitum præfecto, atque eo modo per medios hostium sclopettarios, qui ab accliuibus locis immanebant, elapsus, conscenso ignobili equo, quem tubicen obtulerat, periculo se explicuit. Galli qui cataphractos fuderant, Garziaque Manrici legatum alæ Suatium cæperant, ipsoque alæ vexillo fuerant potiti, in Germanos iniquo in loco malè conglobatos se conuerterunt & equorum impetu perturbatos quanquam acerrimè resistentes, magna ex parte trucidarunt. Reliqui terga dare coacti, permixtique equitibus, per tenebrosum cryptæ iter amisso vexillifero, qui signum seruare frustrà fuerat conatus, inter infestas equorũ

proculcationes Neapolim euasere. Neque postea nisi cautius à Cæsarianis frumentatum in eam regionem est itum, neque à Gallis ysquam temere procursum, quòd alterno successu par vtrinque audacia satis repressa & castigata videretur. Sub id tempus quum Lotrechiani agasones & hyppagij pueri perducendis potum iumentis ad Sebethum amniculum, qui frumentarias agit molas, & ad Podium, quem ab Alfonsi regis villa Regalem appellant, vberrimis fontibus insigne, quotidiana consuetudine aquarentur, & Hispani agiles insidiosique milites manipulatim Carmelitana porta exirent, dejectisque agasonibus equos eriperent, Nauarrus ea offensus contumelia, nouam munitionem erigebat, comprehensa casa, qua erat inter Podium stabulaque regia, quæ sunt ad Magdalenæ templum, ratus se ei latrocinio obuiam iturum, si ei loco permunito, perpetua custodia stationem imponeret. Hac re cognita Cæsariani duces, validam manum, qua opus disturbaret feruidissima diei hora emiserunt. In his fuere Ioannes ipse Dorbinus, Ripalta, Baracanes, atque Baredus, qui lectissimas habebant cohortes. Stabat Nauarrus sub sole linteo protectus vmbraculo, perficiendo operi intetus, certo tamen parato præsidio, ne quicquam incommodi à repentinis hostium incursionibus acciperet. Itaq; ingruente Dorbino, excitata est tumultuaria pugna & casa egregiè à Nauarro defensa, quum multi è maioribus castris eò decurrissent, ante alios Etruscæ cohortis pernicissimi sclopettariorum. Iamque Dorbinus irrito conatu regredi parabat, quum Heratius Baleonus fatali temeritate, longius à sua munitione progressus, vt suos ægrè ad tympani sonitum parentes, sua voce compelleret atque reduceret, inermis à Cantabro gregario milite, qui sese recipienti incumbebat, adacta in tergum alabarda cuspide, quum à nemine nosceretur, interfectus est: Vir impensè audax & æque fortis, sed natura sanguinarius, vtpote, qui semper cædibus propter factiones à pueritia studuisset. Caterum Dorbinus expugnandæ casæ frustra hærens, è superioribus Vasconum castris, qua erant ad Ianuariam, vt diximus, portam tormentis peti cæpit. Atque ita paucis vtrinque occisis aut vulneratis, ignarus, an ille esset Baleonius, quem Cantaber occidisset, vitato tormentorum periculo in vrbem est reuersus. In demortui Baleoni locum, Lotrechius Etruscis cohortibus præfecit Vgonem Pepulum, egregia nobilitatis notaq; virtutis virum quem legati Florentini Marcus Nerius & T. Soderin

derimus multis de causis comprobarunt. Nec multò post noui duces, nunquàm intermissa erumpendi atque inuadendi hostis consuetudine, quod interdiu Dorbinus facere nequiuisset, noctu perficere posse rati, expugnanda castra, inuadendaq; munitionis negotium susceperunt. Eorum princeps fuit Ioannes Almeda, qui socios sibi asciuerat Cornegium & Sancium Vargam. Hi cohortium suarum milites albentes tunicas superinduere iusserunt, sicuti sæpe aliàs factum fuisse à Piscario. Vastióque meminimus, vt insolito cultu hostes perterrerent & inter se per tenebras perspicuè dinoscerentur. Magno silentio eductum est agmen & ad castra munitiones q; pleno gradu peruentum. Sed impetu facto, cuncta apud hostes, quàm crediderant, intentis excubijs paratiora atq; instructiora repererũt. Nam Lotrechius vnam præsertim à milite suo excubandi diligentiam exigere erat solitus, paratæ scilicet vtriq; pœnæ & propositis præmijs summa disciplinæ seueritate fide q;. Quam ob rem Vascones atque his intermixti Etrusci ac Heluetij, qui de tertia vigilia in statione erant, conspectis hostibus sese celeriter erexerunt, expeditis q; armis in munitione promptissimè constiterunt, Hispanos q; abrepere & conscendere conantes, omni telorum

rum genere obruptos ita propulerunt, vt aceruis cadentium fossa compleretur, multiq; in ea sclopettorum glandibus traiecti, aut grauibus alabardis & lanceis vulnerati occumberent. In queis fuit dux ipse Almeda, mucrone per os recepto in fossa præceps deiectus. Ita q; Cornegius & Vargas strenuè reiecti, desperata expugnatione munitionis, sese recipere cœperunt, verum in abeuntes & perturbatos subita eruptione facta Lotrechiani impetũ fecerunt, tanta vi, vt Hispani debilitatos vulneribus relinquere cogerentur: eius q; noctis victoria quanquã non magna, singulare tamen gaudium Lotrechio afferret. Neq; postea Hispani, aut eandem castra oppugnare, aut munitiones aggredi, aut quicquam ab ea parte aduersus hostes iustis viribus, tentare ausi sunt. Sed duces in vnum gerẽdi belli consilium incubuere, vt nocturnis expeditionibus, non modò suburbanos vicos, sed remotiora etiam oppida inuaderent, raptoq; passim commeatu & collecta præda, reuersi socios recrearent, adhortarenturq; ad perferenda non diu duratura obsidionis incommoda, quando iam Gallorum hostium animi viresq; labascere inciperent & propiores obsessis quàm obsidentibus videri possent & iam affecta tetro castrorum odore militum corpora, aut longis, aut mortiferis morbis tentarentur. Nam præterquàm

quàm quòd Galli Helueti͡ q͡ꝫ præsertim pomorum omnis generis, matureſcente Vindemia, erant auidiſſimi, quarũ rerum intemperanti ingluuie facilè febres erumperent, ipſe etiam aer ſubiectæ regionis, à putri depreſſorũ camporum halitu factus inſalubris, eos contagioſis ferè morbis infecerat. Quoniam Lotrechius ab initio querũdam exulum Neapolitanorum monitu tam importuno quàm poſtea exitiali, aquæ perennis aqueductum concidiſſet, vt obſeſſis copioſiſſimorum fontium qui multis per vrbem locis ſyphonibus largiter lymphas fundunt, cõmoditatem eriperet. Neceſſario namq; tota ea aquæ vis multifariam corrumpata, per ſubiectã planiciem ita ſpargebatur, vt ſenſim exundante & mox ſubſidente humore, eorum camporum gleba putreſceret, orireturq; inde craſſior nebula, excitata quidẽ ſed ſemper indomita ſolibus, quæ ideo febres progigneret & totis caſtris euulgaret. Ferebant etiam tum nonnulli (quod vix credibile videtur) quoſdam impiæ malignitatis milites, cùm ex ipſis Hiſpanis, qui Maurorum ſtirpis eſſent, tum ex Germanis Iudaicæ ſectæ, viroſis herbarum ſuccis, multoq; limi ſemine indito, ſuperiectiſq; item corrupti tritici quiſquiliis, vicinos caſtris hoſtium puteos & ciſternas fermè ſingulas infeciſſe, propterea q͡ꝫ inde potantium ventres intumeſcere, turgeſcentibusq; cruribus,

bus, ora hominum vſq; adeò lurida macie palleſcere cœpiſſe, vt deformato habitu vix inter ſe noti commilitones noſcerentur, rariq; iam & ſegnes cuſtodiarum munia obirent. Quibus rebus diligenter exploratis, conſtat Giahennam Bathicum equitum præfectum, qui vnus omnium prædæ erat auidiſſimus & ſolertiſſimus, opportunis oris circumdo Gallorum caſtra ſpeculandoq;, non ſemel intra munitiones irrupiſſe, aliquot rapuiſſe equos, & arma in tabernaculis expoſita, è ſocioq; etiam infixa verubus obſonia in vrbem retuliſſe: quum ſtationum milites humi ſtratos, neq; in pedes ſe erigere, inualidis q; lacertis expedire & ſuſtinere arma non poſſe, ad ſocios nunciaret. Quæ furtiui incommodi contumelia Lotrechius grauiter commotus, intentiorem cuſtodiam munitionibus impoſuit, eo euentu, vt Giahenna non diu ſua temeritate felix, interceptus ſit & in carcerem Auerſanæ arcis perductus. Hæc quam diximus, morborum labes, ab Idib. Iulij caſtra irrepſit & præter vulgus militum primores exercitus inuaſit. Quam ob rem plerique ducum de ſalute ſua ſolliciti, relictis caſtris, in proxima oppida ſecedebant. Per eos dies Barbeſſius nouus Gallicæ claſſis præfectus, qui propterea ab Armorico Oceano fuerat euocatus, quòd Andreas Auria à regijs ſtipendijs graui de cauſa diſcedens, vt ſuo

suo loco narrabimus, ad Cæsarianas partes se se cum peculiari suæ duodecim triremiũ classe contulisset: Lando se coniunxit & vltra Sebethum ad pontem, quẽ vocant Ricciardum, noxiorum suspendijs infamem, proras adegit & quas adduxerat copias in terram exposuit. Aduehebat enim Rentium Ceritem & quæstores Gallos, qui ad persoluenda militi stipendia, deposcente Lotrechio, pecuniam attulerat. Eius appulsæ classis conspectu Gonzaga permotus, qui tum erat in hortis regijs sub campana arce, repente dari tuba signum iubet, ad vrbis portam progreditur, afferriq; sibi arma præcipit, eaq; celeriter induit & cum primis equitum turmis, quæ dispersim & properanter exibãt, contra hostes cõtendit. Hunc etiam equitatum, expedita peditum cohortes subsequuntur, quos omnes Gonzaga cohortatur, vt hostes descensionem facientes, impeditosq; sarcinis facto vehementiore impetu inuadant. Parent milites & tumultuosissima statim pugna editur, eoq; acrior, quòd Lotrechius validam equitum & peditum manum, quæ descendẽtes in litus exciperet, præsidioq; ad mare præmiserat. Terrebant Cæsarianos, tardabantq; ipsa tormenta Gallicis & Venetis triremibus in aduersum litus emissa. Sed Hispani, diuerso at q; audacs flexu eam munitionem, quam ad mare à Gallis perductam diximus

ximus, transcendentes, tanta vi in hostes procurrerunt, vt perruptis Lotrechiani præsidij turmis & cohortibus repulsis, expositæ iam pecuniæ propè potirẽtur, ac nisi Vgo Pepulus conglobatis turmis Hispanorum audaciam repressisset, proculdubio ea omnis pecunia ad Cæsarianorum manus peruenisset. Verùm ardente prælio & fortissimè depugnantibus Hispanis, Vgo ipse vel impigrè resistens vulneratur & capitur. Candalius quoq; regiæ nobilitatis iuuenis, Lotrechij propinquus & inter Vasconum duces facile princeps, glande humerum trãsijcitur & circũuentus intercipitur. Quum eo modo periculosissimum certamen esset contractum, Lotrechius nouas turmas & antelios Valerium Vrsinũ laborantibus subsidio misit, cuius superuentu, pugna iterum restituta accensaq; est & Hispanorum impetus vehementer est retardatus. Itaq; redintegrato prælio, Valerius, mirifica virtute confirmatis Gallorũ animis Hispanos equites fundit, proterit pedites & duos longè pugnacissimos Hispanorum equitum præfectos, Arium & Mirandam circumsistit & capit. Ab Heluetia etiam cohorte, quæ graui factu impressione hostium pedites loco pepulerat, his permixtus tertius equitũ præfectus cognomento Prataus, confosso eius equo, captus est. Hi tres postea æqua permutatione cum Vgone atque

Candalio vel tum ex vulnere moribundo, vtrinq; restituti sunt. Neq; demum vsquam ad belli vsq; exitum periculosius & grauius dimicatū est. Caterùm Lotrechius tantæ classis appulsu, aliquanto minore quàm sperarat, signatæ pecuniæ copia subleuatus est, quū paulo post sixdum persoluto vetere stipendio, noui exoluendi statæ dies instaret, id iam expectante & flagitante milite, vti par erat & iratè vociferantibus præfectis, vnde exhausto æstrenſi ærario, auri egens imperator à quibusdam præfectis, ditioribus q; alarum legatis, oppignorata fide, mutuò pecuniam accipere & quando hæc quoq; deficeret, aliquot leuis armaturæ equitū turmas exauthorare atq; dimittere cogeretur. Cuius infausti consilij rationem vel extrema necessitate expressam, ita veteres improbabant milites, vt ea parte virium hostes omnino superiores euasuros dilituerent, atq; obiter graue prorsus detrimentum sè accepturos malè ominarentur. Horum erat princeps Nauarrus, qui à Lotrechio nunquam planè dissentire ausus, perseuerādum in obsidione minutis q; prælijs & crebris excursionibus, in queis leuis armaturæ equestris maximè valeret, premendum hostem esse disserebat, quando rem ad summæ apertæq; pugnæ casum deduci posse desperaret. Rentius verò Ceres per castra à Valerio spectatū deductus

ductus, quòd cohortes morbis & prælijs attenuatas & semiplenas turmas, enatæ q; in tabernaculis gramina notasset, detestatus loci insalubritatē atq; improbans laxiorem munitionis & aggerū formam suadere conabatur, vt contraheret castra, eaq; in editiora loca subduceret & remotū obsidionis genus, occupatis circumiectis vrbibus & oppidis, in queis diuisa forent præsidia, instituendū esse iudicabat, vt salubriore cœlo atq; opportunis commeatus copijs ægri fessiq; milites recrearētur, nec quicquam inde obsessis hostibus supportari sinerent. Quibus rerum difficultatibus compulsus & diuersis distractus sententijs, secus ac antea fecerat, minores duces & veteres signiferos consultandi causa in prætorium aduocauit. Nam vt tum à Guidone Rangonio accepimus, post ipsius discessum à Troia, in eam vsq; diem, nunquam vniuersis ducibus in vnum coactis, sed per partes à singulis sententias rogitans, tanti belli consilia commutasse ferebatur. Nihil equidem illi, quod ingratum foret, auribus exurciari, aut disputando persuaderi poterat, vt pote qui ingenio suo indulgens errare mallet quàm alienis vti consilijs, ne quisquam ipso melior, militiaq; peritior existimari posset. Itaq; eius cōsilij exitus fuit, vt imperator natura obstinatus & pertinax & se ipso fatali superbia elatior & pertina-

cior factus, è vetere sua sententia vllo modo deijci aut dimoueri nequierit, professus vtiq; se potius turpi nece moriturũ, quàm vt parata victoriæ spem flagitioso atq; indecoro prorsus receptu corrũperet, vel si à multis deseretur & copias atroci pestilentia totas absumi conspiceret, quando iam pro constanti sibi esset compertũ, aduersariorũ animos auxilij desperatione magnopere frangi crescentéque inedia, maioribus quàm ipsos affici incõmodis & ob id præcipuè, quod Germanos cum Hispanis sæpe rixari, seditiones q; miscere didicisset. Ita vt de matura hostium deditione minimè dubitaret, modò veteris suæ cõstantiæ meminisset, qua tot vrbes egregia cum laude superioribus bellis expugnasset. Erant vera hæc, sed valde intẽpestiua, atq; omnium confutata sententijs, meliora scilicet cõsilia præuertẽte fato, quòd ad destinatã cladem, cum ipse Lotrechio tum Gallico nomine properãter imminebat. Quandoquidẽ, quod homines maximè mirarentur, Fortuna ex aduerso sui propositi minimum tenax, nusquã nisi Cæsarianis rebus secundissimo instinctu adesse cõsuesset. Igitur Lotrechius irrito incepto minimè abscedendum ratus, eam tantũ consilij partẽ probauit & arripuit, quæ reparãdas copias nouis delectibus, & suorũ animos recenti præsidio confirmandos existimabat. Quã ob rem Rentius Cere-

Aquilam

Aquilam continuè mittitur, qui quatuor millia peditũ ex agro Piceno conscribat, persoluendis q; stipendijs pecuniã à quæstore Aquilano qui id facere perscriptis literis iubebatur, acciperet, transuersis q; montium tramitibus in Appiã viam descẽdere maturet, vt per Fundanos, Suessanos q; fines prætergressus, Calenum & Campanũ agros, ab Auersa demum vrbe, rectà ad se in castra perueniat. Erat Rentius, quanquã infaustus vrbis patriæ q; suæ defensor nuper extitisse videri poterat, peritus tamen belli & vna maximè probata fide singularique inuicti animi constantia insignis & quod suscepti negotij plurimũ interesset, Gallicæ factionis apprimè studiosus. Hoc supremi consilij decretũ ratio q; vel ob id facilè quibusdã probari posse videbatur, quòd Lotrechius dedenti vrbẽ Aurantio, vel retentæ arcẽ, Cæsarianis omnibus incolumitatẽ & nauigia, quibus Hispani aut in Siciliã, aut in Hispaniã, vti mallẽt, adueherentur, obtulisset & Germanis menstruũ stipendiũ, quo se domum redeuntes alerẽt, per suos eusdẽ gentis milites, quos apud se militarãs, sæpe promisisset. Sed tanta erat alacritas Hispanorũ, Germanorum q; constantia, vt se potius inedia perire paratos esse, quã Gallis se dedere, quos antea toties vicissent, quotidie prædicarẽt, subindeq; eadem signiferis significando per manipulos sublatis

dextris, quod erat subitarium sacramenti genus, se præstituros iurarent. Vsque adeò præclarè, vt dubios nonnunquam ducum animos confirmare censerentur & omnis iam pridem de tanto hoste conceptus timor, Neapolitanis decederet. Per eos dies Vir è Montella Samnij oppido, se Gallicarum partium militem ab ipso albæ crucis symbolo tesseraq; mentitus, atque in insidias excurrentium Hispanorum vltrò datus, quum Neapolim perduceretur, se magna atque instructa proditionis consilium detecturum pollicitus est. Vnde non missionis modo, sed multa etiam pecuniæ præmium sperare posset. Itaque vti oportebat, ad imperatorem producentibus Hispanis, qui eum ceperant, Fabritium Maramaldum cogitatæ nefariæ proditionis reum fecit, quòd is ad eam vrbis partem quæ Campanam & Carmelitanam portam interiacet, cum suis cohortibus stationem obtineret & portam Lotrechio proditurum promisisset. Ea re subitis auribus accepta & ad suspicacem animum transmissa Aurantius, vocatū Fabritium & deponere gladium iussum, custodiæ tradit. Tum verò Neapolitani ex singulis tribubus consurgunt & rei incredibilis fama vehementer offenduntur, quòd præclaræ & antiquæ stirpis ciuis spectatæ virtutis dux, & per omnem vitam Cæsariani nominis studiosus, ab agresti & neminis pene

pene cognito homine delatore, in discrimen salutis & famæ vocaretur. Propterea orabant summis precibus, ne præcipiti indicio, sed accurata cunctatione, eius accusationis cognitionem susciperet & ille latronum more, inanis & proculdubio falsissimæ coniecturæ indicium seuera in quæstione prius perpurgaret, quàm Maramaldus ad refellendam calumniā vtte aquæ tura, in dispari probo atque pernobili reo cauerent, tormentorum cruciatibus admoueretur. Indulsit hoc Fabritio nequaquam agre imperator Aurantius, alioqui in grauibus rerum momentis facilè suspicax atque præproperus, quum reum peropportunè Victoria Columnæ tanquam Piscarij coniugis sui alumnum efficacissimis literis commendasset. Nec multò post accusator in quæstione diu & grauiter tortus, quum tormenta secus ac ante periculum credulerat, acerbiora ferre nequiuisset, se pecunia corruptum, subornatumq; fuisse ab inimicis Maramaldi confessus est. Atque ita ille scelestus calumniator, tanta infamia Fabritium liberauit & talionis pœnas in sua stra dissectus dedit, statimq; Aurantius pristinæ dignitatis atque custodiæ locum, vnde iam cohortes dimouerat, Maramaldo cū multa verborum præfatione restituit. At Gallicis in castris vsque adeò lenta, atque tabifica fœbres ab Idibus Iulijs ad Nonas Augustas inua

luerant, vt tabernacula funeribus complerentur & languentes passim milites, aut irritis, aut desperatis medelæ subsidijs fame sitiq; enecti passim interirent, sepultorumque tumuli frequentes iuxta munitionum aggeres conspicerentur. Quapropter plerique ducum, aut tentati morbo aut instante mortis periculo perculsi, impetrato discessu per causam curandæ vel auertendæ valetudinis, in proximas vrbes castellaq; secesserant, scilicet, vt mitioris cæli faciem quæritarent. Veneti legati in primis freti classe ad vrbem Castellimaris, quæ est ad veteres Stabias concessere, conceptoq; iam morbo, Vgo Pepulus Capuam, Valerius Vrsinus Nolam, Griffetus ad Granniam Nuceriæ propinquum dimissi sunt. Ipse verò Valdemontius ad Vicum Surrentini litoris vrbem paulò antè se contulerat. Remanserant cũ Lotrechio, frigentibus iam consilijs pariter & viribus Nauarrus, Michael Salassus, Guido Rangonus & nonnulli togati generis homines. Cæterùm in Nauarro veterem infracti & efficacis spiritus vigorem, multiplicata militum funera, & expectatæ cladis non temere ingruens metus, ferme totum eliserant, sic vt propemodum mussare interrogatus, aut respondens delyrare crederetur: ipse autem Lotrechius attonito similis, dissimulato animi dolore, ferociam suam & imperij vim, iussa edicti

edictisq; retinens, obrepente morbo iaceret, atque eo contumacius, quòd legatos Venetos, Pisanum in primis obsidis cardinalis patrem & secundum eum Petrum Pisaurium, Griffeiumq; mortuos esse, Valdemontium autem supremo iactatum morbo, fatalem horam, quæ iam aderat, expectare didicisset. Nec Valdemontius, vel ipso virium & peregregij habitus vigore præualidus diu vim morbi sustinere potuit, qui in spem regni triennio antea tumultuarijs viribus fretus, ad Neapolitanam portam sese ostentarat, cum ciuium voluntatis, tum fortunæ suæ quæ stirpi regiæ inniteretur, periculum facturus. Eius mors Neapoli nunciata, sicuti ingratæ quibusdam Andegauensium partium, sic maximè lætæ Cæsarianis fuisse visa est. Quoniam constabat, quicquid antiqui iuris vigeret in Carolo primo, qui Manfredum regem occidit & regno potitus est: id totum per Andegauenses prouinciæ reges, recta hæreditatis serie ad Lothoringiæ regulos recidisse. Nã Valdemontius genitus erat eo Renato Lothoringiæ principe, qui Carolum Burgundiæ regem commisso prælio ad Nansim interfecerat. Maiore itaque animo diligentiaq; intentiore Aurantius & Gonzaga, perspectis decumbentis Lotrechij difficultatibus, lacessendos hostes perpetuisq; vigilijs conficiendos existimabant, sic, vt non modò circu-

cuendo eorum castra & stationes pertentando lacesserent & ad capienda arma, semisoptos & affectos morbis interdiu noctuq; excitando perquàm molestissimè fatigarent, verum etiam iustis in proxima oppida, vbi hostes assistere didicissent, susceptis expeditionibus, eos adorirentur. Paulò siquidem ante Gonzaga noctu confecto itinere, ad Summam oppidum, quod est Vesevo monti subiectum, cataphractorum alam oppresserat & Nolana item via Helvetiorum cohortem, quæ commeatibus præsidio erat, occultatus in insidijs sub Vesevo secunda expeditione trucidarat, mirabili casu, quum sub auroram iuxta nemus delitescent, fulmine ala equitum ex terribili tonitru tacta, aliquot tatum equos vapore exanimatos, nemine è sessoribus læso amisisset. Iisdem etiã diebus, Belmares equitum præfectus, adiunctis sibi expeditis sclopetariorum manipulis, aliam Gallorum equitum manum Matolonio in oppido, quod est ad Tifata montem, in conspectu Capuæ vrbis expugnata statione, deleuerat. Saiauedra quoque natione Bathicus, diligens equitum præfectus, recepta in præda societatem peditum cohorte, vsque Auellinum nocturna profectione contendit, improuisoq; in oppidum irrumpens, oppidanosque diripens, Maternianum Insubrem eius vrbis episcopum cepit, captiuumque Neapolim perducens

ducens, ad contumeliam diuulsis testibus, vt maiorem à captiuo pecuniam exprimeret, diu torsit, vixq; postea Aurantij clementia & Vastij precibus, è manibus impijs Saiauedræ ereptus est. Hæc paucis diebus accepta incommoda, quanquam vetantibus medicis Lotrechio languenti nunciari non poterant, emanabat tamen aduersarum rerum non obscura fama, sic, vt ipsi ægro intentis semper auribus atque oculis astantium & inuisentium facies exploranti, multa vel non integra delatione proderentur. Seuerè siquidem scisitabatur à pueris, an quicquam noui de hostibus audirent, nec mendacio erat locus, vtpotè, qui si audita reticerent, flagella ad pœnam subire vererentur. Cognitis hunc modum rebus improsperè per suos gestis, necesse erat bilem commoueri, atque augeri morbum, eóque modo quem bis incisa vna sanguinem minuere frustra esset conatus, postridie Idus Augusti indignabundus excessit è vita, vir certè bello egregiè fortis & pace, æqui pariter & iusti vsque adeò tenax, vt seuerus & inexorabilis haberetur. Sed elatior quibusdam videri poterat, quum aspectu austeræ frontis, rarò quenquam familiaribus oculis intueretur. Erat ei facies digna prorsus imperio militari, quòd honestas nec deformes cicatrices Rauennate in prælio acceptas ostentaret & toroso habitu

Validã

Validi corporis, quanquam mediocris esset statura, certum & constantem integræ ætatis vigorem exprimeret. Subtractus est omni apparatu funebris pompæ & in eadem villa Aragonij Montalti, vbi prætorium fixerat, cumulo arenæ tumulatus. Qui optimo iure ætate nostra, si cæteros duces eius gentis recta æstimatione reputemus, peculiari cum laude expugnator vrbium sit appellatus, repetito quidem cognomento, quòd olim Demetrio Macedoni obuenisse constat. At Mortuo Lotrechio, ad neminem summi imperij cura peruenit, sed reliqui duces in vnum coacti, quæ poterant afflictis rebus remedia castrensis diligentia comparabant, ante omnia à Rentio Cerite supplementa copiarum expectantes. At Rentius Aquilam profectus, quum copias scribere, & euocare quosque Vrsinæ factioni, Gallicisq; obiter partibus addictos cogere properaret, tota potiundæ pecuniæ spe decidit, quòd quæstorem Gallum & Camillum Vrsinum cognomento Pardum, qui Aquilanis Præcutinæq; prouinciæ præerat, non exhaustos modò pecunia, sed publicè obæratos etiam reperisset. Itaque ad Neapoleonem Vrsinum se conuertit, atque ab eo magnis persuasionibus cohortes impetrauit. Erat tum Neapoleo recuperandis auitæ hereditatis oppidis intentus, quæ post mortem Virginij aui, Fabritio Columnæ Ferdinandi regis

regis concessione obuenerant. Nam per eos dies propter eandem antiquæ litis controuersiam cum Scipione Columna Reatino Episcopo, collatis signis apud Manliauum extremis Marsorum finibus conflixerat, cadentéque in acie Scipione, ea oppida victor ceperat, quæ sunt ad Fucinum lacum. Hic Neapoleo publicam patriæ iniuriam vindicare se velle professus, infestis armis Cæsarianos, quos in vrbe vel in agro Romano deprehendere poterat, cruenta manu persequebatur: cupiebátque Galli regis auspicia sequi, & eadem stipendia promereri, quæ & Iordanes pater & auus Virginius maiores sui meruissent. Ad has Neapoleonis cohortes, alias è Piceno agro, Spoletóque in primis euocatas adiunxit, primásque earum Rentius vti statuerat in Campaniam præmisit. Iámque Paulus Petrus Ceruarius cum suæ cohorte Capuam peruenerat & reliquæ antecedentem cum Rentio consequebantur, quum Ceruarius de Lotrechij morte cognoscit: Nec propter eam famam, qui erant Capuæ, venienti & postulanti ingressum, portam aperiunt. Nam Iulius Capuanæ familiæ princeps & Fabritius Maramaldus, ad recipiendam Capuam aduentare ferebantur. Quæ denunciatione de muro facta, vt se periculo eriperet, Ceruarius ad Rentium est reuersus. Lotrechij morte Neapoli nunciata, Cæsariani

riani duces nequaquam oppugnanda castra censentes, obsequitando castris, intercipiendo commeatum & se munitione inuasuros ostentando bellum gerebant, quòd sine suo periculo & sine vulnere hostem pestilentia absumi pro spicerent. Auster nanque ventus per eos dies perflare & mortiferum crassioris nebulæ vaporem ex palustri ortum vligine per castra dissipare & circumferre ita cœperat, vt aliis ex causis concepta febres, in contagiosum propè morbum verterentur. Itaque Gonzaga consuetudine quotidiana partiëdo per vices equitatum & sclopettarios pedites, quibus expedita celeritatis causa ignobiles equos attribuerat, turmis admiscendo circuibat castra & per tubicines pugnam ciendo hostes morbis atque inedia debilitatos orbatósque imperatore & præfectis magna ex parte agris aut morte absumptis, assiduè exagitandos suscepe-rat. Cæterum Aurantius ipse cum Gonzaga per exploratores edoctus, numerosum hostium equitatum, suscepta nocturna profectione, è castris Nolana via iter intendere, continuò cum expedita parte exercitus in eos erumpit, à medióque itinere abeuntes consecutus, nullo negotio fundit, impedimëtis exuit & ferè omnibus aut cæsis aut captis, cum magna præda Neapolim reuertitur. Interea Galli duces asperrimis rerum omnium incommodis conflictati & ti & de salute publica desperantes, ad vnum id consilium, quod antea Lotrechius malesana obstinatione repudiarat, ex communi omnium sententia recurrunt, damnatisque castris effugiendum censent, mensque omnibus vna est, vt Auersam se recipiant, dum aliquæ vires supersint, ne cunctis, si fortè castris se tenere eaque pertinacius tueri velint, inhoneste atque miserrimè sit pereundum. Itaque more militia tres acies, triáque agmina instituunt, quibus singulis præsidij causa nouem ternos falcones adiungunt & equitatum æqua distributione partiuntur. Primi agminis cura Salassio regulo, Guidoniq; Rangono attributur. Secunda Nauarro. In tertia Pompeianus Gallus, Paulus, Camillus Triuultius & Palicia cognomento Nigra, singularum alarũ præfecti constituuntur, & sub auroram composita agmina silentio castris educunt, desertis muralibus tormentis & relicto omni grauiore castrensis apparatus instrumento, tacitis quidem & sine tuba tympanique strepitu euadentes, atque eo tectius, quod densissimus imber, crebris fulgetris & multo tonitru procellosus ingruerat, aptus hercle auertendo hosti, qui nec satis explorare, nec opportune persequi, nec quicquam grauius per eam turbidissimam tempestatem tentare posse videretur. Cæsariani nanq; duces, qui pridie eius

diei

diei (is fuit quarto Calendas Septembris) consilio habito quòd nonnulli militum per Gallicas munitiones infrequentem & segnem stationem morbo atque inedia prope enectorum hostium se deprehendisse nunciassent, earatione copias partiti fuerant. Vt Dorbinus cum Hispanis adiuncto sibi Conrado Hessio cum quatuor cohortibus, Vasconum castra, quæ erant. Vt diximus, ad Campum Veterem supra Ianuariam portam, oppugnaret. Ipsi verò Aurantius & Gonzaga cum reliqua parte exercitus, admotis tormentis, castrorum hostilium aggeres aggrederentur. Sed decedente pluuia, quum tantisper reserenasset, allatum est Gallos desertis castris ad Auersam se propripere cœpisse. Qua re cognita, propè totus in abeuntes equitatus est effusus: Quòd ad certam prædæ spem, quisque sibi vel imussus properandum existimaret, nullo prope subsequente peditatu, quoniam Dorbinus & Hessius in oppugnandis Vasconum castris, sub eam horam vehementer essent occupati & Vascones & Cantabri Agramontio duce suos aggeres acerrimè & constantissimè defenderent. Erant in nouissimo abeuntium Gallorum agmine sclopettarij, partim ex nigra Etruscorum legione partim ex cohortibus, quæ à colore vexillorum Albæ vocabantur, hisq; præerat Cæsar Scotus Placentinus. Ea manus primùm aduent

aduentantium & irruentium equitum egregiè impetum sustinuit, sed sclopettis semel dissplosis, vsq; adeò acriter equites inuecti sunt, vt vniuersos ad secundos ictus sese instruentes perturbarent, quòd via eius itineris cauæ & prærupta saxeaque crepidine vtrinque munita, omnem discurrendi atque explicandi sese facultatem eriperent, magnoq; Cæsarianis fuit esset equorum impetus, quando in depressa & perangusta via à paucis vel fortiter conglobatis sustineri nequiret. Per hunc modum perrupto & fædè profligato Gallorum nouissimo agmine grauis illico tumultus ad medium agmen peruenit, pariq; sorte, quum frustra à primo agmine subsidia expeterentur, quòd id plenis passibus anteibat ab eodem victore equitatu fusum & parua cum cæde armis & sarcinis vexillisq; militaribus & tormentis exutum est. Quandoquidem ægra militum corpora languentibus dextris vix hastas intentarent, aut gladios distringere auderent, contra victores, qui in deditos humique proiectos & salutem deprecantes, contenti præda, à cædibus facilè temperabant. Nauarrus ipse, qui vti erat æger, lectica sæpe vehebatur & tum festinandi causa humilem mulam conscenderat, obliquos via tramites quærens, ab Epirotis Gracis q; equitibus interceptus est, Neapolimque perductus. Salassius verò et Rangonus ex-

peditum nacti iter ad Auersam intacti peruenerunt. Sed eorum copiæ vsque adeò angustæ portulæ receptæ sunt, vt amplius tribus hostis quū singuli introirent, victores iam adesse arbitrata, diu in fossa trepidanter, vt admitterentur, expectarint. Quibus tandem intra mœnia receptis & paulum recreatis, quum duces in arcem de vrbis defensione consultarent, Hispani pedites agminatim superuenere. Hi nanque à Vasconibus repulsi, ad famam fugæ hostium equitumq; victoriæ incitati, ad iter capiendum antecedentibus sese aggregabant. Primis Hispanorum cohortibus in conspectum Auersæ se dantibus, reliqui manipulatim se aggregabant, & quòd perterritos atque imparatos hostes existimarent, adiuti paucis scalis, quas è suburbanis casis repererant, alij hastis innixi, alij commilitonum humeris subleuati, erepere in muri coronam cœperunt cohortantibus Saauedra & Ioanne Gaetano, qui nuuali prælio captus dimissusque fuerat. Hi primi omnium conscenderant plenaq; iam Cæsarianis muri corona, quòd hostes metu perpediti nequaquam aluciter arma expedire viderentur, in vrbem sese vel temere demittere non dubitarunt. Sed eorum paucitas Gallis animos intulerit, vt Gardone Salassoq; ante alios prodeuntibus & acriter inuadentibus, Hispani, quibusdam suorum interfectis, aut

aut captis, rursus subire coronam atque inde se demittere cogerentur, sic, vt nonnulli religatis ad pinnas sclopettorum funiculis, per eos vel abrasis manibus desilirent, aut periculoso saltu præcipites in fossam se darent. Ab eo irrito conatu, Hispani, quòd iam sequentes armatos et tormenta displodentes Gallos in mœnibus conspicerent, Aurantio & Gonzaga, quid rei gereretur significarunt, postulantes, vt tormenta muralia atque ampliores copias summittere properarent: quandoquidem hostes iam confirmatis animis de deditione colloqui recusarent, proindeq; tuta vi expugnandos appareret. Itaq; duces perterritis, nullumque animos colligerent, aut vires alicunde resumerent, spatium morandum rati, tormenta ad Auersam peruehi iusserunt, quo temporis interuallo: castra Gallica nullo iam defendente inuasa direptaq; sunt, magna prædantium admiratione, cum præter arma tormentaq; magnitudine & numero amplissima suis locis reperta, ægri etiam moribundiq; milites passim iacerent & quod erat acceptæ cladis argumentum, in ornatissimis tabernaculis ensata gramina conspicerentur. Erat ea forma castrorum situ munitioneque memorabilis & prorsus, sicuti vidimus stipendia sic, vt plerique Cæsarianorum ducum nusquā peritius & accuratius à quoquam hac ætate castrametatum

tum fuisse faterentur, & magnam partem eius disciplinæ à Nauarri ingenio profectam dicerent. Postero die Salassius, obs tormenta, quæ ex Gallicis castris aduecta fuerant, promoueri videt, suos componit & distributis per idonea loca præsidijs, hostium vim expectare constituit, quòd propugnando resistendoq; generosa ortum stirpe armatum vti deceret occumbere, quàm nullo Fortunæ aut virtutis suæ facto periculo turpiter se dedere honestius putaret. Eiusdem animi erant Rangonus et Pomperanus, parique alacritate & confirmatione animorum veteres milites defendendis mœnibus opportuna tela comparabant. Sed postquam ab Aurantio adactis maioribus tormentis verberari murus & mox aperiri cœpit & introrsus repetiti pilarum ingentium ictus, nequaquam diu sustineri posse censerentur, eadem infesta fortuna violentia in genu Salassius grauissimè vulneratur, resiliente scilicet perfracti tormento lapidis fragmine, qui ex acie in domum relato, magnopere imminutus est paulò antè resumptus vigor, & eo quidem grauius, quòd infelicibus nuncijs allatum fuerat, hostes Capuam recepisse, ad quam dubijs & aduersis suis rebus Galli confugere posse sperauissent. Nam (vt supra diximus) Maramaldus cum suis cohortibus ad tentandam Capuam proficisci iussus sinistrorsum capto itinere

nere, loco idoneo, sibiq; noto non procul ab vrbe consederat & cum Iulio è Capua familia Cæsarianarum partium, qui alæ equitum præerat, Campanos ad defectionem solicitabat. Erant Capuæ Vgo Pepulus ager supremum exhalans spiritum, & Iulianus Strozza (is cum nigris cohortibus præsidio Puteolis nuper fuerat) præterea ingens ægrorum multitudo omnis generis. Nam Capuæ cunctis, qui morbo tenerentur in castris, certus atque salubris erat receptus. Itaque Campani moriente Populo, Maramaldi aduentum timentes et de Gallorum victoria nequaquam temere desperantes, dissimulato consilio, eam militum multitudinem adhortantur, vt delectis his, qui viribus valerent, aut qui iam ex longa valetudine vires recepissent, facto equitum et peditum firmiore globo, exire prædatum vellent, quòd nihil iam Capuæ peceris superesset, qua excursione aliquam pinguioris obsonij copiam relaturos & quo successu à suis pariter atque hostibus bellum Neapoli gereretur, certius exploraturos. Probatur id consilium ab omnibus, quod callidum et non obscuræ perfidiæ plenum Campani obtulerunt sic vt magna manus armis & equis se instrueret, & sub vexillo statim portis egrederetur. Sed Campani egressis, & non multò post redeuntibus portas occludunt, eadem fermè hora, qua Ceruarium, vt

diximus, cum Rentiana cohorte venientem excluderent. Ob id desperato ingressu, ea manus vti cuique libuit dilapsa est & Maramaldus ab auersa porta in vrbem est introductus, accumulata egris Gallis miseria, quando omni armorum & vestis instrumento expoliati captiq; essent, ipsiq; Vgoni iam mortuo et in aede sacra feretro imposito, inter nanias sacrificulorum, ornamenta equestris cultus detraberentur. Erant enim ex eo procerum ordine, qui catenyliatum torquem Galliæ regis munere eximij honoris causa gestare consueuerunt. Maramaldi siquidem cohortes è rapacissimo genere hominum, Luzanis & Brutijs constabant, quæ ex Gallia Cisalpina Etruriaque ingentes egerant prædas, Romaq; præsertim atrocissimè grassatæ fuerant. Strozza autem, qui cum pecunia Florentini quæstoris in arcem temere munitum confugerat, certa pactione se dedidit. Ea Campanorum defectione Aursa perculsa, nec cessantibus Cæsarianorum tormentis, Auersani metu instantis cladis perterriti, iacentem Salassum adeunt, orantque supplices, ne pertinacia sua fidelem miseris mamque vrbem in extremum salutis discrimen adducere velit, maturaq; deditione plurantibus tot matronis & pueris subuenat postquam cuncta sese defendere conantes deficerent. Salassus mortifero ictus vulnere at[illegible] extre

extremo dolore compulsus animum ad pietatem reuocat et Guidonem Rangonum ad Aurantium mittit, qui de deditione quam honestis posset conditionibus transigat. Is vti debebat in id consilium nitebatur, vt cum his incolumibus salui[illegible] vexillis & ciuitate conseruata pacisceretur. Sed victor Aurantij animus nonnulla superbè repudiabat. Per hunc modum aliquandiu re disputata, quòd interim tormenta nullo quidem temporis puncto cessarent & iam perruptus ad grandem hiatum murus coronaq; pinnis nudata conspiceretur. Nec Rangonus re confecta mature, vti sperarat, rediret, Salassus militum quorundam precibus, & Auersanorum lachrymis fatigatus, per idoneum hominem ad arbitrium victoris indecoram deditionem fecit. Eam verò fœdæ pactionis conditionem, vel miseris & victis indignam putauit Guido, qui adhuc cum Aurantio conditionibus subtilissimè contendebat, cum transactæ deditionis tabulæ proferrentur, vsque adeò eas Rangonus est auersatus, vt testaretur se æquo iure esse liberum, nec pudendis statutum legibus, quando eius præscripta legis beneficio vti nollet. Hac lite cœpta Cæsariani interim recepti in vrbem, quos pecunia redimere se posse videbant, ad vnum omnes cepere. Verunt Pomperanum in ea tanta calamitatis cogitatione defixis in cælum oculis

obstupescentem, acerbissimóque dolore perculsum, in vestigio concidisse, quum rigerent adhuc oculi, nec vllis fomentis ei exanimato, vitæ subito deliquio ereptæ, restitui posset. Hic est ille, qui Carolo Borbonio proditionis damnato totius exilij comes fuit & eius postea admissi sceleris pertæsus à clementia Francisci regis, alæ præfecturam promerut. Illo etiam triduo quod multis fortium virorum funeribus Gallis maximè luctuosum fuit, mortuus est ignobili, & fœdo in loco, Ambrosius ille Florentius Insuber qui mali aut certè fatalis consilij dirus author, Lotrechium, vt diximus, ab oppugnatione Mediolani Neapolim pertraxerat, ob idq; meritas factiosæ malignitatis suæ pœnas dedisse videbatur. Eum quoque altero tantùm die antecessit Petrus Paulus Crescentius Romanus Clementis legatus, & Paulus Camillus Triuultius præfectus equitum in eadem pestilentis doloris miseria excessit è vita, qui omnes vti erant nobilitate clarissimi sepultura honore caruerunt. Pridie quàm Galli Auersana in via funderentur, atque eorum Cæsariani potirentur castris, Andreas Auria ipsos captiuos Alfonsum Vastium et Ascanium Columnam, quòd Cæsaris stipendio sese commutata voluntate addixissent, in Aenaria insula, vbi illorum erant vxores, latos exposuit. Nec multas post horas Vastius Neapolim est prouectus

ctus, vt ducum consilijs interesset. Is quòd suæ perpetuæ benignitatis munus videbatur, Salassum Neapolim perductum, omni humanitatis & munificentiæ officio complexus est. Sed ille non multò post internecino vulneris dolore, mœroreq; animi confectus, vltro propè accersita morte, vitæ suæ finem imposuit. Vastius quoque Rangonum, cum Hispanis, an iure militiæ captiuus dici posset, prolixè disputantem, lata super ea re mitiore sententia liberauit et cum quibusdam notæ virtutis præfectis, actuariо nauigio impositum, in Aenariam abire iussit. Vt inde Romam, vti probè à fidelissimis nautis factum est, aduheretur. At Nauarrus, cui miserè capto quidam milites Hispani bina male sani atque infelicis decreti transfugia obiectabant, in eundem pristina & tum suprema calamitatis carcerem coniectus est, ea tamen Hicardi custodis indulgentia atque humanitate, vt extrui sibi in foco vaporarium camini tubum, quo algens calefieret, impetrarit, sed aliquanto post vel æger et senex, quum eum sicuti alios, qui eo bello defecissent, Cæsar perscriptis ab Hispania literis, capite plectendum esse censuisset, exanimatus in culcitra repertus est. Nec defuere, qui crederent eum superiniecta multiplicis stragulæ vestis pondere pressum, vltro necatum fuisse, quòd Hicardus existimatione fortissimi ducis permotus,

eum, qui illam eandem arcem aliquando ce-
pisset, reuocata rerum fortiter gestarum me-
moria, extra Cæsaris inuidiam, carnificis ma-
nibus subtrahere voluerit. Per eos etiam dies
ambo Florentinorum legati, Marcus Nerius
& T. Soderinus, Auersa capti, apud Hispa-
nos Neapoli vitam cum morte commutarunt,
quum Nerius pecuniam quam pepigerat pro
redemptione tardius expediret & Soderinus
auri tenax & vitæ prodigus impositum tan-
quam æquo grauius pecuniæ pretium se perso-
luturum obstinatè pernegasset. Verum nihil
in eo belli exitu, quam infima multitudinis
deformius, atque miserius spectaculum fuit,
quum semineces umbris hominum pares pe-
corum modo, ad stabula regia quæ sunt ad
Magdalenam truderentur. Nam hoc pietatis
officium a senatu Neapolitano ducibus ita in-
bentibus, vt ibi alerentur, curarenturque im-
pensum est. Verum corpora cuncta cali, frigo-
rum, et militaris laboris incommoda per quin-
que menses perpessa, sæque adeo aceruatim
communicatis morbis à contagiosa illuuie pe-
ribant, vt pauci supererent, qui in Galliam at-
que Germaniam remigrarent, atque ex eo-
rum calamitate atrox pestilentia Neapoli re-
linqueretur. Ab hac inexpectata multis victo-
ria, felicitateque Cæsaris, & portentosa Gal-
lorum clade, Fortuna nequaquam adhuc sua

in eam

in eam gentem exaturato plemissimè odio, tam
insolens quàm atrox, in ipsum Lotrechij ca-
dauer sæuitiam exercuit, vt diuturni ludibrij
victo mortuoque contumeliam accumularet.
Id enim Hispanus quidam impiæ atque im-
pudentis argutiæ rapax, subulo erutum, è ca-
stris in vrbem retulit, & in regione, quam
Sellariam vocant, recondidit subterraneæ in
cella. Vt venalitium cadauer aliquem è Gal-
lia pietate atque reuerentia insignem empto-
rem reperiret, qui redemptum repenso mul-
to auro in Galliam ad Fusiæ gentis sepulchra
referendum arbitraretur. Sed nemo vnquam
vel propinquorum, qui sepulturæ iacturam
magnificaret, aurumque rependeret, com-
paruit, ita vt valde mirum videri posset,
quod in nemine apud Neapolim vel ducum
vel procerum, in eo flagitio inusitatæ impie-
tatis & iniuriæ generosus pudor humanita-
tem expresserit, quum in cella vinaria tan-
ti nominis imperator inhumatus iaceret, se-
cus ac Valdemontio acciderat, qui sacrata-
rum virginum, quæ in diua Clara claustris
degunt, mirifica pietate, honestissimo tem-
pli in loco collocari meruisset: quoniam id
templum Andegauenses reges Valdemontij
progenitores, pia liberalique magnificentia
condidissent. Cæterum Lotrechij mors, sicuti

milit

militibus importuna, ita supra quàm credibile sit ciuibus Romanis ingrata luctuosaq; extitit, vt pote, quæ singularem Vrbi tristitiam attulerit, vsqueadeò vt Populus Senatusq; Romanus in Capitolio non obscura summi doloris significatione è cunctis tribubus atra in veste cogeretur, & ei quem Vrbis liberatorem appellabat, quòd Cæsarianos supremæ labis excidium communi gentium omnium patriæ immaniter afferentes, detraxisset, iusti honoris causa parentalia decerneret, quæ eo ipso die quo nunciata mors eius est, instauratis regio cultu splendidissimi funeris exequijs, Laterano in templo quotannis celebrarentur. Id decretum religiosæ pietatis vsqueadeò ad diuturnam memoriam Lotrechio gloriosum videri potuit, vt non dubium victoribus, qui mortuo sepulturã inuidissent, præduræ & prope infamis inclementiæ pudorem exprimeret. Sub ipsam quoq; Auersæ deditionem, Agramontius publicæ labis Fortunam agnoscens, & reliqui cum eo Vasconum duces, necessaria potius, quàm æqua conditione se dediderunt sic vt multæ inermium et egentiũ agmina, quæ se Romana via ad iter se expedirent, cernerẽtur. Hisdem etiã diebus post Lotrechij mortẽ, Sanseuerinus Salernitanus regulus & Hieronymus Tutzuilla Surrentinus comes, ab Aurantio Nolam proficisci et Valer

Valerium Vrsinũ obsidere iussi, eum vix dum se ab aduersa valetudine nouis viribus confirmantem in arcem se recipere: & postremò ea conditione deditionem facere compulerunt, vt cum præsidio ad castra Gallica deducerentur, quod is erat paruo cum præsidio attenuataq; equitũ suorum ala & Nolanorum animi vt ad pristinam Cæsarianorum ducum fidem redirent, ad arma parati essent. Sed in itinere cognitum est Gallorũ castra, nulla iam esse, quapropter Hispani equites eum iure captiuum esse dictitantes, exutũ armis & sarcinis Neapolim perduxerunt. Ibi de militari iure aliquandiu in ea controuersia disputatũ est. Verum commendatione multorũ, ipsiusq; præsertim Mirandæ precibus, quẽ paulò ante ab ipso Valerio captũ, humaniterq; dimissum diximus, ab Auratio propter virtutem sæpius spectatam & generis nobilitatem, vt Romam enauigaret, impetrauit. Cum eo modo res Gallica passim vrgente Fortuna fædè concideret, Gallicæ Venetæq; classis præfecti, inuadendi opprimendiq; Andreæ Auriæ consilium ceperunt. Erant enim ei concitante odio vehemẽter infensi, quòd is à Gallo rege discedens, totius Italiæ causam importune deseruisse, & peruersa ratione nequaquam iusta de causa sese Cæsarianis partibus applicasse videretur. Itaq; prodeuntes ex Prochytano freto Auriá

sub

sub Iscla stationem habentem, vbi pridie Vastium & Aschanium exposuerat, conspicati in eum tormenta maiore in spatio viginti forè stadiorum emittere cæperunt. Descenderam ego tum fortè ab arce ad litus, prætoriamq; conscenderam, vt summa authoritatis viro, cui eram familiaris, honoris causa inuiserem, gratulareréq; subinde, quòd commutata voluntate felici iudicio animum pro hostili, erga nos amicissimum induisset, postquam insigni beneficio bello captos proceres ciuili humanitate vxoribus & liberis atque penatibus restitutos videbam. Tum verò me secus ac putaram, natalis pugnæ periculo implicitum cernentem Andreas me nihil prætervolantes pilas timere & in certa puppis parte consistere iubet. Ipse molitur anchoras, aquilamq; triremem omnium velocissimam præmittit, vt hostilis classis numerum certius exploret, expediriq; armamenta omnia, tormentaq; dirigi in hostem præcipit, ea mente, vt cum suis duodecim tantùm triremibus, vel cum multo maiore hostilium numero contempto omni periculo, audacter congressurus crederetur. Sed quum hostiles multitudine essent superiores, vt pote quæ triginta quinque numerum, quæ iam freto excessissent, facilè excederent, Andreas prælium non temere vitandum putauit & in eadē statione substitit, quæ erat tutissima. Nam vrbis Iscla quæ antiquitus Pythacusæ à figulinis & nō à simijs dicebatur, sterili in colle collocata, in summo vertice munitissimam habet arcē, vnde ei è vulgari Græco nomen est Ischia siquidem munitissimum locum Græcè exprimit. Hæc latè maria prospectat, tormentisq; maioribus in hostile classem directis & prægrandibus pilis in eam vel ad incertos ictus frequentissimè contortis. Venetas simul & Gallicas triremes ab accessu facilè deterrebat, ea conditione, vt è longinquo tantùm crebris & innoxijs tormentis certaretur & Auria lanato in loco rupium obiectæ mole protectus cōsisteret. Arx enim ad septentrionem, direptis in subiectum mare cautibus inaccessa est, quam in meridiem extenso per gradus vrbi imminet. Iungitur porrò hic collis Aenariæ insulæ oblongo ponte lapideo sic vt vrbs scopulo imposita & ponte annexa insulæ, nautibus circumnauigari nequeant. Circumuolitabant tamē ex longinquo Venetæ triremes, & vno atque altero ingenti tormento, quod Basiliscum vocabant, inanibus ictibus terrorem inferre & nostros in altum elicere conabantur, quod subire arcem, nec ex propinquo conferre triremes, sine certo discrimine atque exitio, se posse prouidebant. Itaque quum aliquandiu irrito conatu detrimentum inferre contendissent, intra fretum Prochytanū vnde

exier

exierant, se receperunt. Eo die tum primùm Auria studium suum nudauit, auratasq; lilia quæ erant Galliæ regis insignia & in extrema puppe spectabantur, tracundè perfregit, atque decussit, paucissimosq; post dies Gallicam classem Neapolitano excedentem litore, & quòd iam Veneta fractis & deletis patrum viribus ad Messanæ fretum contẽdisset, intentissimo cursu suæ classis persequutus est, tanta celeritate, vt quædam nauigia, militaribus equis & pretioso castrensium rerũ apparatu onusta consequeretur & caperet, nec inde quicquã intermissa perpetui cursus diligentia, segniores & longa nauigatione debilitatas quasdam nouissimi hostium agminis triremes interciperet & vix Tendanus regulus, quem præfuisse Heluetijs diximus, è manibus elaberetur. Locus admonet, vt quæ promiseram de alienatione Auriæ, & Ligustici belli causis (hæc enim à legentibus diutius expectari non possunt) ex instituto operis exoluam & seriatim enarrem, quando res bellica sub vnum fortè tempus gestæ, ne texturâ historiæ intercidant, atque ineptè confundant, suo ordine per partes explicandæ videantur. Itaque operæpretium erit paulò altius repetere à rebus gestis superioris anni, qui toti Italiæ non modò ab atroci terribilique armorum strepitu, sed ab insuitata frugum penuria & pestil

pestilenti cæli atque aëris inclementia, supra omnes quorũ patres nostri meminissent, maximè diruus & pernitiosissimus fuit. Erat is Vigesimus septimus supra quingentesimũ & millesimum à partu Virginis nefandæ Vrbis clade insignis. Igitur sub id tempus, quo Lotrechius transgressus alpes, eo modo, quo diximus Boscum, Alexandriam, atq; Ticinum expugnauit, Franciscus Galliæ rex Viginti duarum triremium classem, Andreæ Auriæ præfecto, Massiliensi portu emisit. Eum nuper honorificentissimo maritimæ præfecturæ titulo, Amirantem mediterranei maris appellarat. Is Genuam obsidere iussus, superiora inferioraq; Liguriæ litora percurrebat, idque Genuen iniunctum diligenter obibat munus, vt frumentarias inuectiones impediret. Namtum Gennæ frumenti inopia vehementer laborabatur & pestilentia sæuire in ciues cœperat, nec satis firma aderat classis Antoniotto Adurnio Vrbis & Cæsarianarum partium principi, quâ Gallicæ classi obsistli posset, Hæ duduum onerarias duas, Ferrariã & Rapallinã, prospero deslitutas vento, apud Florentiũ Corsicæ portũ persequuta, sese in litus eijcere compulerat, euadentibusq; nautis, atque victoribus incenderat. Quam ob rem fiebat, vt Genuenses onerarias naues ad coemendũ frumentum, in omnes partes dimitterẽt, & quotidie

tidie effusa in portum esurientis populi multitudine, aduentum nauium expectarẽt. Earum fortè duæ frumento Siculo onustæ sese in Delphini portum intulerant, & inde expectata idonea tempestate, elusa Aurianarum triremium custodia, ad Vrbem peruecherentur. Qua de causa superioribus diebus, apud portus fauces, Adurnius munitionem erigi, munificariá, propugnaculum & præsidium imponi iusserat, vt ibi ab alto intrantia nauigia tutam haberent stationem & ne à Gallicis triremibus oppugnarentur, terrestri cohortium præsidio defendi possent. His Adurnij consilijs diligenter exploratis, Andreas classe prouectus, idoneo in loco circiter quatuor millia peditum exposuit, vt à terra portum & Vicum occuparet, allectus spe totius hostium opprimendæ classis. In ipso namque Delphini portu, præter aliquot Ligusticas naues frumento & mercimonijs onustas septem aderant partim Adurnia partim Cæsariana triremes, quarum prouiso periculo, Adurnius ferendæ opis consilium cepit. Augustinumq; Spinulam prætorij præfectum, cum multò maxima parte prætorianorum, eò terrestri itinere proficisci iubet. Is nauiter iussa faciens per montana asperaque itinera contendens ad Vicum, quem incolæ Bramapanem vocant, sub auroram peruenit. Tum verò exoriente

riente Sole, ab hostibus qui in litus descenderant, Spinula conspicitur, adeo præclarè, vt quum per deruptos & angustos tramites sè demitteret, militum numerus facilè recenseretur, & Aurtani ampliore numero suo confirmati, obuiam descendentibus eundum censerent. Erat modica planicies non longè à fano diui Michaelis, trecentorum fermè passuum. Eam Auriani duces Antonius et Philippus prouecti præoccupant & Viscontem Cicadem nobilem signiferum qui præfecti Auriæ gestabat vexillum, cum valida sclopetariorum manu anteire iubent: ipsi mediam aciem excepturam descendentium impetum, ex aduerso instruunt. Viscontes nactus in his rupibus duos ingentes scopulos, post eos suam manum collocat & primos descendentium hostes, effusa glandium procella, transitu arcere conatur. Tum verò Spinula coniectus in locum, vnde se eripere sine ignominia grauiq; suorũ detrimento non posset, quanquam numero hostiũ terreretur, breui oratione militum animos confirmat, docetq; hostes facilè tum adi superariq; posse si se prætorianos esse meminissent, quorum neque virtutem neque impetum, aut Galli noui milites, aut Aurianæ semiremiges laturi viderentur. Nec morã æquissimo loco se demittens, Viscontis sclopetarios è scopulis deijcit, Hi pulsi mediam

aciem ex tumultuaria sua fuga perturbant, certatur tamen magna vi collato pede, sed vel paucorum hostium Auriani iniquo decliui in loco impetum non diu sustinent, continuò dant terga & se in fugam per confragosam viam præcipites conijciunt. Spinula pulsis atque perterritis, capto Philippo Auria, inflat. Ab Adurnijs victoriæ clamor attollitur, Gallique & Auriani timore occupati, adeò perturbatè ad litus descendere conantur, vt pauci apprehensis remis in triremes euaderent, reliqui cæsi, aut capti sint, aut per anfractus & inaccessas rupes effugerent, quorum multò plures eorum præcipiti saltu se eripientes profundo mari mergerentur. Parta victoria, admirabili casu accidit, vt eo ipso die Spinula ab Adurnio ad vrbem reuocaretur, quòd Cæsar Fregosius à Lotrechio Genuam cum delecta manu peditum & equitum missus, in Pociferam vallè se demisisse & iam adesse nunciaretur. Quibus iussis Spinula parendum censens, suspicatus quod futurum videbatur, vt se discedente, Auria classem inuaderet, triearchos admonuit, vt se compararent ad prælium, & nudatas propugnatoribus hostium triremes aggrederentur. Quòd si id facere præstarent, vti oportebat, non possent, in altum se proriperent & in quos Fortuna vel Liguriæ vel Etruriæ portus offerret propere confu-

fugerent. Cæterùm vel terrestri victoria aduti, nihil egregium aut fortibus viris dignum tentare ausi sunt, quod defensores pariter & remiges ad prædam incitati, confecto hostium aduerso successu, in triremibus contineri nequiuissent, Secundum verò complexi consilium, quum enauigare cæpissent, nec illo prorsus vento iuuarentur, fessis remigibus, animos ita desponderũt, vt in tutum euadere posse desperarẽt, & continuò in eundẽ Delphinum portũ redirent, Affuit occasione sua intentus Auria, & inuectus in hostes, triremes præter vnam omnes cepit. Hæc fuit Iustiniana cognomento Gibba, reliquæ fuere in potestate hostiũ, eo facilius, quòd nexi, seruiq; omnes ad transtra catenati, sublata voce libertatem inuocassent & propugnatores epibatæq; omnes vndiq; descensione facta dilaberentur. Captæ sunt ante alias duæ Genuẽses, quibus præerat Iulianus Ripa Adurnij cliens. Aliæ fuerunt partim Siculæ partim Hispanicæ. Capta quoque est & direpta pretiosi mercimonij plena nauis oneraria, cognomẽto Iustiniana, quæ dudum è Chio Orientis insula in Delphini portũ peruenerat. Hæc res gesta est sub Idus Augusti, ita alternãte vices suas Fortuna, vt qui terrestri pugna victores fuerãt, mari victi et mox debellati fuerint. Cæsar nãq; Fregosius ad diui Petri fanũ quod vocatur ad Arenã,

positis castris, caduceatorē regiū in urbē præmisit, qui Genuenses ad deditionē hortaretur. & si id facere abnuerent, omnia infesti belli detrimenta & villarum incendia denuntiaret. Adurnius qui paucis ante diebus egressi rerum suarū permotus, decurionibus permiserat, vt legatū ad Lotrechiū de cōcordia mitterent, caduceatorē repulit. Id autē legationis munus susceperat Vincentius Pallauicinus, æquissimas q; conditiones à Lotrechio retulerat, præter id vnū, quod à Genuensibus enixe petebatur, vt scilicet Sauonā urbē ademptam populo Genuēsi redditurū polliceretur. Eā nāque urbem Memorantiū regis gratia Galli sibi impetrāsse, & præfectū nomine Moretum imposuisse ferebant, eo cōsilio, vt Sauonēsi portu, quod esset Galliæ Cisalpinæ opportunissimus, postquam Genua alienæ esset ditionis, ad omnes belli commoditates vteretur. Ea re Genuenses nihil grauius sibi accidere posse rati quā vt Sauona tot seculis ciuitati contributa, subtraheretur, repente commutatis animis, à priore deditionis cōsilio discesserunt, ita vt Adurnius nō obscurā spem retinēdi principatus resumeret. Quapropter exploratis Cæsaris viribus, noctu in eū eruptionē facere cōstituunt. Imposuerat Cæsar eū præsidio vnius cohortis Borrachinū præfectū in ade sancti Benigni, ea est in supercilio mōtis, qui imminet ei turri, quam

quam à lychno nocturni luminis, Pharum vocant, despectat q; dextrorsum subiectam maris plagā, in quā vt diximus, ad Arenā templum Fregosius considerat. Cognito hostiū aduentu, Adurnij & paucitate copiarum eius contempta, eos inuadendos decreuisse. & post intempestam noctem, eductis prætorianis, redijsse ad eos proficiscuntur, adeo silenti agmine, vt apud Lazariam veterem portum Borrachini excubias parum intentè speculantes opprimerent. Ab his, vbi sit Borrachinus & vbi consistat Cæsar discunt, cōtinuo q; dorsum eius promontorij conscendentes, Borrachinum sē misposuisse, consisse q; suis excubijs capiunt. præsidiumque eius paucis cæsis & nonnullis vulneratis fugatur & per exteriorem rupis partem deijcitur. Fregosius audito strepitu & iam inalbescente cælo, conspecta suorum fuga, appropinquante q; hoste sese colligens, munimentum, quod fors obtulit, irruentibus opponit. In ea namque parte litoris ædificabatur oneraria ingens nauis, cui Grimaldiæ nomen fuit. Iam q; carinæ eius scamnis & nauali bus canteriis, quos fabri scalos vocant, erant constitutæ & costæ suis incuruis asseribus intexebantur. Itaque eo nauigio pro munitione vsus, sclopettarios opportunè disposuit & glandibus coniectis hostes ab accessu arcet. Ipse bifariam diuisi pars dextrorsum ad Fregosianas

copias, vbi erant equites nonnulli Martinengo duce, defertur, altera contra Cæsarem procedit. Sed factum est egregia fortitudine Cæsaris. Vt qui in nauigio erant hostes loco pellerent. Nam Cæsar & à puppe & à prora cum suis prosiliens in ipsos Spinulanos parum constanter oppugnantes & metu sclopettariorum perturbatos, erupit & reliqui Fregosiani Martinengum in congressu ita repulerunt, vt circumuentus in medio caperetur, Spinulique ipse deueniret in potestatem & Sinibaldus Fliscus, qui cum clientum manu aderat, paruo temporis & loci spatio ex hostium manibus eriperetur. Eo modo Cæsar semihoræ momento, in ipsa propè rerum desperatione victoria petitus, pleno passu ad vrbem contendit & inter suburbana tecta via militaris, quæ Fasciolam vocant, iuxta Theodori templum, tumultuariæ Hispanorum manum, quæ subsidio mittebatur, magno impetu fundit & ad Diui Thomæ portam prouehitur. Nec diu post ciues excitati Fregosij victoria, vti ante statuerant, neque postea impleuerant, Galliæ regis imperio se dedere decernunt, missisq; Ferrario & Lomellino legatis (hi enim erant Fregosianæ factioni addicti) qui portam aperirent & Cæsarem exciperent victores introduxerunt. Ipse princeps Adurnius, qui ad tumultū adcurrerat, vbi introductos in vrbem hostes ex populari

acclamatione audijt, conuerso equo in arcem propere confugit paululumq; moratus, ad nouissimum consilium, quod erat ciuilis potius pietatis quàm bellicæ virtutis, descendit. Neq; enim eum animi vigorem, quem Hieronymus frater aduersis in rebus tulerat, Antoniottus, vti erat remissiore ingenio, & podagræ vitijs correptus, ferebat. Statim siquidem Philippū Auriam, quem in arce captiuum habebat, liberaliter dimittit, orat vt operam æternæ laudis patriæ præstare velit, ne necesse sit in ea mutatione principatus, cadibus certare, quibus intestinis malis ciuitas omnino lacerari atque deleri posse videatur. Sibi quoque in eam publicæ salutis curam intento, nihil fore honestius arbitrari, quàm excedere arce, vt vrbanis rebus tranquillitatem adueheret. Cum his mandatis Philippus æquè fidus & alacer ab arce in aream Auriānam descendit, aduocat contribules & plerosque alios ciues appositaq; oratione persuadet, vt Galliæ regis imperium lubentibus animis suscipiant, veterū odiorum & factionū obliuisci & ab omni contentione discedere velint. Ea Philippi oratione permoti ciues, ad comprimendum plebis & militum tumultum, per vrbem discurrunt, sedaturq; illico moderatione Fregosij & ciuium precibus, armorum strepitus, tanto parendi obsequio, vt nulla domus, præter decurionū prætorium

rium concursu plebis diriperetur sic vt admirabile videri potuerit, quòd in tanta perturbatione, nullo propè effuso ciuili sanguine, verba rerum fuerint composita. Quòd si Auriana Gallicaq; triremes quæ tum aberant, eo die portum tenuissent, rebantur ciues nauales turmas vt prædæ suidas nō facile coerceri potuisse, quin effrenatissimè grassarentur. Itaq; singulares à Senatu atque omnibus ordinibus Cæsari gratiæ sunt actæ, quòd Galliæ regis cōmodo quam propriæ dignitati atq; amplitudini, quæ arripere poterat, studere maluerit. Erat enim Cæsar Iano patre genitus, qui tum Venetis in castris militabat. Genuaq; principatus Fortuna aliquandiu, vt suo loco diximus, fuerat potitus. Data sunt ei virtutis & clementiæ nomine præmia signatæ pecuniæ & certissimi annui redditus alimēta, quæ ad posteros trāsferent, è senatusconsulto cōstituta. Nec multò post, pari ciuilis animi propensione, Adurnius arcē ciuibus reddidit & cū præsidio clientium suorum patria & principatu cedens, ad paterna castella se recepit, paucisq; post mensibus, qui ad Antonii Leuam esset profectus, apud Mediolanum sine prole fato concessit. Non multos autem post dies, Genuam venit Theodorus Triultius, qui deductus in senatum, consensit ciuium, satagentiq; in eam rem ipso Auria, decurriones in verba regis sacramēto adegit, quæ paulò

paulò ante Cæsar Fregosius ad Lotrechium in castra redijsset. Eius diri anni inclinante autumno, quæ hæc in Liguria gesta sunt & Lotrechius reiecto oppugnandi Antonij Leuæ cōsilio, totas Francisci Sfortiæ præsentis atq; obmixè orantis spes eludēs, post eas vrbes, quas diximus manu captas, ad oppugnandam Neapolim ire properabat. Landus Venetæ classis præfectus, in Siciliā nauigauit, atq; ingressus capacissimum Augustæ portū postulauit à præfectis arcis, vt sibi præsenti pecunia coemere frumentum liceret, quod quum præfectus, sponte se concessurum Venetis ex professo Cæsaris hostibus pernegasset, Landus reiectis horreis, quantū sibi opus esse iudicabat, frumenti copiā nauibus imposuit, ea æquitate, vt pretium Siculis egregia fide persolueret. Ab Augusta autem digressus, qua est inter Pachynū promontorium & Syracusas superato Messanæ freto, ad Aeolias insulas cōtendit, circa quas triduo tempestate iactatus & perflantibus demum, modò Euro, modò Subsolano, secundissima nauigatione in Puteolanum sinum se intulit. Ibi quē tormentis peteretur, è superiore Baiana arce, quæ est ad Baulos, in eo loco, vbi olim Hortēsij oratoris Cillæ fuit, longius secedēs, directis prioris atq; tormentis oppugnare vrbem Puteolos cepit, ad quem classis locum, Baianæ arcis tormenta peruenire non poterant. Ea nanque

arx

arx in supercilio montis posita est, qui duo diuersa maria despicit, Puteolanum scilicet sinum & Baianum portum, qui antiquitus Misenensis fuit, Romanorum nauale tutissimum. Mare siquidem Miseni scopulo illisum per arctas fauces ad lauam influit & conclusum efficit peligus, quod hodie perpetua tranquillitatis nomine Mare mortuum appellatur, habétque iuxta ad certam æquationem fornicati operis piscinam, quæ ab incolis Admirabilis vocatur. Caterum Landus nihil tentatæ per milites expugnatione, ex condicto iussuq; Senatus, vt Gallica classi iungeretur, Tyrrheno procectus mari, ad portum Herculis, quod est ad Argentarium Senensis agri promontorium, Auriam obuium habuit, communicatisq; consilijs in Corsicam primò, atque inde per fretum, quod vtramque insulam dirimit, in Sardiniam traiectum est & copia, quas Rentius Ceres elapsus clade Vrbis, Gallicæ pecunia scripserat, in terram expositæ sunt. Primum quod occurrit, fuit oppidum nomine Genuense Castellum. Ibi promotis prioris, tripartito munere tres classes vno tempore diuersis in locis murum verberare cœperunt, satisq; magna parte mœnium quassata & diruta, Castellanorum res, quanquam egregiè sagittis præsertim atque lapidibus se defenderent, graue in discrimẽ adducta videbantur.

Quo

Quo permoti periculo oppidani, Rentio significarunt, se certa conditione postero die deditu-ros. Is enim suos in acie continebat, vt cuncta quæ superuenire possent Sardorum auxilia, cõtinuò arceret, ne naualibus socijs oppugnatione occupatis, vlla exterioris hostis vi noceretur. Sed in eo metu deditionisq; consilio versantibus, oborta fortè tempestas turbulenta, qua ab importuoso litore classibus erat discedendum, salutem attulit. Nam repente sublatis ancoris, intento vsus remigio Auria, ad Herculis insulam, quæ olim Diabata, hodie Asinaria dicitur, contendit, cursumq; eius obseruantes Venetæ Gallicæq; triremes, in eundem portum concesserunt. Is est fidissimi receptus & obiectu contra respicit Falcenis promontorium, ab antiquis Gorditanum appellatum. Dum classes decedente tempestate idoneam maris tranquillitatẽ expectarent, qua freti ad expugnandum castellum Genuense reuerterentur, Rentius eos admonuit, ne renouato impetu de expugnatione oppidi cogitarent per causam obtinendi commeatus quoniam ipse cum terrestribus copijs proximum oppidum nomine Sursam occupasset, quod erat ab incolis desertum, atq; omni commeatus copia plenissimum. Vnde per multos menses vniuersa classis ali posse constaret. Interea Rentio interiora insulæ peruadenti nunciatum est, Sardorum equitum alam

cum

cum ingẽti sagittariorum peditum agrestium numero aduentare, quibus excipiendis Rentius expeditam sclopettariorum manum, loco inter vepres & arbusta ad insidias idoneo, collocauit primoq; impetu incautè præcurrentes hostium equites fudit & auertit, quum in primo agmine nonnulli glandibus trauecti cecidissent & ante alios eorum dux cum signifero Barthotes cognomento Florentinus. Vsq; adeò perturbatis reliquis, vt ea ala equitum fermè quingentorum refugiens, agmina sagittariorum perturbaret, atque proculcaret. Neque postea in loco amplior Sardorum manus sese ostendit. Itaq; classibus Sursanæ præda & cõmeatus ingenti copia affatim repletis, Rentius ad Saxerim vrbem præfecti totius insulæ sede & Sardorum conuentu claram accessit, & quòd præfectus munitiorem quærens locũ Caralim aufugisset, eam vrbem copijs suis occupauit, quò etiam appulit classis. Tanta verò omnis generis annona copia reperta est, cũ frumẽti & vini, tum etiam ad optima militũ & remigum salsa carnis & caseꝰ, numerosoq; maioris & minoris pecoris multitudo, vt multa ingluuie earũ rerum, paulo ante esurientia corpora morbis tentarentur, nec secus ac in pestilentia accidit, magnus numerus ægrorum interiret. Nam supra intemperiẽ Sardoi cæli, quæ vel hyeme etiã erat grauissima, ea copia cibariorum & multiplex recẽtium præsertim carnium esus desriente pane, affectis & paratis ad mortem corporibus accesserat, vsque adeò miserabiliter, vt non modò in milites & remiges, sed ad aliquot nobiles trierarchos ea contagiosa labes permanaret et dimidia pars hominum absumeretur, reliqua lethaliter langueret & ea clades aduerso prælio maior censeretur. Audiui ego Auriam eius infaustæ expeditionis consilia explicantem, propterea in eam calamitatem classes incidisse, quòd sicuti propositi prioris erat, regijq; consilij, Siciliam gerendo bello inuadere nequiuissent, retardati scilicet longa expectatione Rentianarũ copiarum, quas ille tardius, quàm expediret, constitutumq; esset, è Liguria ad Etruriæ portus adduxisset, subindeque aduersissimis ventis maria clauderẽtur: idcirco commeatus inopia adductos, Corsicæ, vt necessitati parerẽt, oram tetigisse, atq; Sardiniam apprehendisse, nihil hyberno tempore infamis insulæ inclementiam reformidantes, quum æstate solum & autumno Sardinia pestilens esse consueuisset, quasi cuncta vno tempore pro Cæsare admirabili conspiratione propugnarent, mirumque esse fateretur, quòd ipsorũ consilijs rectissima deliberatione susceptis tota ea nauigatione aduersa omnia hostibus verò secũdissima prouenissent. Exinde ab infami litore discedẽtes,

Libur

Liburni portum tenuère, quem antiquitus Ciceroni Labronē fuisse constat hodieq; apud incolas priscum id nomen retinet. Instabat iam aduentus ciconiarum, prima non dubij veris signa afferentium, qui incidit in Idus Februarias, atq; ita aperiente se mari, Ioannes Marius primus omnium cū sua classe profectus, Siculū transiuit fretū Coreyramq; peruenit, quem non multò post subsecutus est præfectus Landus. Gallicæ verò triremes reliquias Rentianarum cohortium sustulerunt. Ipse autem Auria ex conditione Genuam est reuersus, vt cū octo triremibus Arianis, Philippum Auriam propinquum legatumq; suum, cuius virtuti plurimum confidebat, non multò post ad Lotrechium Neapolim obsidentem mitteret. Initio autē æstatis (vt diximus) Philippus nauali prælio propè Salernum cū Vgone Moncata commissis classibus, constixit, partaq; victoria Alfonsium Vastium, & Ascanium Columnam eo prælio captos ad Auriam perduxit. Hi pro redemptione æquum pretium pollicentes, Auriam demississimis precibus orabant, ne se regi Gallo ad diuturnū carceris miseriam tradere properaret. Repetebat enim eos rex multis de causis, quòd lege militari & suis auspicijs capti, tradendi censerentur. Sed id Auria ex priuatis stipendij sui conditionibus se facturum pernegabat, quod longè molestissimum magnanimo regi cupidissimoq; ostentandæ liberalitatis atque clementiæ in captiuos dolerem afferebat, & sæpe adeò vt iracundia correptus, Auriæ responsa tanquam insolentia non obscura auaritiæ plena contumeliosè detestaretur. Dicebat enim Auria nuper expetenti regi Philippo libertum Aurantium ab se mari captum & prægrandem pecuniam pollicentem, liberaliter concessisse, neque postea regem, vti promisisset, iuraq; militiæ postulabant, pro captiuo vllam omnino pecuniam rependisse, enimq; pro accepto munere, aliam nō reddere gratiam, quàm vt ipsum meritorum stipendiorum spe & longa expectatione frustraretur. Sed Auriam sicuti didicimus, vt duriorem se æquo regijs postulatis inexorabilemq; præstaret, nequaquam pecuniæ cupiditas, sed ingens amor ergæ patriam impellebat. Genuenses nanque grauissimè conquerebantur Sauonam sibi adimi, vetustissimoq; ipsorum imperio subtrahi impotenti regis libidine, qui importuno detrimento sæpe & flagitalium præiudicio, portum atque emporium sibi condere, ad summam ipsorum contumeliam statuisset. Hoc siquidem publico dolore Auriam vehementer angi Vastius conspiciens, eius animum pertentare ausus, eò iam agrum & nutantem pertulit, vt commutata voluntate, conuersoq; studio, repudiataq; regis amicitia, Cæsaris auspicia sequeretur, à quo

n certissi

certissima præmia expectari possent, quæ spes omnes de liberalitate regis conceptas, magnitudine honoris atque stipendij superarent. Clemens Pontifex, causis Auriana alienationis compertis per Saluiatum legatum, regem amicissimè permonebat, vt operam daret, ne Auria causam deprauati animi discessusque sui nanciscì posset, quòd vir ille possessione maris potens, omnino in officio atque amicitia retinendus esse videretur, ne si labasceret atque deficeret ad hostem, spes omnis exploratæ propè victoriæ corrumperetur. Proinde imponendos esse iracundiæ frænos, ne publicis rebus officeret, si pertinacius vel iusto dolori indulgendum arbitraretur. Misit etiam Clemens ad Auriam T. Sangam ab epistolis, qui eum leniret, et ne quid properè transigeret, hortaretur, quando perpetuum eius studium fidesq; veteris constantiæ, ab omnibus fœderatis exigeretur. Cæterùm Auria, quum audisset à Barbessio Gallicarum triremium præfecto, sibi insidias tendi, & salutem eius ad sicarios propè deferri opportunè sibi cauendum censuit, atq; omnino Cæsaris amicitiam & militiam tanquam vberiorem certioremq; complectendam ratus, è Genua ad Erycem, quò locus est oppidum iuxta Lunense promontorium positum, cum reliquis suis triremibus se contulit, dimisitque sub fide Vastium ad Antonium Leuam, vt cum eo communicatis consilijs, de conditionibus ageretur, quæ deferri ad Cæsarem in Hispaniam deberent. Atque ita non multò post, Auria torquem conchyliatum, quem honoris causa à rege delatum acceperat, ad eum remisit, ab eaq; de more cerimonia sacramento militari se absoluit. Rex enim exactis stipendijs hominem retinere conatus, multa per Iouchinum Leuantium Ligurem, quem Lotrechij iussis, ab naualibus statim victoria, captiuos à Philippo postulasse memorauimus, atq; item per Petrum Franciscum Pontremulanum frustra egit, quū iam sera pœnitentiæ tempus incidisset. Per hunc modum Auria singulari cum offensione regis, magnoq; eius incommodo, cum Cæsare transegit & vti diximus, cum duodecim triremibus, ad Aenariam liberatos proceres Vastium et Asculum retulit, deletisque iam Gallis ad Auersam, & castris eorum captis, confectâ abundè Gallicas naues, Genuam est reuersus, eo insenti animi consilio, vt Gallos vrbe depelleret, neq; tamen nouum aut Fregosij nominis, cui ipse antea enixè studuisset, aut Adurnij, quòd multis de causis iam pridem odisse videbatur principatum inducere, sed vt omni externo dominatu repudiato, patria intestinis malis diu afflicta, oppressaq;, nunquam deficientibus tyrannis, in libertate suis auspicijs asseretur. Hanc enim Genuenses in vniuersum multis annis

exoptasse potius quàm sperasse videri poterat, quòd eorum ingenia nunquam satis pacata, nouis semper studeāt rebus, et mutatione principatus tumultúque vrbano magnopere gaudeant, parata semper plebe ad excitandas seditiones suopte instinctu, impulsúq; procerum, qui diuersas alere factiones, ostentare potentiam, & modò his, modò illis, prout repentina libido tulerit, partibus adesse consueuerunt. Ciuitas siquidem prioris seditiosi seculi mores sequuta, insano & miserabili instituto, non in duas vti priscis temporibus, sed in diuersas atque multiplices factiones scindebatur. In Guelphos nanque & Gibellinos diducta erat, quorum principes erant nobilissimæ inter Ligures familiæ patritij ordinis nūcupatæ, Spinulæ scilicet & Auriæ ex professo Gibellinæ, & Flisci atq; Grimaldiæ quæ Guelphum nomen præferebant. Vetere autem lege diu obseruata cautum erat, ne quisquam ciuitatis principatu potiretur, qui esset patritiæ gentis. Hunc enim honorem eximium populus vsurparat, ea tamen conditione, vt ex his esset familijs, quæ Gibellinæ partis forent. Nam populus eo etiam antiquissimo morbo laborabat et super hunc etiam noua factione diuidebatur, quòd aliqui maioris classis, quæ honestissimis atq; ditissimis familijs constabat, vetustate, numero, atq; potentia, patritijs æquarentur. Huius classis principes eu

seruarent Adurnij atq; Fregosij, qui Gibellinæ stirpis censebantur. Hi perpetua dissensione à maioribus per manus traditum supremæ potestatis & imperij ex æquo decus petebant; certabant q; odijs & armis, inclinante ad eos victoria, ad quos patritius ordo & populariorum amplior manus accessisset. Magna quoq; spes principatus posita erat in minoris classis studio, ea enim opifices infimam q; plebem continebat, cuius erat multitudo ingens, & ad capienda arma serendáque seditiones parator. Hæc infima populi classis ante viginti annos ab insolētia turbulentia q; ingeniorum, tantum inualuit, vt sicuti suo loco memorauimus, patritios tanquam superbè dominantes expelleret, erectoq; popularium statu, à Galliæ regis in cuius clientela erat ciuitas authoritate discederet. Qui tumultus vsq; adeò grauis fuit, vt vix aduentu armati regis perdomita ciuitate coerceri potuerit. Igitur sub aduentum Auriæ. Genuenses animos à priscinis dissensionibus ad concordiam reuocantes, de constituendo obtētæ libertatis statu, consilia inire cœperunt. Multa tum senatorum omnis q; generis ciuium capita, eius damnati anni pestilentia fuerat. Non deerant tamen in quibus vigeret studium complectendæ libertatis: propterea paulò ante nunciata Gallorum clade, quæ ad Neapolim Lotrechio acciderat, de abolendis ve-

teribus factionum odijs parandaq; fideli concordiæ, per coronas sermones serere cœperunt, quos, quanquam non obscura rebellionis initia viderentur, Theodorus Triuultius Vrbi præpositus minimè vetabat, vt potè qui Italicæ probitatis & Christianæ disciplinæ putaret nihil pace et consensu ciuili melius, nihilq; factionum, quæ sæpe cruentæ extitissent, oblitione tutius atq; salubrius. Andreas itaq; iuxta Vrbem ei litori, quod Sarzanum vocant, cum tredecim triremibus noctu appulsus, notos sibi ciues quosdam euocauit, rostratarumq; singularum scaphas militibus compleuit, iussitq; vt exploratum intra molem præcederent. Orabant ciues, vt nihil bellica vi tentare properaret, ne Vrbs fœdæ direptionis periculo obiceretur. Idcirco, Philippum Auriam, Christophorumq; Pallauicinum in Auriam adoptatum familiã, cum manu militum misit, qui per notos sibi aditus Vrbem intrarent, & quid facto opus foret explorarent. Interea Galli trierarchi, cognito Auriæ aduentu nihil sibi morã attulerunt, quin sublatis anchoris ad prælium se compararet, et è portu in altum se proueherent. Eo casu Auria scaphas suas reuocat, recipit milites, & ad pugnam compositis armamẽtis procedit. Sed nox adeo obscura erat, vt classes inter se conspici nequirent, momentaneisq; tantum, quũ tormenta incenderentur, relucentibus flammis spectarentur.

Quam ob rem Auria non temere tenebras detestatus, quòd Gallos procursu suo prælium appetere, & congredi velle appareret, expectandam lucem esse constituit. Qua mora, ei renunciatum est ab his, quos miserat, Vrbem esse in potestate. Nam Philippus porta arcu potitus, & Pallauicinus per Giaretam, quam vocant portam, iuxta naualia ingressus, pulsis ex itinere Gallorum excubijs, in forum peruenerant, coniunctisq; viribus ipsum prætorium, depulsa Heluetiorum prætoria cohorte, sine vllo nere occupauerunt, & quũ libertatis ingeminatum nomen vndiq; audiretur, Theodoro arce se tenente ciuitas oblita Gallici principatus libertatem complexa est. Inalbescente verò die, quum speculatorium nauigium Auriæ renunciasset, duas triremes è Sauona recta nauigatione Vrbem petentes, ignaras earum rerum quæ accidissent, aduentare, Auria ad eas opprimendas contendit. Earum altera in alto comprehensa, alteram cõcitatam in litus, quod Cogoreta plaga est, suis catenatis remigibus plenam euadentibus propugnatoribus cepit. Nec mulcò post sublato Cæsariano vexillo, quo Vgonis Moncatæ prætoria capta fuerat, ad Vrbem suburbani litoris loco, qui Malpaga vocatur, classem appulit, exindéque Vrbem in potestate esse certior factus, Gallicas duas item triremes, quas consternati ad arma aduersus trie-

rarchos nexi remiges occuparant, propugnatoribus ad arcem cõfugientibus, cepit, acclamanteq; ei populo tanquam victori assertorique libertatis, ad paternam domum ire contendit. Ibi concionatus ad ciues sui consilij causas aperuit, & suum erga patriam adductæ libertatis beneficium, vt agnoscerent, conseruareq; studerent, admonuit. Ipsi ciues præ gaudio ploranres, certatim gratias agentes, receperunt se fortibus animis, eo vsuros beneficio quod optimus ciuis & patronus omnium fortissimus præstaret. Creatus est subinde, aduocato in consilium populo constituendæ Reipublicæ, Decemuiralis magistratus, qui ordinaret ciuitatis statum atq; item alter, qui belli & pacis munia tractaret, quòd pleriq; conscribendum exercitum censerent, quẽ descendenti in Pociferam Gallem Francisco Borbonio Sancti Pauli regulo opponerent. Tantum porrò fuit in pleris q; ciuibus tuendæ libertatis studium, vt ingentem pecuniam in ærarium liberaliter conferrent. Sed Borbonius retro rebus desperatis reuersus, in Galliam Cisalpinam vnde venerat, facilè effecit, vt Theodorus Triuultius honestissima pactione reddita arce sibi consuleret, et humanissimè dimissus, ad tutæ Gallorum præsidia profisiceretur. Nec multò post hisdem copijs, quæ contra Borbonium comparatæ erant, Sauonam in potestatem redegerunt, Nouium q; item oppidum

pidum et Vadum castellum, quod est ad Vada Sabatia. Antonij triumuiri ex Mutinensi prælio fugientis, receptu clarum. Verùm multò iracundiæ studio incitati Genuenses, vt bene multatos Sauonenses relinquerent, in eorum portu duo magna nauigia plena ingentibus saxis demerserunt, scilicet vt victis & æmulis omnem eius portus opportunitatem adimerent, impositæ grauiore etiam pœna si portũ repurgare vllo vnquam tempore tentauissent. Pari quoque lætitia Castelleti arcem deserentibus Gallis receptam, funditus euerterunt, ne vlla extaret arx, quæ reponendo seruitutis iugo, vel ciuibus tyrannis, vel externis regibus occasionem afferre posse censeretur. Ferunt ipsum Auriam cohortantibus quibusdam ciuium primatibus, vt dominatum ciuitatis, quem bona sors offereb.at, susciperet vellet, eius rei peramplum munus mira animi integritate atq; constantia renuisse, quũ diceret sibi exactæ propè ætatis seni, & satis opulento nullis q; innixo liberis, ineptum fore principatus nomen, satius q; omnino esse & multo gloriosius, id donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquam priuato ciue vel externo principe, qui sua ope ad imperium prouehi posset, amicitiam et gratiam promereri, quando nihil ad veram laudem vberius, vel ad dignitatem honestius vel denique ad reliquæ vitæ felicitatem firmius atq; splendidius

didius fore iudicaret, quàm aeterna sua erga patriam munificentia trophaum, post excussum ipsius austicijs diuturna seruitutis iugum, in foro memoriaq; hominum, liberatæ à se patriæ statuisse. Nec multò post populus vniuersus, præclara, ideoq; perenni gratissimorum animorum testificatione, legem rogauit, quam decuriones cunctis suffragijs sanxerunt, vt Auriæ statua Colossea magnitudinis è Lunensi marmore decerneretur, locaretúrque redemptoribus, cuius basi his verbis titulus inscriberetur.

ANDREAE AVRIAE CIVI OPT. FELICISSQ. VINDICIATQ. AVTHORI PVBLICAE LIBERTATIS, SENATVS, POPVLVSQ. GENVENSIS POS. Paulo antequam Ligures tam varia publici status cõmutatione agitati, inexpectato libertatis munere pacarẽtur Cæsar nutantem partium suarum Fortunam, nouis copiarum viribus confirmandam ratus, è media Germania, Saxonumq; finibus Henricum Brunsuicensem regulum in Italiam euocauit. Hunc Brunsuici dominantem (quæ vrbs eruditioribus Germanis olim Tulisurgium iuxta Visurgim amnem positum fuisse existimatur) Ferdinandus rex Cæsaris frater, oblatis stipendijs propositisq; vberioribus præmijs, ætate florentem & bellicæ auidum laudis, facilè accenderat, vt ad quærendum nouum decus domo

domo proficisceretur. Coegit is paruo temporis spatio validissimas peditum legiones duas, armatorumq; equitum ingentem manũ, descendit q; Tridentinis alpibus iusto tormentorum apparatu instructus, secum adducens carros vehiculaq; Germanici generis, quibus non modò commeatus magnam vim sed clybanos etiã minorum instar furnorum conuehebat, vt Cererem expeditè vel in hostili solo percoquere atque inde se alere exercitus posset. Ad famam Henrici descendentis, Veneti de salute oppidorum ac vrbium suarum soliciti, continuò Feltrium imperatorem suum, qui post amissam ferendæ opis occasionem, quam Clemens in arce obsessus frustra expectasset, in Piceno atq; Vmbria confederat, reuocandum censuerunt, vt eo Germanis oppositò suæ ditionis fines ab iniuria defenderent. Sed is peritus belli, neq; Germanicæ virtutis ignarus suasit senatui, vt vitandum omnino validi hostis impetũ decerneret, nullum pugnæ discrimen subiret, & suas tantùm vrbes atq; oppida cõfirmata præsidijs tueretur, quando ipse neq; Italicis peditibus cam pestri in pugna confideret, aduersus præsertim eas gentes, quæ ab statario ordine acierum insuperabiles viderentur, neq; leuis ipsorum armatura equestris, nisi temere cõmittẽda foret Germanis equitibus, qui essent cataphracti, robustorumq; equorum cõstantia atq; impetu maximè valerent. Itaq; eas quoq; copias, quæ

Sforcianis coniurĕtæ, cum Antonio Leua bellū ad Mediolanum gerebāt, trans Abduam reuocauit, ualidóque præsertim præsidio Vrbem Bergomum permunirit, quòd fama esset illac hostes transituros, tanquam Bergomatium prædæ inhiantes. Antonius porrò Leua cognito Brunsuici aduentu, Abduam traiecit, atq; vnà colloquutus, eum multis de causis ad oppugnandum Laudem Pompeiam perduxit. Ea enim Vrbs, quæ prima omnium eo bello à Cæsarianis defecisset, Sforciæ detrahenda iudicabatur. Nam Leua captum à Lotrechio Ticinum, ignauia Veneti Sforciani q; præsidij, cui præerant Petrus Longena Brixianus, & Annibal Picenardus Cremonensis, pessimè posteà custoditum, inopinata hosti inuasione receperat, ita vt ea regione, quæ est inter Ticinum & Abduam, prædabundi Cæsariani impunè percurrerent. Quibus rerum periculis ex noui hostis aduentu cumulatis, Sforcia Brixiam suadentibus Venetis se recepit, Paulumq; Sforciam ex patre Ludouico germanū fratrē præstanti virtute virū Laudi Pompeiæ præsidio imposuit, cōfirmatū aliquot Sforciani nominis cohortium præfectis longè fortissimis. Brunsuicus Brixianū & Bergomatem agros effusè populatus, & sæuis etiam incendijs bellum gerens, deducente Antonio Leua, Laudem Pompeiam, superato Abdua, peruenit, admot

admotisque tormentis oppugnare constituit, quoniam Paulus Sforcia, deposcenti Antonio Leuæ, vt Vrbē Cæsari per insidias ereptā continuò redderet nisi cuncta assera et saua experiri uellet generosè respondebat se, à fratre legitimo Vrbis principe custodiæ impositum, neq; fidem neq; sem de virtute sua conceptā fallere decreuisse, neque his terriculis & minis terreri, quibus ipse Leua, quo minus acriter strenueq; Ticinū aduersus Gallum regem defenderet, minimè succubuisset. Itaq;, vt luberet, mœnia tentarent: Sperare enim Vrbem Dei maximi, diuorumq; qui iustæ causæ nunquam deessent, beneficio, & virtute militum suorum prosperè posse defendi. Nec multò post explorato Vrbis situ, duobus in locis, quibus mœnia infirmissima uisebantur, triduo perpetua quassatione murū perforauit strauitq; summā pinnarū coronā, vsq; adeò lato hiatu edito, vt facilè inuadi Vrbem, & capi posse promptissimi Hispanorum iactarēt. Brunsuicus enim, Germanis tanquā parū ad id munus expeditis, primū prælij decus Hispanis cōcesserat. Neque defuit alacritas atq; audacia ingens, cōmendante Leua, Hispanorū cohortibus, quæ primæ Remiro duce subire murū cœperunt. Ii per arduū & accliue mœniū aggerem cōscendentes, scutæ prætendebāt. Sed Sforciani, crebra glandiū procella, appropinquātes

& sub

& subeũtes primò perfuderunt, occisisq; aliquot signiferis, qui intrare per ruinas ausi fuerant, lanceis et alabardis pulsos in fossam cruento impulsu præcipites deturbabant sic, vt præ timore incommodoq; accepto, instaurare prælium dubitarent, quanquam eos, Antonius ignauiam increpitans, vt animos resumeret, rursusq; irrumperent, vehemẽter adhortaretur, Brunsuicus verò, vt desinerẽt iniquissimo loco pugnã ciere, Leuam admoneret. Atq; ita Antonius receptui cecinit, quã occulto dolore angeretur, quòd viri fortissimi aut cecidissent in fossa, aut lethiferis vulneribus debilitati sibi detrahérentur, quorũ desiderio extenuari sua præsidia, & difficiliorẽ defendendi Mediolani facultatem sibi futurã prospiceret. Paulus, depulso fortiter periculo, pro concione milites laudauit, honestauitq; muneribus eos præfectos, qui in muro & periculosa ea cõtentione singulari promptitudine dimicassent. Fuere hi Baptista, cognomẽto, Maclus, & Manara ambo Cremonenses, Pelacanes itẽ Bononienses. Henricus qui eo consilio in Italiã venisse memmerat, vt ad ferendã obsessis opem Neapolim cõtenderet, postquã initia cœptæ oppugnationis aduersa funestaq; prouenerãt, nec instaurato apparatu munitissima vrbs iterũ tentãda videretur, cõsilij inops, circa Mediolanũ æstuare, nouaq; belli ratione Cæsari operã præstare cogita

cogitauit, quòd cadẽ à Mediolanensibus quæ Antonius imperare atque exigere consuesset, gratuitæ alimenta atq; stipendia sẽ consecuturũ confideret. Id Veritus Antonius, astutæ simulatione, Germano Italicarũ rerum ignaro, facilè persuasit, vt id consiliũ abijceret, & in Germaniam omnino redeundũ arbitraretur, quoniam pestilẽtia valde atrox iam in legiones Germanicas grassari cœpisset. Nam eo infami anno pestilentis morbi lues diffusa per omnes Italiæ regiones, tertiã ferè mortalium partẽ absumpsisse ferebatur, deficienteq; passim annona quæ immenso pretio cunctis in vrbibus creuisset, multi inopes q; præsertim insolitis vtentes cibis, contracta tabe sensim interirent. Qua de causa Germani, vel suæ consuetudine, pestilentiæ pericula contemnere soliti, conspectis suorũ funeribus, mortem ita timere cœperant, vt stipendiorũ certa spe destituti, ac vrgentis inediæ metu adducti perosiq; externum tanquã insalubre cælum, manipulatim domum redire properarent. Neque enim petere Neapolim, aut tuto proficisci sẽ posse prouidebant, quum per infesta hostiũ itinera esset transeundũ, vel si in Etruriam aut per Togatam Galliam iter haberent, quando hinc Florentinos, illinc verò Ferrarienses Aemiliã attingentes viam, pro infensissimis hostibus habituri dicerentur, appareretq; ipsum

San

Sancti Pauli regulum, qui cum nouo Gallorum exercitu nuper in Italiam descendisset, occasionē minimè prætermissurum, quin iunctis cum Feltrico copijs proficiscentiū vestigijs insisteret, & iniquo aliquo eius tam longi itineris loco graue detrimentū nouissimis inferret. Hæc Antonius suo præditus astu prolixè & libentissimè disserebat, vtpotè qui collegā prapotentem sibi asciscere nollet, ne eneruatā opibus Insubrum ciuitatem, magno suo incommodo, delendam truculentia Germanorū volens traderet. Ferunt Henricum grauissimè de malignitate Antonij apud suos conquestū, quòd importunis peruersisq; eius consilijs se deceptum fuisse prædicaret, quibus ab instituto itinere petendæ Neapolis retractus, totum munus sibi ex consilio Cæsaris impositū, quum tempus appeteret, obire nequiuisset, atque ita iratum consternato animo per Rheticas alpes, Lariū lacum & Grisonum fines in Germaniam redijsse, magna parte bellici apparatus, quem attulerat relicta, & multis equis paruo pretio diuenditis, quod plerisq; eorum prægrandium & grauium, attritis vngulis intumescentibusq; talis debilitati claudicarent. At Philibertus Aurantius, non sine certo numine Gallis aduerso, tantæ potitus victoria, primū omnium seuera lege præscripta, citatos nec comparentes proceres, qui rebellassent, aut dubiæ

dubiæ fidei indicia præbuissent, erecto tribunali, condemnauit, bonaq; eorū edito in milites ingenti donatiuo, profusè distribuit, ea ratione, vt ex merito spectata virtutis, pro dignitate ducum & præfectorū, redacta in fiscum oppida benemeritis adiudicaret. Ipse cōtentus Asculo Apula vrbe, Montis sacri oppidū, quod in Samnio Vincentius Carrafa possederat, Vasio attribuit. Ferdinādo Gonzagæ Arriani. T. Carrafæ exulis oppidū, Alarconi Cæsilianæ Gallis, quæ in Præcutinis est oppida, quæ Camilli Pardi fuerant, addixit. Turmarū verò præfectis, & singulis propè pedestris ordinis centurionibus atq; signiferis, Aquilanorum castella largitus est. & in his Eporotarū præfecto nomine Saccalo Nauplien si, qui Nauarrum ceperat, castellū in Salentinis dono dedit, Philippoq; Belgæ Caroli Lanoij filio, Venafrū, quod Ferdinandi Pandonij fuerat: Beurioq; item Belgæ Quadratā in Apulia, quæ Aquinatis familiæ reguli fuerat, concessit, quā largitionē eo animo ratam habuit Cæsar, vt Aurantium ea designatione præoccupasse suæ liberalitatis decus quereretur, eumq; ex alieno facilè immodicū largitorem extitisse diceret. Cæterū magna vis pecuniæ ab his extorta est, qui nutasse in fide, afflatiq; defectionis suspitione, paratis in eam rem delatoribus accusarentur. Cuius classis fuere Ferdinandus Vrsinus

nus Grauinæ regulus, & Bonifacius Oriæ oppidi in Salentinis dominus, Dragoneti lepidissimi poetæ pater antiquæ simplicitatis senex. Bouiani autem & Venafri regulo, & Federico Gaetano, qui intempestiuè nihil de Lotrechij victoria dubitantes arma ceperant, et cũ his Altomari Auersano ciui, in foro ceruices abscissæ sunt. Incredibile dictu est, quantã pecuniæ vim ex variis criminationibus eo anno fiscus acceperit, in eam rem seuerè inquisitionis diligentiã exercente Hieronymo Morono, quẽ pro captiuo à Borbonio Romam perducti, in liberando Pontifice tam piam quã necessariã efficacis consilij operam præstitisse memorauimus. Nõ tota vertente biennio ab Vrbe capta, quo Genuẽses toties mutato rerũ statu, libertatẽ præstantissimo Auriæ ciuis munere receperũt, & Brũsuicus rebus infectis in Germaniã est reuersus, Lotrechianæq; demũ copiæ accedente pestilentia deletæ sunt. nouus in Apulia bellũ exarsit, Venetis (vt supra diximus) Orbes pristini sui imperij repetẽtibus, et nonnullis Gallicæ factionis ducibus sese his in belli societatẽ aggregantibus. Num vt memorauimus, à Veneta classe Monopoli capta Sindicq; milites confluebãt, & tũ Camillus Vitellinus, quem à Troia in Apuliã à legato Veneti missum fuisse constat, coactis circiter quatuor millibus hominũ Manfredoniã obsidebat, quã Cæsar

Cæsariani nominis cohortes, duce Petro Aloysio Farnesio, tuebantur. Cũ Farnesio autẽ aderant cohortes, præter suas peculiares, nonnullæ etiã aliæ, qui Petri Mariæ Rusij, atq; Alexãdri Vitellij absentiũ vexilla sequebantur. Hinanq; post desperatas Pontificias res, impetrata missione, Cæsarianis adhæserũt, iussuq; Aurantij Farnesio se cõiunxerãt, qui ab initio secutus Cæsaris nomen, cladi Vrbis interfuerat. Gerebant Rusij atq; Vitellij vices, duo peditum præfecti, Carlottus Parmensis cognomento Eques, & Alexius Lascares vir Græcus, quibus vno consensu Orbẽ defendentibus, frustra Camillus oppugnare atq; obsidere contendebat, quanquã turrim castris suis infestam, quæ erat extra Orbẽ igne cuniculis suppositò, totã ferè cũ clade defensorũ, sussq; aliquot incendiarijs artificibus excidisset. Erũpebant Cæsariani omnibus propè horis, & cũ Venetis quotidiana exercitatione dimicabãt, iniquæ conditione, quòd Veneti multitudine equitũ valerent atq; ex occasione ad cohibendas eruptiones, triremes, obuersis in litus prores, in erũpentes hostes tormenta conijcere consueuissent. Eo tempore Veneti terra mariq; impigrè bellũ gerebant, nam præter classem, quæ magno sibi vsui et terrestribus copijs erat, mirifica etiã Græcorũ equitũ opera vtebantur, qui non solùm circa Manfredoniam, sed totæ

quoq; Apulia & in Salentinis, Gallicis admixti copijs Colitabant. Conduxerat nanq; fortissimorũ hominum turmas, qui exosi Turcarum iugũ è Peloponneso reliquaq; Græcia, inuitati stipendijs, in Italiã transire cæperant. In his fuere, quorum nomina silentio minime prætermittenda duximus, vt præclarè constet non omnino exoleuisse equestris militiæ disciplinã tantopere apud eas gentes antiquis scriptoribus celebratam: Demetrius Maurestius Aetolus, & Ioannes Palæologus Byzantius, duóque item Spartani Nicolaus Rhallæ, & Emanuel Cladæus, et è Nauplio Petrus Frosina eo genitus Theodoro, quẽ Brixiæ cecidisse docuimus. Ioannes quoq; Coroneus, cognomẽto Vasco, & è Zacyntho Lusius dignitate equestri Theodorus q; Rhenes Epidaurius. Et Cæsarianos hoc loco minimè nominemus, apud quos militare liquet inclytæ virtutis ducem Theodorũ Buccalũ Lacedæmoniũ, Demetrium Capuzzimadiũ è Nauplio, & Zuccerũ Epiritica ortum stirpe, Megalopolitanũ ciuem, quæ vrbs hodie Londarũ vocatur in centro Peloponnesi loco valde campestri posita. Sed apud Venetæ militiæ Græcos à multis stipendijs præclaraq; laude supra cæteros eminebat Georgius Boschius, eo Dominico, qui Patauino bello longè clarissimus fuit, genitus. Simon quoque Romanus, qui in Brutijs ab initio profectus

Etus, eius regionis populos ad defectionẽ compulerat, magnaq; res gesturus videbatur, postremo ad Montẽ Aureũ non procul à Cosentia à Pignatello Borellio acie superatus, per Lucaniam in Apuliã peruenerat & auctius copijs, quas ad eũ Federicus Carrafa perduxere serò fuerat conatus, Barolũ ingressus, bellum Cæsarianis inferre cæperat. Quibus nunciis permotus Aurãtius, vt Apuliæ rebus opẽ ferret, Ferdinandũ Gonzagam cum dimidia parte equitatus, qui Quadratæ consisteret in Apulia misit: Reliqua enim pars hyematum circa Aquilam dimissa fuerat. Camillus quoque Vrsinus de Lotrechij obitu certior factus, desperata expugnatione Manfredoniæ, cũ suis copijs Traniũ occupauit, properissimæ Tranensiũ vsus voluntate, qui à memoria prisfini Venetorũ imperij, moderatũ grauissimæ gentis dominatũ expetebant. Ex aduerso Borellius Simonẽ Romanum ab se in Brutijs fusum & Federicũ Carrafam in Apuliã se recipientes persecutus, cum his quas habebat copijs apud Andriam posuit castra, tumultuariisq; excursionibus cũ Cæsarianis iunctis bellũ gerere cæpit iniqua conditione: quoniã eius equites magna ex parte Siculi ineptis atq; veteribus armis instructi et planè rudes, nequaquã Epirotis equitibus, arte sua per gyros hostem eludere solitis, pares cuadebãt. Quo miri-

fico equitatu fretus Simon, cum Federico Ausidum transgressus, incursionem faciens repentinam in regiones Canusio & Cerenniolæ quæ Castellum Geryonis olim fuit, subiectas, magnam vrisq; pecoris prædam abduxit, intoq; cum veteribus præfectis consilio, de munienda vrbe cogitauit. Sub id quoque tempus, Rentius Ceres, qui vti memorauimus, circa Aquilam Picentiq; fines cohortes coegerat, vt opem Lotrechio laturus Neapolim ire maturaret, audita Lotrechij morte desperatisq; partim rebus, cum his quas habebat copijs, nam magna pars militū fuerat dilapsa, ad mare descendens & ad Senogalliam naues nactus in Apuliam peruenit, & quod reliqui ante eum duces statuerant, munienda vrbis Barolicensium suscepit, tanta cura, tanta q; sanitia, vt eam vrbem dirutis omnibus ad vnum suburbanis ædificijs, euastatisq; ciuium possessionibus atq; delitijs, nec delubris sacrosanctis veteribusq; cœnobijs parcens, luctuosum in modum deformaret, taquam longè omnium grauissima obsidio expectanda putaretur. His dē fere dictis, Landus qui è Campania in Hadriaticum mare redierat, comuncto sibi Ioanne Moro leuj sinus præfecto, tota classe admota, Melfictā vrbem fortiter expugnauit, quū à terra vno tempore Simon Romanus & Federicus Carrafa suas copias admouissent. Muralis verò ea rursus

rursus decem ad Dominicum Bembum nobilem triearchum peruenit qui per antennas muro appositas primus pinnas apprehenderat. Fedecies autem Carrafa, qui refrigerandi causa æstuans galeum fortè detraxerat, lapide caput ictus occubuit. His de causis Aurantius, quòd in Apuliam hostium copias augeri, insigniq; classis beneficio bellum in Salentinos etiā extendi prouidebat, aperiente se anno maioribus viribus bellum gerendum conficiendumq; esse iudicans, nouos duces suis subsidio misit, Adarconemq; præsertim, qui Borello lethali febre absumpto successerat ipsumq; Vastium cū tota mole peditatus, apparatuq; tormentorum, vt Monopolim oppugnaret. Qua re prouisa, Camillus eductis Barolo lectissimis militum suorum, atque his triremibus impositis, Monopolim est profectus, magnisq; operibus atq; omni telorum genere ita se permunisit, vt Vastij impetū cuniculis murum subruere conātis aliquandiu laid fixatus, irrito incepto abscedere cogeret, quum ibi iuxta cum magno periculo Pomponius cubicularius tormēto fuisset interfectus, ita vt cruento discerpti eius viscere Vastius conspergeretur. & Mendanius Hispanus cohortis præfectus, glande frontem penetrante occubuisset. Is ille est Mendanius, qui sub arce Molis Hadriani vetulam olitoris vxorem impijs manibus laqueo pro ianua suspendit, quòd

illa expetenti Pontifici binas lactucas in fossam opera pueri funiculo alligandas & sursum extrahendas proiecisset, sic vt detestabilis eius suspendij spectaculo, prospectantis Pontificis oculi grauissimè per sex dies offenderentur, illeq; iusta indignatione permotus, hominem vsque adeò impium execratus, pari supplicio deuoueret. Cæterum eius Apuli belli nulla re præclarè gesta memorabilis, quòd latrocinijs & excursionibus vastationeq; vrbium vtrinque certaretur, eum habuêt exitum, vt pace inter Cæsarem & Franciscum regem confecta finiretur. Nam rex in eam curam totus incumbens, vt liberos quos obsides dederat, redimeret, cunctas sociorum rationes sua rei memor, atque alienæ oblitus, neglexerat, Cæsarq; petendæ Italiæ cupidissimus, vt de more, sicuti obtulerat Pontifex, honore diadematis ornaretur, facilè obsides ab se redimi passus est, quum ei ducentæ aureæ moneta myriades pro redemptione numerarentur. Hac pace vel multebribus ingenijs tractata atque confecta, nihil regi felicius, socijs verò fœderatis molestius atque damnosius fuit. Nam hoc fœdere, cum Veneti, tum Florentini facilè sunt prætermissi, qui non sine calumnia Gallorum eo pacis beneficio nihil adiuti sed magnopere iniuria affecti, defluxa fide regis conquerebantur, qui tametsi pudoris plenus, eam duarũ ciuitatum offen-

sionem in fœminas tamquam pacis auidiores reiiceret, atque eas iniquè deserere videretur, quibus tamen poterat verbis humanissimè solabatur. Ludouica nanque mater regis cum Heleonora regina nuru in Belgarum fines ad Cameracum contenderat, vt ibi celebri conuentu habito cum Margarita Cæsaris amita, de pacis conditionibus ex arbitrio, exclusa omni vel legatorũ externorum, vel iureconsultorum disceptatione statuerent, adeò occultatis consilijs, vt Balthasar Carduccius Vesano propè sermone reipublicæ suæ dignitatem atque salutem iniquè proditam quereretur. & Veneti non obscura suspicarentur, ea de causa id percussum esse fœdus, vt ipsi vrbibus, quas recepissent in Apulia, decedere cogerentur. Qua in re Nicolaus Campanus antistes Cæsarem monuisse ferebatur, vt quæ armis nõ facilè recipi possent, eius æquissimi fœderis beneficio recuperanda censeret, satagẽte in eam rem Clemente Pontifice, qui Rauennam & Ceruiam sibi ereptas aliquando ex illa conspiratione duorum regum, sibi repetendas arbitrabatur. Itaque ad pacis confectæ nuncium, Gallicarum partium duces, Apuliæ vrbes tradiderunt, vltimúsque omnium eo bello Romanus Simon tormento est interfectus, quum Brundusinam arcem oppugnare pararet, & se incautius speculabundus hostibus obiecisset.

Veneti tamen aliquanto tardius sua præsidia deduxerunt. Accidit autem, vt his propè diebus in agro Insubrũ, sancti Pauli regulus ab Antonio Leua acie funderetur & caperetur, quo nuncio Franciscum regem apparuit opportunè pacem petiuisse, quum eam omnino deteriorem accepturus videretur, si Cæsariani de Antonij Leuæ victoria tempestiuè diuinassent. Hic Sanctopaulus Borbonius nõ multum efficax aut felix dux, iam vnum atq; alterum annum in Gallia Cisalpina transegerat, incensusq; odio in Ligures qui ab rege defecissent, frustra bellum inferre fuerat conatus atque item insidias Auriæ tetenderat, quum eius domum nocturna incursione occuparet & diriperi, quòd esset extra vrbis portam, per Valcercam agrestium hominum cohortis ducem iussisset. Sed Auria domi non repertus, facilè periculum vitauit, neque postea extra vrbem in ea villa sine præsidio atque excubijs pernoctauit. Itaque Galli sese cum Venetis & Sfortianis copijs coniunxerunt, vt Antonium Leuam arctius obsiderent, egregiáque simulatione speciem præbentes inuadendi Mediolani, Ticinum continuò deflexerũt, quòd ibi nõ multum validas in præsidio copias esse didicissent. Quorum profectione cognita, Antonius paruo tẽporis spatio deceptus, vti cupiebat, Ticinensibus opem ferre non potuit. Erant in præsidio Petrus

Petrus Biragus Insuber aquè strenuus & nobilis equitum præfectus, & Petrus Botticella patritius Ticinensis, Apõteq; Hispanus cuius virtuti Antonius multũ tribuere erat solitus. Hi circiter duo millia hominũ partim Italici & Hispanici, partim Germanici generis cogegerant, quibus addebantur prõptissimi quiq; Ticinenses, qui pro patria supremũ virtutis conatũ edere decreuerant. Sed bipartita oppugnatione, quũ Galli paulo infra Porticeriam portã oppugnare adorti essent, Feltrius summa felicitq; industria traductis vltra Ticinũ maioribus tormentis, intercedente amne naualia quatere cœpit. Nam ab ea parte mœnium angulus promine bat, qui defensores in corona constitutos protegere videbatur, quo angulo celeriter decusso, latera propugnatorũ momento tẽporis nudata sunt, sic vt pilis coronã per longitudinẽ detergentibus, in muro consisteret nemo, qui subeuntes hostes detruderet, magno nanq; conatu Gallos simul & Feltrianos atq; Sforcianos vt subirent & irrumperent, ingẽs cadentis muri ruina inuitabat, nec propugnatores, vel multis cadentibus retardabantur, quin pari constantia dimicarẽt. Verũ Birago & Botticella cadentibus & defensoribus eorũ morte perculsis, vis irruentiũ diu sustineri nõ potuit. Atq; ita Aponte ipso cum expeditis Hispanis & Germanis in arcem se recipiẽte, vrbs

Vrbs cũ multa cade capta est. Nam quũ se reciperent Germani, atque hostes obuertentibus nonnunquã ora & repugnantibus instarent, toto spatio per regiones Vrbis vsq; ad arcẽ atrociter est dimicatũ sic vt hac nobilissima Longobardorũ regum olim regia, & nulli in Italia Vrbiũ fœcunditate agri, & opportunitate amniũ, ædificiorũ magnificentia inferior, accumulatis tot cladibus, funditus propè euersa censeretur. Hac expugnatione Feltrius singularem peritiæ militaris & efficacis industriæ laudem omnium iudicio adeptus est, quòd opportunè transfuctis Vltra Ticinum tormẽtis, hostes decepisset & secus quã illi credidissent, ex obliquo murum feriens, latum ad irruptionem suorũ aditum patefecisset. Ea die tamen nonnullos viros fortes amisit, & in his Paulũ Manfronũ inclyti nominis equitũ præfectum, qui quũ esset octogenarius & indomito corporis vigore frueretur, nunquã à militia laboribus atq; periculis discesserat. Malatesta quoq; Cesennas nobilissima stirpis, dum circa vineas versaretur glande caput ictus occubuit. Quo pacto autem hic Franciscus Borbonius cognomento Sanctipauli regulus in Antonij Leua potestatem deuenerit, operæpretium esse reor paucis enarrare. Igitur per id tempus, quo Andreas Auria à stipendijs atq; amicitia Franciſci regis discedens, atque obiter se Cæsari applicans,

plicans, cum incomparabili veræ laudis præconio patriam in libertatẽ asseruit: Borbonius, quòd eius facti contumelia detrimentoq; regẽ ipsum vehementer angi perspiceret, totus graui incensus odio in Auriã & Genuenses, demissis in Pociferam Gallem copijs ferebatur. Sed postquàm, vt supra diximus, insidiæ nihil processerant, Genuenses opinione sua diligentiores paratioresq; reperissent, retro Alexandriam se recepit, captaque Mortaria, & pulsis Nouaria Cæsarianis, cum Venetis & Sfortianis copijs se coniunxit, eo consilio, vt nouis auxilijs (erant ei peditum duorum circiter millium Hispanorũ quæ à Barchinone in Italiã peruenerant) iter præcideret. Cæsar enim, quòd Vrbs Genua Gallis esset detracta, magnopere gauisus Genuenses fouendos subleuandosq; opibus atque auxilijs existimabat, quòd Gallo hosti ereptam Ligustici maris nauigationem suo insigni cõmodo prouideret. Verum Genuenses ea Hispanorum auxilia, decedente iam periculo, in Vrbem minimè suscipienda censuerunt, quando sibi satis præsidij in concordia ciuium fore putarẽt, & externa, eiusq; præsertim gentis præsidia odissent. Erant hi tyrones à fœda corporum illuuie, & longa maris nausea, deforme militum genus, vtpotè qui essent dudum, necessario potius quàm accurato delectu conscripti, magna ex parte

non inermes modò, sed propemodum nudi, & qui vili pulli ꝯ tunica, & carbatinis sparteis q̃ calciamentis uterentur. Hos milites, postquam non recipiebantur à Liguribus, Antonius Leua, misso ad eos Ludouico Balbiano, ad se perducendos curauit. Hic enim superiore anno Ticini captus, & Genuæ aliquandiu in arce custoditus, Gallorum manus euaserat. Is uti erat uir impiger, quum eas copias recto itinere perducere non posset, ne hostibus facilè delendas obiceret, eas per transuersos Apennini tramites, asperrimasq̃ ualles, difficili erumnosoq̃ itinere, in Placentinorum fines perduxit. Nam hostiles copiæ inter Padum & Apenninum cõstiterant, ut transire ausos circa Derthonam & Vicum Iriæ inuaderent, transitúque prohiberent. In aduerso autem Apennini latere descendentibus, pacata amicaque omnia proponebantur, quòd ea regiones Pontificiæ essent ditionis. Cæterùm Balbianus tertiam ferè partem suorum, sæuitia montanorum Ligurum abrupti eius itineris saltus insidentium, amisit. Infessos siquidem & fame prope enectos è superioribus locis transeuntes, sagittas & iacula suo more scutati iaciebant, & quum ha deficerent, ingentia saxa obruendis Hispanis prouoluebant, tanta locorũ & armorũ iniquitate, ut Hispanorum acerui profundis in uallibus præcipites dati spectarentur,

rentur, & passim quòd eripi nequirẽt, à sociis desererentur. Induerant siquidẽ Ligures sæuo odio in Hispanicũ nomen, quòd ab his Genuã Liguriæ caput rapacissimè direptã meminissent. His superatis difficultatibus, opportuneq̃ deceptis hostibus, Balbianus paulò infra confluentes Padum & Ticinum cõtra oppidũ suis, cui Bello Iocoso q̃ nomẽ est, lintribus copias traiecit, eamq̃ manũ insperatò incolumem Antonius Mediolani recreandam uestiendamq̃ suscepit. His tyronũ Hispanorũ aduentus, insubrum calamitates accumulauit: nã præterquàm quòd & stipendia præbere, & domi liberaliter alere ueteres Germanos atq̃ Hispanos cogebantur, tyrones etiam seminudos, & ab extrema inedia famelicos suis laribus accipere, & domesticis copijs tueri oportebat. Hæc longè grauissima ciuibus, Antonius, ut militi præsteret, dira cladis uectigal excogitarat, quo omnium pecunias abraderet & singularũ familiarũ fortunas euerteret. Seuero namque edicto uir imperiosus, & sæuus à quoquã ciue Cererem coqui uetuerat, quum uenalis tantùm ederetur constitutis eius Monopolij tabernis. Vnde esurientes magno pretio panem coemerent, tanta edicti atrocitate, ut pleriq̃ inopes laquei metu fame passim interirent. Molendi uti q̃ tritici percoquendiq̃ panis uetantes leges, pauidum uulgus perhorrebat, ita ut Antonius

tonius clarissimam paulò ante atq; opulentissimam Italiæ ciuitatem, importato ingenti luctu, longè omniũ miserrimam redderet. Tanta scilicet acerbitate atq; sæuitia crudelissimæ legis authoritatẽ tuebatur, vt vel ab egentibus mulierculis, quæ desiderio panis subcinericias conficerent offulas, & in sartagine placentas oleo suffrixissent, contusoq; in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraues pœnas exigeret. sic vt nõ infacetè, quãquam amarissimè Marcus Antonius Canicula quæstorij ordinis ciuis, in corona diceret, peramplam vtreor ciuis hic noster Antonius à Cæsare gratiã proculdubio referet, quando ei supra tot clara cognomina summæ maiestatis, noua nobilitatis ergo, Furnarij titulum adiecerit. Nam & tabernæ furnariæ & venales panes Cæsareæ aquilæ nota signati, vulgò imperiales vocabantur. Verum neq; Antonius neq; Cæsar ipse ab ea execrabili diuinarũ atque humanarum rerum labe fideliumq; Insubrũ miseriis, vllam omnino infamiam ad se redituram putabant modò opes suas aduersus conspirantium hostiũ potentiam confirmarent. Quando neque Antonius deformatæ vrbis aspectu commoueretur, neq; Cæsaris absentis molliri animus, tot in Hispaniã frustrà missis legatis, vt miseriis finem imponi iuberet, ad misericordiã flecti potuisset, vtpote qui alieno potius cum luctu eo bello

bello victor euadere, quàm inanis clementiæ laude potiri vellet. Quibus rebus fiebat, vt Antonius studio militum firmior factus, & numero eorum auctior, quando illis cuncta ad prædam obijceret, hostes facilè contemnebat. Nam neque Venetus imperator, ita operam exigente senatu, pugnax erat, vt qui periclitari vires nollet (tenues autem erant Sfortianæ copiæ) neque apud Borbonium aut firmæ vires, aut expedita consilia videbantur, quibus vim admouere vel coniunctis castris & comineus congredi auderent. Itaque communicatis consilijs, & abiecta oppugnandi Mediolani cogitatione, optimum factu censuerunt, vt hoc modo Antonius lenta & longinqua belli ratione obsideretur, Feltrius in vetera sua castra concedens ad Cassianum supra Abduam. vbi amne ponte constrato, ex Veneta regione commeatibus & copijs iuuari posset, id se præstiturum pollicebatur, ne quicquam per Martianam regionem, qua erat refertissima omnibus rerum copijs ad obsessos importaretur. Aduersa verò parte Borbonius ad Abiatum consisteret, omnesque inde, quæ subuehi Ticini emissario possent, commeatus interciperet. Sperabant enim hostes, postquàm vi subigi non poterant, diuturnæ obsidionis incommodis minimè suffecturos. His constitutis, apud Landrianum vicum, qui est ad decimum lapidem

ab Vrbe, Feltrius castra mouens signa ad Cassianum dirigi iussit, Borbonium admonens, vt pari digressu ad Abiatum iter intenderet. Sed Borbonius inclinante die, nequaquam moturum castra, sed postridie Ticinum se iturum dixit, quòd ibi grauiora quædam tormenta impedimentaque deponere statuisset. At Leua qui diligentissimè in eam excubabat curam, vt ex occasione alicunde hostilibus noceretur, vbi didicit Feltrium conclamatis vasis à Borbonio discessisse, suspicatus id futurum, quod vsu euenit, vt Galli nequaquam mature proficiscerentur, præfectos omnes aduocauit, instructisque militibus, paratos ad profectionem de secunda vigilia sibi adesse iussit, cohortatusque eos, vt alacri studio secum expeditionem susciperent, pollicitus est post exortum solem victis eis ad prædam Gallos se daturum. Quòd si, inquit, vt non planè reor, festinantius effugerint, postremum certè eorum agmen certissima prædæ vobis cedet. Milites sublata voce respondérunt, vt fortia consilia digna superioribus victoriis, ingenti animo agitare porgerent, se namque quod imperasset periculosæ profectionis dubiæq; aleæ munus alacribus & impauidis animis esse subituros. Nec mora, quam ipse cunctis propè membris articulorum dolore caperetur, fulgentia arma induit, præmittit equitatum, duplicique instructa acie hinc

hinc Germanis, illinc Hispanis latera cingentibus, Italicis verò cohortibus tormentorũ præsidio constitutis, ad hostes contendit, quos nondum profectos & expediendis impedimentis intentos deprehendit. Borbonius qui nihil minus putarat, quàm Antonium instructis copijs sibi ad iter parato superuenturum, quum oriente iam sole linteata de more hostiũ agmina conspexissent, obstupuit, grauique metu, vti deprehensis accidere solet, nequaquam temere correptus est, ob idq; præsertim, quòd ab hesterno consilio Guidonem Rangonij primo præpositum agmini Ticinum præire, atque ibi hospitia parare iussisset. Imparatus itaque & multo spatio à prima acie distantibus, tanta perturbatione medij postremiq; agminis circumuentus est, vt tumultuosissimè aciem instruere, & repugnare frustra cogeretur, & vi celeritateque incumbentis hostis animo concideret. Præbuit Antonio Fortuna spatium parandæ victoriæ ab inopinato casu: nam cum maioris tormenti currus, perfractis retinaculis, media lutulenta in via concidisset, vel ob id magno fuit incommodo, quòd Galli etiam nobilissimi equites, id subleuare atque reficere conati, in pedes desilijssent. Vetere si quidem suo instituto turbæ ducunt tormenta ex itinere occupandà hostibus reliquisse. Hac mora secuti Rangonius iusto festinantius, quàm ite

facere esset iussus, tantum anteeundo confecit itineris, vt neque reuocari, neque admoneri de repentino aduentu hostium opportunè potuerit, neque obiter Antonio producendi pedestratus defuerit tempus, qua pedestri acie promotæ, & equite audacissimè dimicante, media Borbonij acies, cui se coniunxerat postrema, puncto temporis terga vertere cæperit, quum Antonius in sella fulgentibus protectus armis cristisq; conspicuus succollantibus baculis in aciem se inferri iussisset: omnium namque oculos in se conuerterat, quum aperta galea adhortaretur suos voce terribili, & peracri oculorum obtutu Gallos terreret. Interim Germani qui Gallis militabant, quòd nunquam ferè aliàs accidérat, turpissimè terga verterunt, vt pote qui essent ex collectitijs, qui superiore tempore Gallica stipendia meruerant, aut ex ea regione essent conscripti, qua est citra Rhenum, Lothoringiaque fines attingit, nec multum habet Germanicæ virtutis & disciplinæ opinionem. Germanos Galli pedites, & secundum eos Italicæ etiam cohortes, nulla dedecoris cura subsecutæ sunt, paruáque ideo cædes edita est, quòd neque à sclopettarijs inter confusos permixtosq; ordines opera exigi potuit, neque tormenta nisi pari periculo displodi potuerint. Ipse Borbonius latam fossam periculoso equi saltu superare conatus, ab equi

tibus captus est. Nec longè ab eo eandem sortem tulit Claudius Rangonus vir impiger, qui postremæ aciei præfuerat. Stephanus quoque Columna in fossam præceps datus, concidente equo, magnum salutis discrimen adijt, quum galeatus in lacuna ferè submersus ægrè sese manibus hostium eripuisset. Leua potitus omnibus tormentis atque vexillis, et duce capto, ab eius rei gestæ fama vsque adeò inclaruit, vt nemo eius ætatis dux, vel in consilio capiendo solertior, vel in exequendo acutior, & efficacior haberetur, Hispanique eum si prospera vteretur valetudine, Magno Consulo eius magistro parem euasurum dicerent. Cæterùm Galli fœdo euentu superati, de Guidone Rangono non obscurè conquerebantur, quòd eos deseruisse præpropera eius festinatione prædicarent, quanquàm ille ita imperanti Borbonio iure militiæ obsecutum fuisse testaretur. Sed eam impositæ contumeliæ controuersiam, qua Guidone indignante & prouocante obtrectatores Gallos, singulare certamen postulabat, Feltrius familiare sermone ita diremit, vt & Borbonium & Guidonem pari propè errore à disciplina discessisse iudicaret, approbantibus ipso Leua, & Vastio, qui vnà Mantuæ tres clarissimi nostri seculi duces fortè coiuerant, apud Hippolytum Medicem, qui tum è Pannonia legatus redibat, ab Hercule Gonzaga cardi-

nale hostitio domi susceptum. Dictis nunquè sententijs, quibus ego præsens interfui, è disciplina rationéque bellica disseruerunt. singulorum ducum esse muneris, qui distinctis agminibus in itinere factundo præsint, per dispositos equites mutua diligentia emensi itineris spatia metiri, nihil extra conspectum signa præire sinere, anteriores medios, medij posteriores, quibus passibus eant obseruare, vt vna quaq; acies ad subitos hostium incursus ex propinquo parata sit, quæ circumuenta opem ferat, et vniuersis coactis virtibus confligat.

PAV

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum sui temporis
LIBER XXVII.

DICTATORE Caponio Rempublicam administrante, Florentini recenti suo incommodo & tot aduersis Gallorum casibus perculsi, in eam curam incumbebant, vt Clementis cõsilia diligenter explorarent, opportunaq; aduersus imminentis propè belli vim præsidia compararent. Non inanibus siquidem coniecturis adducti suspicabantur Clementem ad amicitiam Cæsaris esse rediturum, vt inuictis eius copijs contrà ipsos vteretur. Prouidebant enim eum, postquam in libertatem esset restitutus minimè conquieturum, donec vetere patria dominatu potiretur, offensum scilicet Lotrechiano fœdere, in quo disertè perscriptum fuisset, pudenda sibi & damnosissima conditione, vt populoris Florentinæ ciuitatis status in clien-

tela Galliæ regis foret, defenderetur q; eius peculiari officio munere q;, postquàm suas copias ad Letrechium communes hostes oppugnantem Neapolim misissent. Propterea Caponius non ignarus, quàm grauiter offensus esset Cæsar, qui nullam sibi à Florentinis iniuriam inferri debere existimans, eo Etruscæ legionis auxilio, suos duces oppugnatos atque obsessos fuisse didicisset, Pontificem non iniqua quadam à ciuitate postulantem, molliendum potius aquissimis responsis, quàm acerba negatione exagitandum putabat, ne Cæsari fœdere iungeretur. Erant enim grauia & molestissima eius animo, quæ ad sugillandam maiestatem, minuendamq; nominis existimationem perscripta fuerant, his fœderibus, quibus, se obsesso captoq; in arce, Alfonsius Ferrariensis princeps Cæsari opportunè detractus videretur, & Veneti noua conditione in fœdus Gallicum essent recepti, quorum ille Mutinam Pontificio imperio diu possessam per occasionem pessimè à Fortuna multatâ Pontificus recepisset, ij verò Rhauennam & Ceruiam occupassent. Quæ omnia, quanquam ex authoritate Innocentij legati atque assensu aliquot cardinalium transacta essent, Pontifex nisi planè insanus, & sua dignitati ineptus hostis foret, rata habere non poterat, vtpote qui de recuperanda potius amissa ditione, quàm de vindicanda iniuria sibi

sibi cogitandum esse censeret. Iam enim per Antonium Musetulam senatorem Neapolitanum quem Viterbium accersiuerat, legati Cæsaris vices implentem, & qua erat mirifica solertis ingenij industria praditus, Cæsarem Pontifici reconciliare maturantem, de concordia agere cœperat, adeò feliciter, vt propensissimis vtrinque auribus ea res tentaretur, nec multos post dies bene auspicato solennibus tubulis conficeretur. Quod vt crederent Florentini, in vniuersum adduci non poterant, vt qui Pontificem inexpiabilis eius recentis iniuriæ si generosi spiritus foret, obliuisci non posse prædicarent, quorum opinionem ob id falsam esse euentus docuit: quoniam in pontifice tanta erat ereptæ ab ingratis ciuibus patriæ repetendæ cupiditas, vt omnem recentissimæ calamitatis acceptæ memoriam, ipso nouæ spei pondere superaret. Eodem rerum consiliorúmque successu, missus est cum præscriptis mandatis Hieronymus Vasionensis antistes, Pontificiæ familiæ dispensator, qui apud Barchinonem Cæsarem conuenit, atque his fermè legibus cum eo fœdus percussit. Pontifex Christianæ pietatis titulum prætendens, miseratúsque quassatæ diro bello Italiæ vastitatem, synceram, detersis superioribus odijs, voluntatem atq; amicitiam Cæsari offerebat, pollicebatúrque se de more capiti eius imperatorij diadematis co-

romam impositurum. Si Cæsarianis viribus in patriam reduceretur, vnde sua cum iniuria propinquis ipsius expulsis, amplissima ciuitas Florentia fœda atque acerbissima popularium imperitorumque hominum tyrannide premeretur, optimatibus scilicet contumelioseè atque arroganter electis, antiquisque ritibus diuinarum humanarumque rerum vsque adeò impiè, atque insolenter perturbatis, vt in florentissima dudum vrbe publica salus, desperata concordia, conclamata videretur. Adiecerunt, vt postquàm Florentini aduersum Cæsarem, confisi incertæ Gallorum victoriæ arma tulissent, maiestatis rei sacri, libertatis, & antiquis superiorum Cæsarum concessis immunitatibus seuerè priuarentur, obitérque ciuitati principem Alexandrum adolescentem imponeret, cui ipse Cæsar ad confirmanda fœdera, augendamque Alexandri dignitatem, Margaritam filiam se cælibe susceptam, in matrimonium desponderet. Dum hæc per idoneos homines tractarentur, tumultus insuetæ perturbationis atque periculi apud Florentinos in curia exortus est, vnius malè sani atque efferati ciuis insolentia. Hic erat Iacobus Gerardus contumaci fronte popularis, qui non in Mediceos modò, sed in patritios omnes liuore atque odio percitus ferebatur, ob id tum

id tum ipso turbidior atque arrogantior factus quòd per id tempus sederet inter octo viros decuriones supremæ potestatis, qui dictatori consultandi gratia perpetuò in curia assistunt. Is literas à quodã Ioachimo Seralio Iacobi Saluiati apud Pontificẽ toti summæ consiliorum præpositi cliente, ad Caponium perscriptas, delapsas q; eius sinu, malignè collegerat, nactusq; materiam calumniandi obsurgandiq; dictatoris eò rem turbulentæ deliberationis deduxit, vt dictator perfidiæ reus fieret, accusatusq; concursu in curiam turbulenta iuuentutis insultantis, & propemodum sibi inferentis vitæ discrimen subiret, quum nonnulli è fenestra illico præcipitem dandum dicerent qui aliena à salute libertatéq; patriæ cum Pontifice infensissimo hoste consilia agitaret, nefandumq; profectò facinus in necem optimi ac probatissimi ciuis editũ fuisset, qui optima fide magistratum gereret, nisi Laurentius Sennius, qui erat octouir è decuriorum numero, iuuenis æquitate & constantia animi præstantissimus, superbiam & atrocitatem imperitorũ petulantiumq; ciuium detestatus, corpus suum furentibus opposuisset, adductumq; in suam cellam dictatorem, extremo pallentem metu conseruasset. Earum literarũ exemplum Gerardus paulò ante miserat ad quosdam sectæ suæ ciues, qui in priuatam

natam domum foro proximam conuenerant, & de tollendo dictatore summa atrocitatis consilium, accersita seditiosorum manu, inierant, curiaq; superioris scalas atque hostia occuparant, concitantibus præsertim Thoma Soderino, & Alfonso Strozza, qui nequaquam ex simultate Caponio infensi, sed ex damnatione eius honorem petituri videbantur, quòd popularis studijs prærogatiua summa nobilitatis atque existimationis homines ad dictaturam aspirarent. Postero die coacti in consilium octoginta viri, atque ij simul, qui ex reliquis magistratibus atque collegijs publica consuetudine adiungi solent, abrogatus est Caponio magistratus, atque is honor biduo post delatus ad Franciscum Carduccium, quem nemo candidatum fore putauisset. Ita vt Soderinus, & Strozza sua spe deiecti, ex conscientia animi pudoreq; repulsa, peruersa miseræ ciuitatis comitia damnarent, & plerique irriderent, quod homo in Hispania diu decoctor, & paucis in republica notus, tenuioris Fortunæ, nec præclari, quanquam vetusti generis ab incondito populi studio clarissimos ciues anteisset. Valebat Carduccius solertis ingenij firmitate & perurbana eloquentia, sed qui obliquo oculo & pallida facie, nequaquam decentem aut parē tanto honori habitū præferret. Sequenti die Caponius nihil agrè ferens,

rens, quòd magistratu excidisset, sed de salute solicitus, quanquam vt sese animo confirmaret, & timere desineret, amicissimi, & magna pars senatus cohortarentur, in pallio atro & ciuili capitis integumento ad dicendam causam paratus venit in senatum, sereniore vultu, cultu, pacatioreq; animo, quàm pridie, quum tum coccineam familiarem togam sumens, pro se pauca Petriq; filij salute præfatus, causam suam demississimè magistratibus commendasset, vsque adeò suppliciter, vt innocentiam suam in dubium reuocasse amicorum propensissimi iudicarent. Erat enim Caponius natura lenis, nunquam ulla in re tratus aut feruidus, vtpote qui patientia & moderatione cuncta aspera ferri, & superari debere prædicaret. Protulit Gerardus immitis accusator exemplum earum literarū, quas solo sustulerat, lectitatumq; in senatu est. Cuius sententia talis fuit, vti nos ex Etrusco sermone vertimus. Ioachinus Serralius Caponio dictatori salutem. Quoniam non semper tuta mihi offertur occasio scribēdi, præsentē nactus nunciū nolui differre, quin te facerem de instituto negotio certiorem, de quo probè scis ex arcano me agere cū graui illo quem nosti homine, maximeq; familiari Pontificis. Is mihi retulit Clementem satis prosperè & firmiter conualescentē eo esse animi decreto, vt se honesta con

sta conditione cum ciuitate conciliet, & belli consilia penitus abijciat, neq; aggerrimè sit laturus, quòd populus perpetuò rem administret, & parta libertatis iura tueatur, modò per æquas conditiones, ciuili more propinquorum suorum ratio apud magistratus habeatur. Sed quoniam plura scribere non licet, à te vehementer petimus, vt ad dictum locum extra vrbem colloquendi causa Petrũ filium ad me mittas. Ab eo enim cuncta fideliter exprimente præclarè cognosces quæ in negotio cõficiendo opus sint. Vale. Hæc quæ ex literis recitabantur, apud suspicioſos homines ita animos commouebãt, vt plerique maligno per subſellia murmure oborto, cuncta peruersè interpretarentur, & magna tamen senatus pars communicatis sermonibus, cum proximo assidentium ordine submiſsè deliberando, eius rei culpam à toto læsæ maiestatis crimine suſpicioneq; remouendã censeret. Inter eos qui mirificè Caponio fauerunt, extitit Petrus Victorius eius contribulis, qui tũ erat sexdecimuiri collegiorum ordinis ciuis honestiſsimus & de optimis literarum studijs egregiè meritus. Tum verò Caponius à dictatore causam dicere iuſſus, in hanc sententiam constanti vultu, miroq; omnium silentio loquutus est. SI QVIDQVID morem & disciplinam maiorũ meorũ ampliſsime dictator prudentiſsimique

causa meæ iudices, nihil vnquam carius liberæ patriæ, nihil vnquã præclara, rectæ conſcientiæ laude honeſtius duxi. Quãdoquidem rempub. vti probè nouiſtis, pluris ſemper fecerim, quàm priuata cõmoda. Pudebat enim ea expectare ferreq; præmia, quæ turpi obſequio vel adulatione facilè pararentur, ab his qui ex vſu dominatus pro libidine cuncta dare atque eripere poterant. Hoc inſtituto animi ingreſſus curiam ad obeunda munia ciuitatis, per quinquaginta annos ita feci ſemper proſpexiq; exoptata nec vnquam deſperata libertatis, vt in vtraque Reipubli. Fortuna, modò fortem modò incorruptum, nec vnquam demiſſum animum ferrem. Quippe qui vitæ innocentia, & domeſticæ frugalitatis laude contentus, quæ duæ virtutes (abſit inuidia) domui noſtræ ſemper peculiares fuêre, opportunitates temporum expectandas atq; omnino maturè captandas arbitrabar, quo excitari, ingentibusq; ciuium animis conſtitui, ſine perturbatione labeq; ciuitatis, ſecura libertas poſſet. Aſſuere ita q; Dij immortales non irritis votis ciuium vti pie conceptis, & libertatẽ intermortuam inſperato excitarunt, ciuitatiq; nullo effuſo ſanguine, quod ipſorũ mirabenignitatis fuit largiti ſunt. Hanc ego ante alios flagrantiſsimo ſtudio complexus, vt diu apud nos vigeret atq; floreret, omnibus conſiliorum

liorum artibus adnitebar, prouidebamq́, ne infirmas eius radices vlla aduersa tempestas reuelleret, primúmque omnium Clementem ipsum, nobis, his præsertim lenimentis & officijs, qua libertati nostræ nihil officerent pacandum, aut omnino spe & mora distinendum existimabam, ne accumulatis iniurijs irritatus, alicunde nobis insidias, atq; arma moliatur, Vt quis non imprudens, ominari facilè potest. Probè siquidem agnoscimus, quos spiritus gerat, quo angore animi torqueatur, quod patriæ dominatum, horribilis ruina casu oppressus amiserit, qua demum machinatione bellici conatus eum recipere cupiat, & olciscí odia in illos, qui dignitatem eius pudendis contumelijs obtriuerint. Hæc eius exagitata mentis consilia, Vt à nobis auerterem agro blandimenta afferenda, iustasq́ iras mitigandas rebar, spe iniecta non iniquæ conditionis, si nos æquitate rerũ potius, quàm importuna libidine, voluntates nostras moderemur. Quamobrem per Iacobum Saluiatum, quem non plus de vita Pontificis propinquí fui, quàm de salute libertatéque patriæ, solicitum esse comperio, scióque, operam dabam, Serralio internuntio Vt cum Pontifice de compositione ageretur. Verebar enim ne fœdere Gallico, quo illigati sumus, vehementer offensus, desperato meliore consilio, vel inuitus ad

Cæsarem verteretur, quod nobis magnopere cauendum timendumq́, hodie magis ac magis existimo. Proinde iam ab initio, ne propere cum Gallo fœdus percuteremus, enixè contendebam, nisi eidem fœderi Pontifex iungeretur, scilicet, Vt eo honesta vtrinque cautione conciliato, validiora certioraq́ præsidia aduersus inuictas adhuc Cæsaris copias pro communi salute pararentur. Sed in ancipiti deliberationis negotio intempestiua, Vti pernoscere fas est, vicit plurimorum sententia, atque ita elapsi salubris consilij rationem omnem intercidisse, quod dolet, agnoscimus. Quæ huiusmodi fuere Vt huius officij pro securitate publica suscepti, non contumeliam, quæ mihi grauis cum periculo paratur, sed gratiã omnino expectandã à vobis putarim. Quinq́ ille à nobis hæc postulabat, Vt patrimonij fructib. Sectigali æqua oneris lege persoluto, Vt potiri liceret, sibi puella neptis redderetur, propinquis eius aditus secundũ leges in Rempub. petendis honoribus daretur, & quod ad tuendam Pontificij nominis authoritatem pertinet, Florentini à decumandis sacerdotijs absti neãt, & sacrosancta templorum donaria suo intuitu auara manu non attrectent: posti remõ etiam, Vt deiectas gentilitij insignibus pilas, priuatis saltem familiæ ædibus aut templis maiorum suorum pia liberalitate ædificatis,

restitui paterem ur. Hæc verum capita æquissimi cives si diligenter considerem, nec improbè expendam, vel si cumulatè & exactè cuncta concedantur, facilè fatebor me non videre, quid incommodi aut detrimenti Respub. afferri possit, quum iam pridem eiectis adolescentibus Mediceis, quòd sponte nobis tantum hortantibus dominatu excessissent, ius ciuitatis ex decreto publico reliqueritis, nec ideo ex fide Vestræ sit, dignitatéq; senatus id decretum fuisse. Bono itaq; iure repeti quod publica obligetur si de iudicare potestis nisi aliquod ciuium prædiorum redditu augeri publicas opes, & sarciri bellicos sumptus ineptè existimet ea ciuitas, quæ per sexdecim annos inexhaustis opibus perpetuum cum Pisanis bellum gesserit, & me tesse atque adiutore confecerit. Nunquam enim pecunias huic Vrbi alendo & sustinendo bello defecturas crediderim, si sit firmum apud ciues, quod rectè optare facillimè quàm sperare possumus, communis concordiæ studium. Nec item satis prouideo quid nobis efficere possit puella nouennis patruo sacrorum principi depositi benignè reddita. Nam præterquàm quòd eam & sexus, & ætas tutâ ab omni contumelia reddant, cauere etiam oportet ne hac in re dñ Pontifici nocere quàm morem gerere malumus, Galliæ regis fœderati maiestatem offendamus si regio ortam sanguine,

guine, & nihil tale merentem, diutius Vestalium Virginum septis adseruandam iudicemus. Tantum verò abest, vt cõplectendo ciues vniuersos, atq; his honores æqua lege partiẽdo Respub. noceatur, vt hæc ciuili benignitate eã firmiorẽ florentioremq; eius suram arbitrer. Amantes siquidem patriæ & constitutæ libertatis studiosos, veroq; bono tranquillæ pacis gaudentes, vna maximè concordia lætari decet, abluisciq; item omnis priuatæ iniuriæ publicæq; simultatis. Insuperabilem namque ciuitatem, non arma, non pecuniæ, sed vnus publicæ decoris consensus efficit. Porrò quod quarto loco petitur, ita mihi, & bono cuique ciui æquum videri potest, vt nihil fœdius & inuidiosius accidere posse existimẽ, quàm si fœdera & violata summi Pontificis authoritate, tanquam diro sacrilegij piaculo polluti, infimi prorsus auaritiæ nomine aqua & igni interdicamur. Postremò autem, vt detectæ insignia & tituli reponantur, summa ratione indulgendum putauerim, ne gloriæ nostræ communibusq; ornamentis stultissimè inuidere videamur. Nam & si quicunque Mediceis nominis principatu potiti sunt, re nomineq; fuerint tyranni, in ciuitate tamen, si nõ verè liberæ, non intolerandis certè compedibus vinctæ, quàm plurima, quod fateri licet gloriosa laudis monumenta cõdiderunt, quæ homines ele-

gantiæ studiosi plurimum admirantur, aduenæ peregrinique suspiciunt, & nostri ciues æquè iusta atque difficili imitatione æmulentur. Quod verò ad deformatum Cosmi sepulchrum pertinet, non est quod quicquam aliud ineptius & inanius factum fuisse iudicem: Quandoquidem ea derasi tituli iniuriæ, cuicunque non insulso ridenda sit. Illius nanque ingeniosissimi viri ossa, ad perennem memoriam non angusto quidem loculo, sed luculentissima incomparabilis templi testudine continentur, quæ sine inexpiabili & propè impia totius humani generis inuidia excindi deleriq; non possint. Vt hic prætereamus literarum sempiternæ famæ præsidia, quibus Medicei ferè omnes tam astuta quàm liberali disciplina impensissimè semper fauerint. Ea nanque vel nobis inuitis perpetuò durabunt, nisi putemus totius Europæ gentes, ad quas historiæ manarint, ad iracundiæ nostræ libidinem, cunctos annales, quibus eorum nomina cum laude inserta sint, insitata conspiratione crematuras. Vos itaque qui Romanæ virtutis exempla æmulari honestissimum ducitis, meminisse oportet, præclaram virtutem, vel summis adumbratam vicijs, tantam habere in se vim ac admirationē, vt Pop. Rom. diri hostis Pœni Annibalis statuam in foro cunctis perpetuò spectandam, collocasse maximè decorum existimaret.

Hæc

Hæc sunt crimina, quibus feciſſe aduersus Rempub. accusor, vnde me nonnulli feruidiore tuendæ publicæ existimationis studio prouecti, improbo aut certè illoto ore, patriæ proditorem appellare non erubuerint, vel ob id præsertim, quòd huiusmodi consilia ex arbitrio meo subtilius & tectius concepta, decemuirali octouiralique collegijs communicanda non existimauerim: Cuius obiecti nomen facilè diluitur, quando hi ante alios, Laurentius Segnius, & Iacobus Morellius, optimi ciues, ac nonnulli alij ex hoc ordine, me secum de hac re loquutum fuisse, & has ipsas literas, quæ mihi sinu exciderint, ostendisse, præclari testes esse possint. Neque propterea, quòd non omnibus hæc communicanda iudicarim, parum syncero animo, parúmque integra fide, consilia, quæ ad summam rerum pertineant, agitasse existimari debeo. Verebar enim, ne disseminata apud suspiciosos & imperitos, vti sæpe accidit, latius efferrentur, atque inde eo, quem optabam statu reque licebat, successu carerent. Neque enim vsque adeò angustæ & circunscriptæ potestatis dictatorem esse putabam, vt ei, quæ cogitet & coquat, silentio tegere non liceat, quum eius sit muneris & officij, vigilando & persitando, id vnum respicere, quo plurimum Reipublicæ prodesse possit. Hoc animi

instituto, sicuti supremi honoris ratio postulabat, dictaturam Vestro insigni beneficio mihi delatam prorogatamque primato meo tantùm non publico periculo gessi. Itaque si peccaui, date pœnas vel indigna morte paratus sum. Sed apud Vos, obsecro, id moderandis sententijs ferendóque suffragio valeat, totius vitæ meæ cursus, in quo nusquam improbè fefelli. Valeat patris mei memoria, qui pro patria pugnans, Pisano bello occubuit. Valeat, & maximè opto, prisfini iudicij Vestri testimonium, quo me nihil ambientem, minimèque prebentem, hoc summo honore dignissimum existimastis, quum recens recepta libertas neque importuno, neque rerum imperio rectore egere censeretur. Nemo quidem repentè fit malus, quod de me suspicari homines nolim, quum idem sim, qui semper apud Vos integer vita omnisq; expers sceleris, sexaginta ætatis annos exegerim. Nec ideo deprecor integerrimi iudicij Vestri seueritatem, quam obtrectatores mei accusatoresq; longe maximam atque acerbissimam requunt, vt apud Vos certa clementiæ laus paretur. Existimatote siquidem Vos non de dignitate vitaq; & fortunis meis in suffragium ituros, sed facturos iudicium de publica salute, quam ita superi incolumem seruent, sicuti me à Vobis benigniore decreto conseruatum iri & spero & opto. Caponio

Caponio perorante, secedentesq; in interius custodiæ cubiculum, eo modo liberis suffragijs iudicium est factum, vt magno assensu cunctis ferè sententijs absolueretur. Mouebat enim populum viri grauis maiestas, acrioribus calumnijs circumuenta, magnóque ciuis diu spectatæ virtutis & integritatis argumento curiæ excedentem, omnes optimatium ordines domum deduxerunt, tanta frequentia, vt quum ad paternæ domus limen, trans Arnum agentis gratijs substitisset, nouissimi agminis pars grauior & honoratior præ turba, ad curiæ limen adhuc hæreret, & multi ex his, qui eum damnatum voluerant, astuta dissimulatione comitantibus admiscerentur, instarque magni triumphi ea frequentia pompa, intermixto lachrymis gaudio, Caponij gentiles & propinqui probiq; ciues maximè lætarentur. Tantum verò abfuit, vt quicquam pristinæ existimationis in ipso, ex tanta summi honoris iactura, deperiret, vt superata inimicorum acerbitate, noua quadam incorrupti constantiaq; animi gloria adaugeri & reflorescere censeretur. Verùm eam splendidissimi comitatus frequentiam facilè inde oriens inuidia corripuit, quum postridie mane, duo summæ auctoritatis legati, Claudius Vellegius Gallus, & Antonius Surianus Venetus, eũ domi humaniter inuisissent. Quamobrem Caponius

grauiorum apud populares inuidiam veritus, amicis admonentibus, in agrum suum clam secessit. His cognitis rebus, Clemens vehementer aduersus Florentinos exacerbatus est, quòd in omnibus eorum actionibus atrox contrà se odium emineret, nec se quicquam vera aut simulata lenitate apud corruptas cunctorum ferè ordinum voluntates proficere posse perspiceret, nec deessent, quod maximè impium & contumeliosum putabatur, qui eum sine vlla honoris aut sanctitatis præfatione nominare, Clementem q3 nudo nomine appellare. & tanquam spurium, neq3 ideo ritè Pontificem creatum dicere consuessent, & in patritios ipsos q3 præsertim Mediceorum necessarios, qui vetteris illorum erga se beneficentiæ memoriam retinerent, nec apertè studium suum pro Republica nudare vellent perpetuò grassarentur. Amoto nanque Caponio, Reipublicæ facies immutata videbatur, quum ius & æquum, ciuilisq3 humanitas nusquam vigerent. Vis enim & acerbitas immitisq3 superbia apud efferatos cæca rabie populares, & turbidam præsertim iuuentutem, virtutum loco censebantur. Ipsa siquidem Carduccius ea mente Rempub. fuerat complexus vt eam his artibus, quæ maximè populo placerent, administrandam existimaret, Neque enim alia via suis suffragatoribus gratiam referri posse prouidebat, nisi se ma

ximè popularem acerbissimumq3 patritij ordinis Mediceæq3 familiæ hostem futurum ostenderet, quum alioquin diligentem accurateq3 industrium & factioni probè addictum senatorem præstitisset, & suscepto dictaturæ honore, impauidus & constantissimus libertatis defensor haberi percuperet. Id enim sibi ex eo magistratu decus petebat, vt fide inclytus, incorruptus pecunia, & pro factione inexpugnabilis & inuictus propugnator euaderet. Quæ tamen non incertæ virtutes in ipso ita elucebant, vt turpissimis inusitatæ malignitatis maculis fœdarentur. Num impio erga patriam consilio, literas, quas Gallica legatione Balthasar gentilis eius ad senatum perscribebat, aut supprimere, aut notarijs peruersè interpretandas dare conabatur, vt populus commentitijs fabulis deceptus, in consilio Reipublicæ deterrimo distineretur. Nam quum è Gallia nihil propensum à rege, nullúmque ab eo efficax præsidium, ad salutem seruandæ ciuitatis, Carduccij literis afferretur, inani spe auxiliorum animos imperitorum sustentabat. Nec quisquam tamen optimus ciuis & à factione semotus reperiebatur, qui in Gallo rege iam planè Cæsari conciliato, quicquam spei impetrandæ opis reponendum censeret, quòd ille ante omnia vel cum sociorum detrimento liberos obsides recipere maturaret. Accesse

ad hoc insane prorsus nequissimi facinoris factum, quod vehementer ipsius Carduccij existimationem lesisse videri potuit. Nam amenissimas, quæ ornamento Vrbi erant, Medicearum & Iacobi Saluiati villas intemperantis & turbidæ iuuentutis impetu, incendijs absumendas tulerat, quanquam id non imperasse, sed dissimulanter delendas obtecisse fateretur scilicet, vt ex tam horribili facinoreq; maleficio, nunquam veniam impetrari posse desperarent, quando id scelus promiscuæ iuuentutis, ad omnes ferè ciuitatis familias pertineret: Edicto quoq; inusitato, & si religionem spectes, & testamenta piorum animorum æstimentur, maximè nefario, xenodochiorum, hospitaliumq; domorum, & templorum prædia confiscanda venundandaq; proposuerat, & non comparentibus emptoribus, ea locupletibus, sub pœna maiestatis coemenda addixerat, quæ impotenter decreta, cum certa labe priuatorum, fortunas ad excidium redigebant. Verùm Carduccius, lugentes sua incommoda specie pietatis admonebat, vt patriæ securitatem priuatis diuitijs anteponere vellent, quando incolumi patria, optima fide pecunia reddi posset. Quòd si contumacius cessarẽt, officioq; patriæ deessent, fore vt improbi consilij pœnas darent, paulò post extremam cladem aut ab hostibus barbaris, aut ab impijs tyrannis

nis extra pœnitentiæ locum laturi essent. In eandem quoque sententiam paulò ante Carduccius, quum esset decemuir, mentionem primus intulerat, cum de cogenda pecunia ageret, vt donaria templis religiosissimè dicata tollerentur, quòd ea non tam ad ornamentum patris, quam ad belli subsidia collata existimari debere magnificè prædicaret. Otiosas scilicet opes, & nihil profuturas, ad salutem patriæ impendis transferriq; debere, sicuti charitate patriæ ducti boni ciues, si salus publica quæreretur, posthabendas iudicarent. Quum de his Carduccij imperijs nonnulli ciues mœsto liberoq; sermone in corona differerent, quod minimè prætermittẽdum videtur, Antonius Albertus, vir honestissimus & perturbatus nõ infacetè dixit, non est optimi ciues, quod quieqũam à dictatore commodius & matius expectetis, nam poliquam decoctori Reipublicæ commisistis, necesse futurum esse prouideo, vt nos omnes cum ipsa Republica decoquamus. Sed tum cũ hostes longè ab Vrbe abessent, neq; adhuc appropinquantis belli incommoda sentirentur, de ea re, à Carduccio decretum fieri non potuit, quòd nondum aut certa aut propinqua aduenisset necessitas, vt opus esset ciuitatem infamis sacrilegij flagitio contaminare, cũ multò maxima offensione Pontificis, quòd nisi ex eius authoritate ritè tolli posse viderentur

rentur: Quãdoquidem ea donaria extra prophani iuris vim, iam sacra essent, ob idq; præsertim, quòd Leonis fratris memoria, qui ea ornamenta ad cultum altarium pia liberalitate contulisset grauissimè lederetur. Ita tamẽ eius rapinæ spes malis ciuibus illata est, vt id scelus Carduccij, successori patrandum relinqueretur. Præbuit tamen ansam turpi consilio exequendo, quum matronas nuptialibus ornamentis singulasq; familias vetere argenti atque auri supellectile spoliandas censuisset, veterum Romanorum exemplo, quum extremis Punici belli casibus matronæ dites generosa propensione omne aurum & argentum ex suo mundo, vt pecunia cuderetur, in ærarium detulissent. Carduccius quoque, quum ad mœnia hostem expectaret, tam fortem quàm inexorabilem dictatorem gessit, quum proxima mœnibus ædificia, vel summæ amœnitatis diruì iussisset, ne venturo hosti munitam sedem præberent. Acerbissimè autem imperauit, vt quæ possent vsui hostibus esse, omnis generis commeatus, pabulaq; præsertim, in vrbem conueherentur, & quæ transferri nequirent, vltrò incendijs corrumperentur. Qua edicti seueritate, lugentibus sua detrimenta minoribus præsertim ciuibus, exardente inuidia, ingens contraxit odium, quanquam id futuri belli diræ conditio flagitaret, & cunctis ciuibus patriæ

patriæ salutem priuatis opibus anteponendam censeret. Adiecit quoque animum muniendæ vrbi, ita vt si quid vetere in muro vitij aut inepta defensionis foret, ea omnia nouis artificijs emendarentur: institutisq; operibus, & curatorum collegio opportunè creato, præpositus est, qui hæc omnia ex disciplina bellicorũ operum impleret atque perficeret, Franciscus Sangallius architectus ciuis bonus & industrius. Is præcepta & documenta ducum & militum sequutus, portis noua propugnacula imposuit. Sub id enim tempus Florentini Malatestam Baleonum certis de causis diductum à Pontifice, neque ei qui Paulum patrem capitali supplicio affecisset, satis fidentem, ex authoritate Franciscj regis conductum ducem crearant, Stephanúmque Columnam dispartitis muneribus vrbanæ militiæ præfecerant minoréque aliquot duces, & in his Marium, Neapoleonémque Vrsinos, & Georgium Sanctacrucium Romanos, stipendijs suis addixerant, quibus pari studio satagentibus, egregiè muniri vrbs cœpta est, magno operarum ardore, quæ ex agro excita, opus facere cogebantur. Iam enim Pontifex ad vrbem acciuerat Philibertum Aurantium Cæsariani exercitus imperatorem, & cum eo de inferendo Florentinis bello consilia inierat, confectóque bello Apulo, & Alfonsus Vastius cum

Hispa

Hispanorum cohortibus, & Ferdinandus Gonzaga cum equitatu in Vmbriam penetrabant, vt inde in Etruriam descenderent. Increbuerat, etiam fama Cæsarem ab Hispania citeriore propediem Auriana atque Hispanica classe Genuam esse peruenturum, ad quem Pontifex tres summæ dignitatis legatos misisset, vt honoris causa illum, quò iret, deducerent. Hi fuere Alexander Farnesius senatus princeps, & Franciscus Angelius Hispanus, cuius diligentia Pontificem carcere eduxerat, ob idq; summa pietatis officium purpureo galero donatum fuisse diximus, & Hippolytus Medices Iuliano Pontificis fratre patruele genitus, & cum eo Alexander Medices Cæsaris gener designatus. Aduentabant quoque è Germania noui duces cum Suevidis equitum & pedstum copijs, Philippus Arescotus Belga, & Felix Vitembergus è Suevia, qui vt Cæsari præsidio adessent, Tridentinis Alpibus sese demittebant. Ipse quoque Pontifex cum vniuerso cœtu Cardinalium minorumque præsulum iter per Flaminiam viam, vt Bononiam peteret, ibiq; Cæsarem opperiretur, sese accingebat. Quibus de causis Carduccius permotus, in senatu retulit Cæsarem missa legatione excolendum mollirandúmque sibi videri, & eum quibusuis conditionibus oblatis, ne hostis foret, præoccupandum: vtpotè qui eius in-

uicti imperatoris animum potius per conditiones, quam armis auertendam putaret: ratus hoc facile posse impetrari, quòd iam latè fama increuerat Solymanum ab Hadrianopoli profectum, cum innumerabilibus copijs in Pannoniam peruasisse, eo consilio, vt regnum ab se iure belli partum, Ioanni q; Sepusio beneficiario iure concessum, iisdem victricibus armis repeteret, eumque Ferdinandi armis Pannonia pulsum, reduceret, quòd sua dignitatis atque amplitudinis arbitraretur, eum tueri atque defendere, quem ipse, vel Christiani nominis titulum præferentem liberali munere, Budana in regia deposcentibus Hungaris regem constituisset. Nec barbarus tantis instructus armis conquieturus esse crederetur, nisi partem Norici Austriamq; principatus Budano imperio adiungeret, & cumulatè iniuriam acceptam vindicaret. Quibus de causis, Cæsarem tanquam domestico terrore atque periculo adductum flectere consilia, idcóque ab Etrusca bella abstinere posse crederetur, quoniam Italiæ viribus barbaro hosti formidolosissimo opportunè esset resistendū. Quibus gerēdis rebus Cæsarem apparebat vna omnino pecunia inopia laboraturum si Germania vobora propositis stipendijs euocata barbaros opponendu statueret. Itaque consentientibus patrum sententijs, delecti sunt quatuor legati, qui ad Cæsa-

rem

rem ire maturarent, summæ authoritatis atque prudentiæ ciues, ipseq; in primis, quod magnæ gloriæ ei fuit. Nicolaus Caponius è rure tãquam ab exilio in Vrbem reuocatus, & cum eo Thomas Soderinus, Matthæus Strozza, & Raphael Hieronymus, iam pridem Cæsari notus, quòd in Hispania legationis munus obiuisset. His verò proficisci iussis, actitatum est in senatu, an Pontifex pari legatione ad sem pacis flectendus, aut certè exploratis eius consilijs pertentandus foret. Quod cùm à plerisq; tanquam æquum & planè pium probaretur, tanta fuit peruersi dictatoris astutia, tantaq; popularium superbia atque impudentia, vt nec ciuem, nec sacrorum principem, cuius nomen cunctis gentibus esset venerabile, vel adeundum vel excolendum decernerent, quoniam eius congressu, à quo nihil è Republica impetrari posse confirmarent, contagione non obscura constantia liberæ ciuitatis fœdari posse putaretur. Tanta siquidem popularium animos inuaserat insania, vt facilè suspicarentur, in optimo quoque ciue deesse fidem. Quandoquidem qui legationis munus susciperent, facilè muneribus adulationéque Pontificis corrumpi posse iudicarent, nec quenquam vsqueadeò probum crederent futurum, qui Pontificis pollicitationes expeditaque præmia publico bono anteponenda non duceret

duceret. Superabant tamen cogitatio periculi atque imminentis belli metus, omnem deprauatorum ciuium pertinaciam, ita vt pudore per subsellia oborto Petrus Franciscus Portinarius, qui è legatione Britannica redierat, ad Pontificem legatus destinaretur, cui adessent duo mediocris existimationis collegæ. Cæterùm opera Carduccij nequaquam mandata publica proficiscenti data sunt, quòd ea decernuiri in itinere se submissuros mentiendo pollicerentur. Quamobrem necesse erat vt ea legatio, quæ certis mandatis non imiteretur, inanis foret. Hæc res indigna Pontifice, animum eius vehementissimè pupugit, quum ciuium, vsque adeò aucto acerbitatis furore, insanabiles animos armis omnino perdomandos censeret. Interea Cæsar Barchinone oram soluens, Auriana prætoria vectus, comitante Portundo qui Hispanicæ classi præerat, Genuam peruenit, præstòque ei fuerunt Pontificis legati. Cæsar autem in ædibus Prætorianis susceptus est, excepereq; ciues eius comitatum propriis penatibus, impetrante hoc officij genus Andrea Auria à singulis familijs, quòd agrè Genuenses in vniuersum suscepturi Hispanos hospites viderentur, propter recentem adhuc memoriam, ab ea præsertim gente, direptæ ciuitatis. Cæsar ipse secus ac crediderant hominues, faciem prætulit, lenis clementisque

animi

animi indicem, ipsóque iuuentæ flore maximè decoram, quam honestabant mores ciuili modestia conditi & eloquia benigna comitatis, sic vt famam concepta apud Italos feritatis extingueret, quandoquidem nequaquam eius imperio, sed dira atque immani ducum suorum acerbitate, quæ perpessi essent summa calamitatis incommoda, illata fuisse crederentur. Nec multum inde Florentinorum legatos admisit, qui ab eius aquitate clementiáque demisse postularunt, vt ciuitati parcendum duceret, si quid fatali coacti bello, maiestatem eius læsisse videretur, paratam quidem esse cuncta facere quæ imperaret, modò eam vetere consuetudine liberam, sua qua potiti essent libertate, frui pateretur, pro qua omnino conseruanda tuendáque populus vniuersus, non vrbium modò sibi subiectarum opes, sed liberos, & coniuges, delubráque & fortunas omnes, contempto omni belli periculo deuouisset. Propterea maximè decorum fore, si ciuitas, quæ esset totius Italiæ longe pulcherrima, & ad ipsius Cæsaris authoritatem vltrò se conferret, libera atque integra seruaretur. Ad ea Cæsar paucis respondit, Florentinos iniquè arroganterque fecisse, qui nulla lacessiti iniuria, Gallis hostibus suis adhæsissent, fœdereq; icto, Etrusca auxilia oppugnandis ipsius aduersus Neapolim misissent. Quo inexpiabili delicto superio-

superiorum Cæsarum concessas libertatis immunitates vel ingratè, vel perfidiosè corrupissent. Hæc tametsi vti maximè fœda, omnino armis vindicanda censerentur, se tamen noxam, & totum eorum maiestatis crimen pro sua humanitate magnitudineque animi remissurum, sè sacrosanctum Pontificem, eundemq; ciuem suum eximiæ moderationis, quæ impudenter patria eiecissent, conuersis voluntatibus reciperent. Hanc enim si quidem ipse relinqui viam parandæ pacis, quando nullo alio auspice, sequestróve, eam impetrare possent. Proinde, si sani forent, in id enixè satagerent, si incolumes esse vellent, vt pristinum gratiam à Pontifice honestissimo obsequio promererent. Neque enim aliter se fidei præstita, neque officio suo, quod percussi fœderis legibus esset obstrictum, satisfacere posse, nisi sacrorum principi & ciui de Florentina Republ. optimè merito, sua patria redderetur. Ab his pragratibus Cæsaris responsis, legati diuerso animorum habitu ab Genua discesserunt. Caponius & Strozza, prouisis asperrimi belli difficultatibus, vel non æquas, & præsenti Reipublic. incommodas certa pacis conditiones, dubio bello facilè præferebant. Soderinus autem ita horrebat bellum, vt animi anceps pacem improbaret, quòd ea propter gentilitias simultates, nisi reductis Mediceis, parari non posse vide-

retur. Raphael autem occultè correptus ambitione, popularis factionis studium suscepit, astutè quidem ratione, vt quum esset patritius et multis nominibus Mediceo nomini obstrictus, vtriusque ordinis voluntates promereret, petitionique suæ, quam animo agitaret, certa suffragia compararet. Itaque Soderino per causam valetudinis Pisis subsistente, quòd Caponium apud Castrum nouum Culphurniam saltus ex morbo perijsse, Strozzam verò, qui eis comes affuisset metu belli & turbulentæ populæ rium factionis tædio Venetias abijsse didicisset, magna festinatione Florentiam contendit, ita vt intento cursu in curiam ire pergeret, et penulatus petasatusque, ad præoccupandæ hominum studia, ad dictatorem & decuriones ascenderet. Eius aduentu frequens factus est in curiam hominum concursus, quum quisque quòd à Cæsare relatum esset, noscere percuperet. Ante omnia Raphael Carduccium arctè complexus, cohortatusque, vt eundem quem maximè fortem pro salute patriæ animum induisset, generosè confirmaret: causas nanque vel timoris vel periculi aliquanto minores esse quàm putarent postquam Cæsarem, exploratis et expensis consiliorum eius explicandorum difficultatibus, adijssent, & ex colloquio, inanis contumaciæ responsa, iustis ipsorum postulatis alienа retulissent. Primum omnium aduectas esse ex Hispania non multas, eásque tyrones inermes copias, nec satis quoque auri signati adductum quo Hispanorum & Germanorum, cùm veterum, tum nouorum, qui è Germania expectarentur, stipendijs satisfaceret: bigere adhuc bellum aduersus Antonium Leuam, quod à Venetis sicut & Sfortianis continenter gereretur, neque vlla alia re Cæsarem cum Pontifice certius atque propensius coniungi, quàm ipsa adipiscendi diadematis cupiditate, propter quam inuitus æquo plura quàm rebus suis expediret, indulgendæ promittendáque existimasset, quæ non facilè præstari possent propter terrorem, quem Solymanus incuteret, non Pannoniæ modò sed paternis eius regnis, quando certior fama vulgaretur, eum cũ trecentis millibus hominum egressum Pannoniæ finibus, rectà ad oppugnandum Viennam contendere. Sic, vt non obscuro deorum immortalium munere, Florentinis auxilio ingentis potentiæ barbarus mitti videatur postquam rex Gallus aliena pericula pro suo commodo supinè contemnens, & Venetus astutè semper cunctator, inani tantùm legationum specie spes sociorum sustentarent. Fore etenim, vt Cæsarem Italiam attigisse propterea pœniteret, quòd in Germaniam difficili periculoſoque proposito bello, ad defendendum protegendúmque fratrem, secus ac putasset,

impor

importune vocaretur. Pontificem verò rerum omnium pecuniaq; præsertim egentissimum, frustra suscepisse vota, quibus pertenuis arrideret occasio, his rerum initijs appareret. Itaque viros fortibus, & pro patria aduersus tyrannos pugnaturis, non defuturum victoriæ successum, nisi intempestiuè desperarent, quandoquidem satis magna habituri essent præsidia, cum externorum militum, tum ciuium ipsorum, quibus egregiæ firmitatis mœnia proculdubio defenderent, neque defuturam stipendia pecuniam, tantæ liberalitate singulorum ordinum substantiam omnem pro libertate patriæ conferentium, postquàm summa charitatis studium pro salute publica suscepissent. Cæteris autem rebus eam fore egregij dictatoris & magistratuum curam & diligentiam, vt nullum vel in vrbe tumultum, vel extra mœnia extimescendum hostium impetum expectare deberent, modò commeatus diuidendi cura, seueris legibus intenderetur. Hæc magnificè disserendo, & Cæsaris, et Pontificij apparatus, qui erant amplissimi, inanibus verbis eleuando Raphael boni ciuis optimique popularis nomen ita consecutus est, vt priuatæ libidini incumbens, sibi ad petitionem dictatura, vel exitiosis artibus viam permuniret, vnusque ipse malo publico priuatoque exitio suo, proclinatas tam ad pacem ciuium

Volun

voluntates peruertisse diceretur. Itaque Carduccio ad arma parandæ vehementer inflammato, constantissimèque pro popularibus Rempubl. administrante, quæ excogitari poterant pro defensione ciuitatis, accuratissimè aduersus hostes parabantur. Interea Cæsar è Genua Placentiam contendit. Ei aduentanti tres Pontificis legati præsidò fuerunt, vt eum pontificiæ ditionis fines intrantem, sacramento adigerent, quo de more iurare cogebatur, nunquam se pontificiæ libertati vim allaturum. Ea autem iurisiurandi formula, verbis ritè conceptis, ex sacris cerimoniarum libris petebatur. Sed Cæsar sui imperatorij iuris appositè memor, ita iurauit, vt se de iure suo nihil decessurum testaretur. Placentiam siquidem & Parmam vrbes tanquam Mediolanensi imperio antiquitus attributas, quoniam id Cæsarem imperatorum beneficiarium semper fuisset, non obscuro nec intermisso iure repetere videbatur. Antonius quoque Leua ad inuisendum edocendúmque Cæsarem Placentiam descendit. Is Cæsari aulæq; proceribus, cum mutua gratulatione, dux mirus & incomparabilis est visus, vel ob id præsertim, quòd tantis rebus gestis, totque partis victorijs, vel occupante totos artus miserabili morbo, animo pariter & corpore indomitus, nunquam à munere militari discessisset. Sæpe enim lectica ve

-ctus illigatúsque fascijs propter acerbissimos neruorum dolores, acie conflixerat, expugnarat oppida, diuersorúmque hostium sibi incumbentium conatus infregerat, ita vt si prosperè vteretur valetudine, non suæ modò, sed superioris etiam ætatis duces, fama & laude supergressurus crederetur. Is diserte atque appositè quæ gessisset, & quæ gesturus foret disserens, pacem è cogitationibus Cæsaris excutere conabatur, quòd vir belli gerendi conficiendique auidus, vnde sibi certum decus, immensásque diuitias pararet, omnia sibi facilia ad pleniorem victoriam de hostibus parandam, obuentura prædicaret, eo quidem fortasse ia-Et antius, quàm prudentem deceret ducem, quòd Sfortianas pariter tanquam exiguas, Venetas verò copias tanquam parum efficaces, & pro alieno commodo nunquam asperioris pugnæ aleam subire solitas, facilè despiceret, eoque præsertim contemptius & tutius, quoniam Venetos, descendentibus Germanis, ad oppidorum suorum præsidia, in Feltrium ducem ipsum, & cohortes, quas ad Abduam haberent, reuocaturos diuinaret. His Leuæ sermonibus fiebat, vt Cæsar magnopere gauderet, neque tamen ab instituto parandæ pacis consilio se deijci, aut longè abduci pateretur, quo lea, quæ Clementi promiserat, rata facere suæ dignitatis esse statuisset, vt tandem ipso

imperat

imperatorij diadematis honore compos fieret, mederetúrque afflictæ Italiæ incommodis, & propterea pacem pararet, vt fratri Ferdinando Turcarum circumuento armis, matura præsidia digna ipso, traductis in Germaniam Hispanicis copijs, præberentur. Clemens enim, ad quem vnum salutis suæ causa Franciscus Sfortia confugiebat, ratus Etruscum bellum nequaquam confici posse, nisi compositis Gallia Cisalpinæ rebus, id præcipuè, sicuti semper aliàs, à Cæsare postulabat, vt ipsum Sfortiam, quem insontem criminis existimare fas esset, in gratiam reciperet, & in regnum paternæ hæreditatis restitueret, ex cuius facti gloriosa liberalitate, studia hominum sibi esset conciliaturus, postquam vndique victori, principique magnanimo, nihil potius appetendum foret, quam eximiæ moderationis decus, quod maximè speciosum atque honestissimum esset. His Pontificijs adhortationibus, quanquam Cæsar omnino obsequendum statueret, magno pere tamen dulcedine maximi pulcherrimiq; imperij potiundi distinebatur, & que adeò, vt a plerisque cõmutata voluntate in consilio restituendæ Sfortiæ nutare crederetur: ob idque præcipuè, quoniam dum hæc per legatos tractarentur, Antonius Leua nullam gerendi belli occasionem prætermittendam ratus, Ticinum vrbem rursus occuparat, ingenti celeri-

ritate admotis castris, anaro scilicet perfidiosq; præsidij præfecto Annibale Picenardo impudentissimè atque turpissimè se defendente, vt sese incolumem cum præda omni, quam vndique coegerat opulentam expectatione conseruaret. Sed eius facti ignominia non multò post vsque adeò atrociter laborauit, vt vituperantibus cunctis, ad mortem vsque insania corriperetur. Pari quoque felicitate Antonius Castellum sancti Angeli Laudensi via ad Lambrum amnem positum, in potestatem redegit, misso in eam expeditionem Ludouico Balbiano, cum delecta parte copiarum. Is vti erat impiger, Sfortianóque nomini maximè infensus, ita oppidum adortus est, vt nactus noctem plenissimo imbre turbulentam, Sfortianis & Venetis præsidiarijs frustra repugnantibus, muri corona potiretur, quum imber omnem penitus sclopettorum vsum, extinctis funiculis, defensoribus eripuisset. Edita est non parua cædes, quum sclopettis abiectis, ad hastas & gladios rem deduxissent, iniqua propugnatorum conditione, quando pauci, amisso tormentorum præsidio, cui maximè confidissent, tanquam deserti à Fortuna, inopinatóque timore præpediti, sternerentur. Id oppidum inexpectato amissum tanto dolore Sfortiam affecisse visum est, vt geminatis cladibus, tota spe impetranda pacis decideret. &

Clemens

Clemens longè grauissimè perturbaretur, veritus scilicet, ne Cæsar noua secundarum rerum fiducia impulsus, vti à familiaribus fallaciosisque deprauatus, ad bellum spreta pace traheretur. Sed ea fuit in ipso animi constantia eáque ratio moderationis atque virtutis, vt illo pacto flecti nequiret, quòd concepta atque proposita pacis spem eluso Pontifice minimè corrumpendam arbitraretur. Id verò vt statueret, grauiter adducebatur, propter Turcas, quos in Noricum effusos esse didicerat, summo Viennensium periculo, cladéque regionis, quandoquidem cuncta cædibus & incendijs permiscerent. Sub id quoque tempus, Rodericus Portunalis Hispanica præfectus classis, Barchinonem reuerti iussus, summum fœda calamitatis infortunium sulijt, commisso nanque nauali prælio cum Turcis prædonibus, classe exutus est, atque interfectus, tam sua exitiali, quàm Reipubl. damnosa temeritate. Quomodo autem res gesta sit, paucis enarrare lubet. Vt nostri homines nusquam superbia efferri, nec barbaros, qui pertinacibus animis nullo mortis metu ferrum in nostros exercent, despicere condiscant. Portundus ex itinere prædones se adepturum ratus, qui tum Balearico in mari vagabantur, quum ad Ebusum insulam peruenisset, ibi didicit prædonū quindecim nauigia, quæ remis agerentur, ad Colubrariam

insulam

insulam cõsedisse. Ea abest ab Ebuso decẽ millibus passuum, Frumẽtaria q3 à nautis appellatur. Itaque euectus in stem opprimendæ piraticæ classis, ex quindecim suis triremibus, ualidissimas octo delegit, easq3 cæterarum remigibus, & epibatis complet, impetratq3 à prætore Ebusano centum circiter & quinquaginta notæ uirtutis propugnatores, quos in triremes dispertit. Hoc auctus numero confirmato2 suorum præsidio, non dubitat, quin cum barbaris omnino sit consligendum, compositisq3 armamentis de tertia uigilia ab Ebuso soluit, & ad Colubrariam progreditur. Barbari à medio pelagi spatio aduentantes triremes conspiciunt, celeriterq3 è litore se expediẽtes, nauigia conscendunt, atq3 arma parant. Portundus, quum Ioãnes eius filius iam inalbescente cælo, hostilium nauigiorum classem numerasset, ideoq3 admoneret patrem, ne properaret congredi numero impar, uehementer eum acerbeq3 ignauiæ increpita obiurgauit, usqueadeò insolenter, ut diceret eum non esse ipsius Portundi filium, qui hostem reformidaret, biremibus tantùm ex speculatorijs myoparonibus instructum, quando ipse uel sua tantum prætoria trireme, cuncta ea barbarorum leuiora nauigia esset demersurus. Erat Portundus animo certè egregio & forti, sed ualde elato superboq2, quandoquidem ab inani iactan

iactantia contumacem & indomitum, nulla uel certi uel præduri discriminis reputatio, nullaq3 uel horribilis præsentis periculi oblata facies perterreret. Tum filius qui cùm uirtutis, tum prudentiæ præcellentis erat, dij faxint pater, inquit, ut nos concepti timoris dispudeat potius quàm doleat. Eo modo Portundus suæ prætoriæ ita cursum intendit, ut reliquas quæ remigio minus ualebant, anteiret, & respiciens, remos tolli iubere cegeretur, scilicet, ut consequendi spatium præberet, quæ ad aquandam frontem, cùm uoce, tum maritima significatione, ut accelerarent, accersebantur. Aidinus Smyrnæus archipiratæ, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, ubi inæqualem hostiũ cursum deprehendit, quòd longa & intercisa serie nullam conserturi frontem cum prætoria uidebantur, aduocatis commilitonibus nauigiorumq3 magistris (ita enim barbari triearchos appellant) hoc consilij expedita deliberatione suscepit, ita diuisis pugnæ muneribus, ut ualidiores biremes nostris hostilẽ classem rectà ferirent, leuiores autem singulas binæ à lateribus aggrederentur. Fauit Fortuna prædonibus æqua, nostris uerò infestissima, nam Assanes Celebinus, & Solymanus audaciss imi omnium & pugnacissimi, uno eodemque tempore, hic à latere, ille rectissimè à prora in prætoriam inuecti, priusquàm succurri posset,

Port

Portundum, capta prætoria cum suis omnibus propugnatoribus trucidarũt, ita, vt vexillum repentè, quod magnopere cæterorum animos imminuit sterneretur, pariq; celeritate Aidinus ipse triremem succedentẽ Ioannis Cantabri, quæ à Gallo id erat puppis insigne cognomen habebat, conscendit, & Cantabrum cum vniuersis naualibus socijs interfecit. Eodem puncto temporis, Salecus Derthusensem triremem, in qua erat Ioannes Cueres trierarchus, proximamq; huic Ioannis Portundi filij, magno impetu adortus, interfecto Cueresio, & Ioanne capto, propugnatoribusq; omnibus trucidatis, occupauit. Eodẽ quoq; semihora spatio, Matthæus Sances, à Saba prædone, expugnata trireme, interfectus est. Maggalis verò, postremas, & conuersis puppibus aufugientes vsque adeò acriter est consectatus, vt alterã, in qua erat Martinus Ariegus velis & remis prosperè antecedentẽ, amitteret. Alterã verò, in qua erat Ioannes Corduba, scopulis sese illidere cogeret, qua, effugientibus omnibus, cũ solo trierarcho, qui superesse fœdæ cladi noluerat, capta est. Turcis ex victrice classe, desectione in litus facta, effugientes ex triremeista consectantibus, vt multò plures quàm euaderẽt integri caperentur. Aidinus tanta parta victoria tridui quietẽ remigibus concessit, atque inde ad Barbarussam cum septem

ptem captiuis triremibus, Algerium traiecit, cuius aduentu victoriaq; maximè latatũ ferunt Barbarussã, qui ex eius victoriæ fama, apud Solymanum imperatorem plurimũ inclaruit, quum ei Byzantiũ vsq; dono misisset splendidiora eius victoriæ spolia, ipsumq; in primis Portundi prætorium vexillũ, & sumptuosi operis puppis integumentũ. Hoc loco minimè absurdum putauimus, prædones barbaros proprijs nominibus appellasse. Id verò duabus de causis fecimus, quòd sequentibus bellis quæ suo ordine referentur, eorũ virtus efficax, si hoc honesto nomine vis efferæ vocanda sit, crebro nostro incommodo multum inclaruerit, & demum illis victis pulsiq; Tunetana Cæsarũ victoria famã auxerint, insigniq; omniũ mari nostro nauigantiũ lætitia latius extenderint. Cæterùm Barbarussa accessione tot triremiũ captiuarũ, totq; nostris hominibus ad transtra catenatis, instructior atque validior factus, maiora animo agitare cœpit, asciscereq; sibi nouas vires, atque arridẽtis Fortunæ secundas vices experiri constituit. Iam enim fraterni imperij compos, Hariadenes vocari volebat, ad differentiam Horutcij fratris, qui primò idẽ ab ænea barba cognomentũ tulisset, cuius cognominis & fortunæ hæres multis rebus in Africa fortiter atq; feliciter gestis, terra mariq; rex metuendus euaserat, magno

quidem

quidē Fortunæ ludibrio, si humilis pirata despiciendā ab initio conditionē reputemus, postquàm ad id humanæ superbiæ fastigiū ascenderit, sicuti suo loco exordientes à prima eius è patria Lesbo profectione diffuse narrabimus. Igitur ante omnia misso ad Mænicem insulam, quam Gerbim vocant, Tabacco trierarcho Synam Smyrnæum cognomento Iudæum, summæ prudentiæ vti constat archipiratam, certo fœdere sibi coniungit. Is viginti quatuor biremibus imperabat, vniq; triremi, quā Gallus ereptam cognomine Nigrā appellarat, cui Halicolam Corsum à pueritia alumnū pro trierarcho præfecerat, qui & suo nomine expeditā triremem cognomento Calabram trahebat. Synas quū subduci & reficī classem iussisset, interea Tunetum contendit, ibiq; repertum insignem prædonem è Cilicia, qui Halicotus vocabatur, æqua conditione transigit, vt secum ad Barbarussam enauiget, atq; ei operam præstet. Halicotus quatuor habebat biremes & triremes duas, quæ Neapolitanæ fuerant ad Argentarium montē captæ, quum fortè tormentarij pulueris & pilarum certam copiam ad Cæsarianos Florentiā oppugnantes, tumentis deportandā exposuissent. Altera fuit Iustiniana Gibba, quæ in litus effugientibus remigibus pariter atq; vectoribus, vacua in potestatem deuenerat. At altera

altera fuit Aloysij Ispadensis, qui expugnatæ triremē interfectus est. Horum omnium viribus in vnum coactis Barbarussa, ad Algeriū classem lustrauit sexaginta nauigiorum militariter ornatorū, initaq; deliberatione cum socijs, vrbem Gades in freto, propter opulentissimi emporij famā, adoriri constituit. Dum proposito consilio Barbarussa diligenter incubit, Halicotus cum dimidia fere classis parte Algerium mittitur, vt ibi magnam vim frumenti nactus, nautici panis quem biscoctum vocant, ampliorem copiam paret, & reliqui commeatus iusto numero se instruat, armamentaq;, pluteos & tormenta coaptet. Hac quum Algerij, Cercelliq; impigrè atq; auidè parantur, Andreas Auria vehementer offensus incommodo cadeq; Portundi, veteresq; suo contra prædones odio incensus, quòd publicam iniuriam vindicandam rebatur, validissimæ rostratarū nauium classem Genua eduxit, cui se Gallicæ triremes adiunxerant, quoniā rex Eraciscus maximè pium, sibiq; decorū existimabat armis persequi piratas communes humani generis hostes, obliuiscig; in dudum concilij cū Cæsare gratiam totius simultatis quæ sibi cum Auria nuper intercessisset. Auria ad Baleares insulas cursum tenuit, ibiq; didicit piraticæ classis alteram manum esse Algerij, alteram sedere ad Cercellum. Idcirco cōsilium

expedit, alteram q̃ earũ priusquàm in vnum coniungantur, inuadendam censet, apertóque mari rectà in Africam Cercellum versus cursum intendit. Erant ei triginta octo rostratæ omnes triremes. Has aduenientes Mauri è specula promontorij olim Carapulæ, quod nos Battalium, Pœni verò Gyræ Flumar appellant, facilè conspiciunt. Id verò quod videbisse rentes, Halicoto se Barbarussæ classem quum deciperentur, adnitare confirmabant, sed vt id crederet Halicotus, vel ea ratione adduci non potuit, quoniam ea aduentans classis parem nauigiorum magnitudinẽ certa specie referret, quæ procul dubio esset externa atque inimica, postquàm nulla interea minora apparerẽt nauigia, sicuti necesse esset in Barbarussæ classe, quum maiores minores q̃ biremes, & paruos myoparones speculatorios ex sua consuetudine esset adducturus. Iam sensim appropinquantes Auriana triremes, quales essent, sese intuentium oculis præclarè ostendebant. Propterea Halicotus raptus in id consilium quod inopinata necessitas afferebat, singulari celeritate Christianis remigibus catenas detrahit, qui erãt numero circiter octingenti, eos q̃ in subterraneum carcerem detrudit, partem triremium perforata carina, ne his potiatur hostis, in portu demergit, Turcas omnes secum adducendo, arcem intrare iubet, præcipit q̃ Mauris vt oppidum relinquant, & ad euocandos proximæ vicinię Numidas, et montanos agrestes, bellicosos q̃ homines in auxilium accersant. Dum hæc turbatè administrantur Auriæ adactis proris portum atque oppidum occupat, tres q̃ cohortes sub vexillo ad quarendum carcerem, liberandos q̃ Christianos seruos dimittit. Nec mora, certo indicio ergastulæ omnia reseruntur, & cum magna gratulatione serui è summa miseria beati repentè facti, per triremes distribuuntur. Cæterum nauales socij per oppidum discurrunt, cunctas q̃ domos diripientes per varias regiones dissipantur, nec reclamante, reuocante q̃ ad tubæ cantum Auria se recipiunt, quum rapinæ spes, omnem pudorem in milite nuper collecto conscriptóque penitus extingueret. Id dissolutæ disciplinæ factum, ab arce Halicotus deprehendens, subitæ eruptione dispersos inuadit, opportunè q̃ superueniunt auxilia Numidarum, qui æquato peditum atque equitum cursu, inopinantibus nostris aduolarant. Cõmissa est atrox cædes in nostros potius quã pugna, quòd nemo præpeditus complexu prædæ, & inopinato pauore perturbatus vsquam consisteret, aut viriliter repugnaret: na quisque ad repetendam classem concitatus à pluribus trucidabatur. Eam verò fugæ ignominiam

niam iratus Auria, & aliquo remedio sisteret, postquã nemo imperijs suis parebat, paululũ è litore triremes abduci iussit, & spe insistendi erepta, milites ad pugnã salutis metu arma atque animos conuerterent. Sed tanta erat impressio barbarorum nemini parcentium, Turcarumq; præsertim qui grauibus suis incuruis gladijs rem gerebant, & plures natandi imperiti, & malignè propter id dedecus à classiarijs adiuti, fœdissimo interitu mergerentur, sic & paulo minus quadringentos Auria desiderarit, quum sex sexagintæ cum Georgio Pallauicino nobili significent sui in potestatem hostium venissent. Verum Auria id detrimentum æquiore animo tulit, quòd ab se tot Christiani nominis seruos in libertatem asseruisse videbat, & aliquot eorum maiora nauigia remulco secũ adduxisset. Hac re gesta procul dubio Gadibus salutem attulerunt nã Barbarus ea spe deiectus ad minora latrocinia descendit. Iam Cæsar (ut ad historiæ seriem reuertamur) circiter idus mensis Placentiæ Parmæq; exegerat, quum optatissimum à Ferdinando fratre nuncium accepit, Turcas, qui per multos dies irrito conatu Viennã obsedissent, et cuniculis oppugnassent, desperata expugnatione retro abijsse. Symanumq; ipsum non dubio concepto pudore, quòd ei Fortuna cœptis aliàs arridere solet, tan-

tantos conatus elusisset, tripartitò in Thraciã reuerti cœpisse. Tempus postularet & hoc loco quo impetu Solymanus in Pannoniam venerit, reiectusq; à Vienna mœnibus inglorius in Thraciam redierit, ex rerum gestarum serie narraremus, sed bono iure hic historiæ tractus in alium locum omnino commodiorem atque aptiorem traijciendus videtur, ne dum singula rerum membra secare, & præcipuis temporibus coaptare contendimus, rerum cognitio concisè atq; confusissimè legẽtibus proponatur. Hac singulari lætitiæ perfusus Cæsar, rectà Bononiam contẽdit, quò tam paulò ante calendas Nouembres Clemens peruenerat. Ex itinere autem susceptus est apud Regium Lepidi, Mutinamq; magnificentissimo Alfonsi Atestini Ferrariensis principis apparatu. Excipitur ergo triumphali pompa summus honoribus, incredibili omnium lætitia, ipse paludatus, & militaribus armis, una demptæ galeæ, undique protectus, albo insigni equo regio sumptu phalerato, à Mutinẽsi porta in forum prouehitur. Præcesserant quaterna vexilla, cum leuis, tum grauis armaturæ Belgarum equitum, sagulis, cristis, & colorum varietate ita inter se distinctis turmis, vt quorum ducum essent, ab ipso insigniũ & vestitus argumento facilè nosceretur. Successit inde peditatus toties victor, nõ tam opi-

mis hostium spoliis exornatus, quàm armorum fulgore ac aspectus feritate terribilis, ad trucem tympanorum sonitum, & graues tibiarum modulos, gradu superbè compositò sub signis introductus. Quadratam umbellã auro purpuraq; distinctam, gymnasiarchæ, & celeberrimi bonarum artium professores in togis sericis præferebant. Latus Cæsaris à decora Bononiensium iuuentute, non custodiæ, sed honoris causa cingebatur. Prætor Vrbanus, & decuriones cum vexillifero, & è quadraginta Virali magistratu primoribusq; patritijs splendidissimi succedebant. Constitit in medio foro Antonius Leua æger pedibus, sed viuacibus oculis pugnacissimi ducis habitum præse ferens, ac, vt magnã ob recentẽ bellicã constantiæ & rerũ gestarum gloriã, omniũ oculis efferretur, in sublimi sella gestatus, hinc veterana Germanorũ legione, illinc Hispanorum cohortibus, ita prædensa acie directis, aut obuersis, et tormẽtis in fronte collocatis, vt exercitius concursus esse videretur. Erãt iuxta Cæsarem illustres reguli, auro in laciniis vel solido bracteato, vel acu pingẽte inducto, vel adluxuriẽ concisso, itemq; exquisitis armorũ & equorum ornamẽtis maximè superbi. Secundum eos prælata est Romana Aquila aureo in vexillo picta, ac item candidum aliud vexillum purpurea cruce distinctum sub quibus totius

totius aulæ familia ex flore gentium omnium delecta, & nobilissimi Hispaniæ sacrati religione equites, Cæsaris vestigia sequebantur. Prætorianus miles custodiæ corporis assuetus, diuersis sub signis Hispanus scilicet, Belga, Germanus, in croceis sagis agmen extremum clausit & quicquid in foro spatij reliquum fuerat occupauit. Erat erectus in Petroniani templi vestibulo, peramplus ligneus suggestus, peristromatis & aulæis, ad loci dignitatem vndique protectus, in quo Cardinales & Episcopi, cæteriq; minores sacerdotes purpurati, suo quisque ordine consederant. In medio autem, præalta in sede mitratus Pontifex Cæsarem expectabat. Ille itaque nobilioribus tantum regulis, principumq; legatis sibi ascitis, equo descendit, subeuntem per gradus Cardinales duo deduxere. Tũ verò vt prodijt, omniũ oculi in duos longè maximos terrarum orbis dominos sunt cõiecti. Explorabat enim quisq; valde suspensus & tacitus, propter memoriã veteris dissensionis & recentis amicitiæ, an ora ipsa interiores sensus nunquam ex toto fallentia, subitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæsaris in gestu militari & graui, blanda quadam lenitate verecundiaq; perfusus. Clemẽtis verò facies ita subitò ad eius occursum exhilarata est, vt vel ob id maximè latari credes

res, quòd illum multò humaniorem & augustiorem, quàm putarat esse conspiceret. Varia siquidem, ab Hispanijs & falsa quidem de Cæsare plerique malignè retulerant & multi etiam vitrò trepidis animis propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingebant, vti alterum Arioüistum, aut Rotomalcem, aliquo scilicet vultu Cimbrico & feritate Gothica metuendum, ac ipsius denique militibus ferocia & spiritus immanitate persimilem, qui deuictis & stratis tot hostium exercitibus, tot vrbibus direptis, euastatisq; prouincijs, diuina ac humana omnia dira confusione miscuissent. Sed iam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ demum, Regij & Mutinæ, cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus, vtpote qui passim humanitatis abstinentiæ, pietatis, atque iustitiæ monumenta, absque vllo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimuerò, quo nihil est in rege popularius & gratius, aditum cunctis atque aures summa benignitate & singulari patientia præbuerat, dederatq; obiter responsa spei æquitatisq; plenissima, quæ propositis postulatorum capitibus sigillatim rectissimè responderent. Illam verò militum licentiam diuturna impunitate confirmatam, ijs, qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arroganter stipendia flagitarant,

supplicio protinus affectis, ita represserat, vt illo, quod teneret, longè maximo omnium imperio dignissimus haberetur. Sed nec eũ quanquam ætate Fortunaque florentem, vlla vnquam vel licita voluptates, à perpetuis rerum maximarum consultationibus auocabant, ita vt in eo simul iuuentæ decor eximius ad Martiam laudem emineret, & consilia senili maturitate proprijs non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaq; manerent. Nunquam enim præclarum, nobile, & firmum eius ingenium, vel irarum impetus perturbarat, vel cæca vindictæ libido pupugerat, vel vlla humana mollities, quin recta sentiret, expugnarat. Erat eius vultus, vt hoc quoque curiosi minimè desiderent, argenteo & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, suaues, nulla acri seueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuum pudorem virilemq; modestiam instituti. Nasus à medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam regibus ab antiquis fuit obseruatum: mentum erat ad exiguam venustioris iniuriam paulò prominentius, & quod grauitatis speciem addebat, subcrispa & fluenti barba conueſtitum: capillum verò fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæsarum, circumtonsum ostendebat. Porrò statura corporis, vt in ipso ætatis integræ flore & pro-

sperrima valetudine, non ab inerti succo, sed à valido neruorum nexu longè firmissima, per-ampla item robustaq; manus ad stringendum ferrum idonea, crura autem venustissimè extãtibus toris, trunct proportione directa, quod tum maximè apparebat, quũ equo veheretur. Tanta enim erat cum dignitate equitandi peritia, vt nullus eo armato atque equum incitante & in gyrũ reflectente, vel pulchrior vel viuidior, vel inferendo armorum pondere patientior eques reperiri posse videretur. Caterùm ad Pontificis pedes flexo genu prouolutus, ac mox dextra leti arridentisq; Pontificis erectus ad osculum Hispanica oratione, Veni, inquit, Sanctissime pater ad pedes tuos, quod summo voto semper expetiui, vt festis Christiana reipublica rebus cõmuni consilio succurramus: oro Deũ Opt. Max. qui me huius voti cõpotẽ fecit, vt nostris consilijs adsit, atq; hic aduentus meus Christianis omnibus sit salutaris. Tum Pontifex, certè, hoc ipso congressu, inquit, sicuti Deus immortalis, & sanctæ caelites certissimi sunt testes, mihi nihil vnquã fuit antiquius, & iam superis gratias ago, quòd te videã prosperè atq; feliciter mari terraq; perductũ, resq; eò deductas intuear, vt te authore de concordia omniũ & solenni pace minimè desperemus. Obtulit subinde Cæsar auri signati circiter libras decem, deductusq; est

summa comitate à Pontifice ad templi limen, atque ita digressi, Cæsar ad aram maximam supplicaturus superis contendit: Pontifex verò in prætorium cum vniuerso sacerdotum ordine continuò est reuersus. Nec multò post Cæsar & ipse prætorium intrauit, cui parata erant summa adium partes, ita coniunctæ Pontificijs, vt inter vtriusque cubilia, solus interesset paries, aditum præbente portula, vt quum vellent, ignaris omnibus, remotisq; arbitris, interdiu noctuq; de summis rerum negotijs familiarissimè disputarent. Eo modo sæpe arcana sensuum mutua & syncera animi liberalitate detegendo, ac odiorum origines ad fatalem vim & consiliariorum & ducum insaniam referendo facilè Dijs bene iuuantibus, viam inuenere, qua pax egregiè componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur. Veneti per Gasparem Contarenum diuini ingenij, & felicis industria legatum, non proferendi imperij, sed tuendæ publicæ omnium libertatis causa, aduersus Cæsarem arma cepisse testabantur. Proinde eas vrbes, quas in Apulia Galliaq; togata possiderent, Cæsari atque Pontifici statim esse reddituros, adituroq; pecunia Cæsarem, si illa erga Franciscũ Sfortiam clementia et lenitate liberaliter vteretur. Cæsarẽ etiam ipse Pontifex ab initio belli fuerat obtestatus.

Vt Sfortiam deprecantis Italiæ precibus condonaret, vel humani iuris æquitate, si ei falso perfidiæ contumelia fuisset imposita, vel illa præclara clementia virtute, quæ reges Dijs immortalibus æquantur, si in maiestatem aliquid ingrato infideliq; animo lapsus admisisset. Ad quam quidem rem singulare Pontificis studium, ac insignis authoritas momenti plurimum afferebat, ijs consilijs approbandis, quæ honesta, tuta, decora, atque vsu omnibus commoda conferentur. Nemo enim eo grauius atque prudentius de magnis rebus disputare, & diuersas sententiarum opiniones acutius ponderare confutareque didicerat. Addebant dictis fidem vtriusque Fortunæ facta periculosa, & qua Christianos animos facilè perstringit, illa inueterata religionis opinio, & ea quoque erat promissa barba intempestiua & veneranda canities, vt apud Cæsarem cuncta piè & grauiter æstimantem, & carceris, & tot cladium memoriam facilè renouaret. Sed tanta erat altitudo iudicij Cæsaris, tanta moderatissimi eius animi religio, & tantum denique pacis & concordiæ studium, vt nihil regali fastigio dignius atque præstantius existimaret, quàm omnia consilia ad verum decus, ad solidam pietatem, & ad animi magnitudinem reuocare, vt arma in Turcas, adeò inter nos impiè fœdèque tractata verterentur.

tur. Quippe, qui nõ adumbratum, sed veram & viuidam, non Fortunæ adminiculis quæsitam, sed à fonte ipso propriæ virtutis profluentem gloriam sectaretur. Itaque Solymano Turcarum imperatore, iam à Vienna Norica mœnibus, cum strage ignominiáque depulso, atque eò Byzantium præcipiti fuga properante, quum nihil iam hostile inde amplius esset timendum, pacare cuncta constituit. Euocatur extemplo Bononiam Franciscus Sfortia, procumbit ad eius pedes, redditóque diplomate, quo illum datæ fidei vbique terrarũ Cæsar saluum & tutum esse iubebat salutem, imperium, & spes denique omnes vni Cæsaris probitati, fideiq; committit: Quoniam innocentia fretus, omnia se ex illius æquitate humanitatéque sperare prædicabat. Tum verò stupentibus cunctis, videre licuit, quanto Cæsar esset omni sua fortuna maior & excelsior. Certarat pro imperio Mediolanensi, desertus à socijs, ab omnibus oppugnatus, in qua contentione omnes omnium vires ingentibus partis victorijs præclarè contuderat, & cum aliquando nutante partium fortuna in dubia spe victoriæ versaretur, honestas pacis conditiones, semper elato constantiq; iudicio repudiarat, ne quod virtute atque vna animi magnitudine erat facturus, veluti ignobili metu subactus & præsenti impulsus necessitate

tate feciſſe videretur. Habet enim hoc in ſe regius eius animus, veluti excellenti & perfecta virtute praditus, vt nunquam vel acriter vrgente Fortuna, abiectè ſe demittat, vel ea penitus arridente intemperanter extollat. Ergo vbique victor & triumphator ſupplicem in gratiam recipit, Mediolanenſium ducem appellat, & tabulis Auguſtalibus rite confectis, totum ei paternum regnum adiudicat, neque amplioris pecuniæ tributum imponit, quàm ab initio & ante diſſenſionem imponendum eſſe cenſuiſſet. Nec multò poſt calendis Ianuarijs ſolenni adiecta precatione ſacra peraguntur, ab incredibili hominum frequentia, exoptatum afflictis Italiæ populis inſperatæ pacis nomen excipitur. Præſentes Clement Pontifex & Carolus Cæſar, orantis Romuli Amaſæi viri eloquentiſſimi voce, Chriſtiani nominis conſeruatores, ac optimi maximi Italiæ parentes appellantur. Obortas præ gaudio lachrymas vix continent viri togati, optimi ciues, ſanctiſſimi ſacerdotes, legati regum omnium, Galliæ ſcilicet, Britanniæ, Luſitaniæ, Scotiæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Daciæ, Veneti Senatus, ac item Allobrogis, Ferrarienſis, Mantuani, Vrbinatiſq; regulorum, ac liberarum etiam ciuitatum, Genuenſium, Senenſium, & Lucenſium, cunctique demum proceres & principes, ipſeque ante alios Franciſcus

ciſcus Sforcia, honoris cauſa, ſeſſum inter poſtremos Cardinales receptus. Ea enim dies tranquillitati initium, & arumnis finem allatura videbatur. It fama per vrbes Italiæ, externaſque prouincias, omnes Veneti ſenatus æquitatem, abſtinentiã in appetenda pace ſtudium, in gerendo bello conſtantiam admirantur. Clementis verò, quòd deſperatæ pacis conficiendæ, implicatum turbidumque negotium generosè diuineque ſuſceperit, grauiter appoſitéque tractarit, proſperè & ſalutariter confecerit, iudicium ſubtile, induſtriam vehementem, inuſitatam verò felicitatem, in cælum eximijs laudibus ferunt. Cæſarem vti verè imperatorem, quòd omnibus proferendi imperij cupiditatibus imperaret, vti verè victorem, quod ſe ipſum alijs parcendo, præclarè deuinceret, vti verè liberalem, munificum, largitorem, quòd regnum dare, quàm accipere, maius & pulchrius exiſtimaret, admirabili quodam genere gratulationis & laudis proſequuntur. Soli mortalium veterani, quibus natura odioſum pacis nomen eſſe conſueuit, moleſtè & inſolenter ferre id inexpectatum, & propterea clariſſimum Cæſaris factum vehementer dolere, ac inuidia commoueri, quòd perpetua belli commoda, & victoriarum præmia, eo importuno pacis nomine perderentur. Summa tamen

Cæſaris

Cæsaris æquitate, & liberalitate, ex agro Insubrum, assentiente Sfortia, præmia sunt decreta Antonio Leuæ, ac Alfonso Daualo Vastio, minoribusq; ducibus qui eo bello fortissimam operam nauassent. Interea Cæsaris uxor Isabella puerum peperit, cui propter aui materni memoriam, Ferdinandi nomen impositum. Eius nuncij lætitiam celebrauêre insignes Hispaniæ reguli magnificentissimo apparatu, arteq; mirabili, ad equestris pugnæ simulacrum, Maurorum iaculatorum cultu, in scuta passim coniectis arundinibus decurrentes. Quum hinc Osorius Astorgius, illinc Pacecus Astalonius, ornatissimi duces singulas turmas spectante Cæsare in forum pugnaturas induxissent. Concurrêre etiam quatriduo Itali, Belgæ, Hispaniq; equites catæphractis insignibus amatorijs, & militaribus ornamentis valde conspicui, panno aureo, ac altero item purpureo, à senatu Bononiensi ad virtutis præmium, & in honorem Cæsaris, hilari benignitate proposito, tulitq; præmium Altamirus ex Vlteriore Hispania regulus, quòd plures, quàm quisquam alius hastas, in aduersis concurrentium pectoribus infregisset. Per eos dies Hispanorum & Germanorum copiæ ex agro Mediolanensi, Brixianóque iussu Cæsaris, hortatúque Pontificis deductæ diuersis Apennini iugis in Etruriam descenderunt, hæsere tamen

tamen in niuosis saltibus ænea tormenta cum vapore solis resolutæ, & curruum pondere fractæ glacies, cænosaq; niues rotas ad axes usque deuorassent. Eas copias in vnum coactas, Vastius à citeriore Arni fluminis parte in suburbana ad conspectum Florentiæ vrbis perduxit, vt Florentini duobus exercitibus, hinc ab ipso Vastio, & illinc è veteribus castris trans Arnum ab Aurantio, obsidione & minutis lentæ oppugnationis præliis premerentur, omnisque pabulatum & lignatum exeundi facultas, præsidijs egressibus concluso hosti, & nisi per summa pericula erumpenti, penitus adimeretur. Postquàm eos, qui rempublic. gubernarent, obscuros nouósque homines ad priuatæ potius commoda, quam ad vrbis ac imperij et publicam denique totius populi salutem respectantes, nihil pro sanis facturos apparebat. Quoniam legatos cum mandatis inanibus & parum expeditis de pace postulatis ad Cæsarem Pontificémque misissent, & tunc maximè electis optimatibus, libertatem illam, non modò lenissimo Mediceorum dominatu, sed quauis acerba tyrannide sæuiorem, obstinatis animis tueri vsque ad interitum patriæ statuissent. Interea Cæsar propter pituitæ redundantiam quam graue per hyemem calum inuexerat, periculoso angina morbo laborauit, solicitis de eius salute omnium animis

mis, quoniam Philippum patrem, & Maximilianum auum, ea sapius tentatos fuisse meminerant. Sed Narcissi Neapolitani medici dal de fortunati peritia, qui ei ab adolescentia semper assiterat, celerrimè conualuit. Per eos dies Senatus Venetus longè omniũ quas vnquam emisisset, ornatissimam legationem ad Pontificem, Cæsaremque transmittit. In ea fuere Marcus Dandulus ætatis honore, & optimorum studiorum gloria facilè princeps: itemque Aloysius Mocenicus summæ grauitatis patritius, & Memphitica ad Selymum legatione clarissimus, & Hieronymus Grandenicus vetus senator, qui Romæ apud Hadrianum legatus fuerat. Porrò Laurentius Braca lenus florentis eloquentiæ philosophus, & Nicolaus Teupulus grauissimarum artium, & Etruscorum carminum laude celebratus, & Antonius Surianus vir eximio rerum vsu, et doctrina præditus singulari, & Gabriel Venerius vir prudens, efficax, assiduus, constans, qui Sfortiæ difficillimis temporibus semper assuisset: postremò Gaspar ipse Contarenus Venetorum ab excellenti virtute lectissimus. Erant in lato clauo, vel aureo, vel purpureo ad humeros fibulato, torquati firmè omnes, & à quodam augustæ grauitatis habitu venerabiles. Pontifex eis senatum dedit, aduocatis etiam minoribus aulæ sacerdotibus, & triduo post Cæsa

Cæsar in peramplo conclaui constitutæ sede proceribus circumseptus, eos suscepit. Bracadentus vtroque in loco orationem habuit splendidam, grauem, diuulentam, exquisito laudum genere plenissimam, qua gratias nomine senatus agebat, quod optatissimam pacem turbulentissimo tempore Christianis ferè omnibus peperisset: esse rebatque Venetas opes, si quid egregium, & summis Christiani nominis principibus dignum concordibus animis agitarent. Latinè oranti continuò per vtriusque principis epistolarum magistros, qui erant à Pontifice, Euangelista Tarasconus, & à Cæsare Mercurinus cardinalis, breui latina oratione fuit responsum. Donauit dominum singulos legatos Cæsar quingentis aureis, & quanquàm dimissi essent, aliquandiu tamen Bononiæ substitere, vt eum diem, quo Cæsar Romani imperij coronam esset accepturus, ad declarandum senatus studium honestarent. Cæsar enim multis de causis Bononiæ coronari statuerat, quanquam id antea Romæ faciundum esse decreuisset, vbi superiores Cæsares tanquam in sanctissima sacrorum sede, & felici nationum omnium domicilio, vrbeque ipsa veteris imperij honore antiquarum triumphis & superbis suprema fortunæ monumentis longè clarissima, coronas legitimo iure suscepissent. Sed euastata vrbis, & nondum nouis commodis

subleuatæ calamitosa tenuitas, et opulentæ supellectilis ornamentorumque penuria Cæsarem auertebant, quanuis Romani eius spe aduentus ab omni tristitia, & sordibus, ad lætitiam veterémque splendorem reuocati viderentur. Erant præterea Cæsari multa opportuna statutóque tempore in Germania peragenda. Nonnulli scilicet pacandi reguli, qui ad arma consternati, bellum quàm pacem malle videbantur: aliquæ liberæ ciuitates confirmandæ, quæ se ad Heluetios, certo percusso fœdere contulissent. Appellandus item nouus Cæsar procerum suffragijs, & denique Pannonicis rebus occurrendum, quoniam Ioannes Vayuoda, quem regem Solymanus Budæ statuerat, magnam regni partem obtineret, fretúsque ingentibus Turcarum præsidijs ad prima veris signa in Noricum irrupturus esse crederetur. Itaque euocatis omnibus regulis, deligitur Iouis dies sexto Calend. Mart. Matthiæ Apostolo dicatus, qui erat natalis Cæsaris, semper ei faustus, & Ticinensi etiam victoria lætissimus. A mediis prætorij fenestris, patefacto aditu pons ligneus, pensilis, sublicis impositus, incuruo tractu per forum, & Petronianum templum ad aram usque maximam protrahitur, & festa fronde, pictisque tapetibus exornatur, ut sine tumultu confundentis & præmentis turbæ Pontifex et Cæsar in pompa præ-

terueckti spectarentur. Erat de more veterum Cæsarum, ut Modœtiæ prope Mediolanum coronam ferream susciperent, quæ indicaret Romano imperio firmitatem ferro & militaribus copijs comparari. Tres enim coronæ Cæsaribus debentur. Prima est argentea Germanici scilicet regni, quam suffragio procerum. Aquisgrani decennio ante susceperat: Secunda ferrea regni Longobardici: Tertia verò aurea Romani imperij. Præsto igitur affuere Modœtiensium legati, cuius erant principes, Polydorus Vectius, & Paulus Velanius qui ad retinendam veteris prærogatiuæ dignitatem, vetustissimi operis coronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat sine florentibus pinnis in simplicem & latum orbem circumducta ferro introrsus tempora præcingente, sed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam coronam acciperet, in sacello domestico astante Pontifice, sacris peractis, Cæsar vngitur, ferreáque corona, & cæteris regijs insignibus decoratur ijsdem ferè cerimonijs quas paulò infra memorabimus. Prætulere ante Cæsarem summi honoris causa, Aluarus Osorius Marchio Astoricensis aureum sceptrum, Didacus Pacecus dux Ascalonius ensem gemmatæ vagina conditum, Alexander Medices dux Pinnensis Cæsaris gener, orbem aureum cum præ-

fixa cruce gemmis distinctum: Bonifacius autem Marchio Montisferrati, Modoetiensium coronam. His rebus rite confectis, aduenit demum dies maioris aureæ coronæ pompæ destinatus, & is quidem, quum noctu pluuisset superis mirè fauentibus, incredibili serenitate perspicuus. Ante alia Pontifex Vniuerso Cardinalium & Episcoporum ordine, in mitris & pluuialibus sacris pallijs, cæteris verò sacerdotibus in coccinea veste per pontem solenni pompa traductis, in prædita sede gestatur, et comitantibus prætorianis sub umbella templum ingreditur. Iam in forum Antonines Leua pedestres copias adduxerat, & obuersis in omnes aditus maioribus tormentis, & signis in medio constitutis, cuncta loco perpetua militum statione firmauerat. Interim è lacubus, qui in summo prætoriana porticus fornice fuerant fabrefacti, per siphones rubra & alba uina fundebantur, panes ab alto in subiectos milites spargebantur, torrebaturque in machina uersatili, bos integer, ingens, hœdis, uitulis, ac omni ferè uolucrum genere farctissimus, vt in tanta festa hilaritate milites sub armis in acie stantes, ad manum paratis obsonijs cum iucunditate uescerentur. Nunquam ab vlla memoria, uel ad celeberrimi triumphi, uel ad inauditi spectaculi famam, maior atque nobilior mortalium insignium numerus, in vnam vrbem confluxit. Erant adeò plena loca omnia quæ foro imminebant, vt multi in alto suspensis & pendentibus speculis, alij in ædium proiecturis, & periculosissimis locis cum aliorum admiratione prospicerent. Ipsa porrò domorum tecta pueris & fœminis in ea mira cupiditate scandentibus, tanta multitudinis pondere fatiscebant. Fuere etiam erecta inter columnas templi, ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelsa superædificatis quoque suggestibus, vnde illustres matronæ suspicerentur, & cuncta ipsa pariter iucundissimè aspectarent. Iam Pontifex sacratas tunicas & chlamydes induerat, & sacra solennia exultis altaribus parabatur, quum Cæsar sub umbella cum ornatissimo procerum comitatu, ad templi vestibulum peruenit, ita vt vix eo paucis passibus præterueeto tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba, frangerentur. Ibi plerique militibus immixti, fœdo casu procidentes, sese pilis atque securibus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga theologus Lutheromastix, minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed facilè fuit æstimare ex atrocitate periculi quis in Germano milite, supra ferociam militarem, natura implicabili, animorum habitus esset futurus, si ad certam omnium perniciem, Cæsar ipse, se paululum

vertente fortuna, cecidisset. Sed intrepidè respectans Cæsar, leniter arrisit, ita vt fortunam suam certius agnoscere videretur, qua cœptis, & votis omnibus benignissimè semper aspirasset. Erant omnia ad imaginem Vaticani templi constituta, & noua sacellis appellationes imposita, vt ea sigillatim, ad veterem consuetudinem ex Pontificijs libris responderent. Assuere igitur Romani sacerdotes, quibus sacra Vaticani templi sunt commendata. Is ad aram Cæsarem suscepérunt, linteaque sacerdotali tunica superiniecta, in collegium eius sacerdotij cooptarunt. Eum Saluiatus cardinalis in verba ex libris Pontificijs concepta sacramento adegit, ita vt in summa libens iuraret se Pontificiæ dignitatis perpetuo futurum esse defensorem. Ab hac ara duarum turrium nuncupata duo Diaconi cardinales, Saluiatus scilicet ipse & Ridulphus ambo ex patruelibus Pontificis nepotes, ad templi limen deducunt. Flexo genu supplicantem, Picolomineus presbyter cardinalis, certis precationibus expiatum in sacellum sancti Gregorij perducit. Ibi linteæ tunicæ deponitur, sandalia margaritis & gemmis picta statim induuntur, & Dalmatica veste in morem Diaconi prius assumpta, paludamento demum conuestitur. In eo habitu præcedenti, Puccius cardinalis ad Porphyreticam re-

tam, quæ est ad Vaticani templi medium, mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæsar ad aram maximam obuertitur, solennique altera precatione, vt eius imperium stabile, perpetuum, victoriarum, pietatis, & laudis plenum faxit Deo maximo, in cuius manu sunt regna, commendatur. Sunt enim multa antiquitus à pijs præstantibúsque ingenijs, cum summa verborum elegantia, & Christiana grauitate composita, quæ ex sacrato libro, ad statas rerum & locorum cerimonias, ab alijs atque alijs sacerdotibus in frontem Cæsaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris, quisque curiosus facile poterit inuenire. Ascenditur demum versus aram maximam, vbi Innocentio Cibo Cardinale letanias præeunte, alternis precibus piè pronunciatis, Diui diuæque omnes propitiantur. In lectisternio supplicanti Cæsari Campegius Cardinalis astitit, & de scripto orationculam vt auspicatò coronaretur, religiosè recitauit. Inde mox Cæsar à Farnesio, quoniam is erat senatus princeps et Cardinalium vetustissimus, intra sancti Mauritij sacellum est deductus, vbi diffibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum, sacro oleo, adiectis puris & pijs orationibus inungitur. His rebus rite confectis, solennia sacra erudito phonascorum con-

centu, alternantibus choris, operante Pontifice, ipso Cæsare in sacra veste ministrante, protinus inchoantur, quæ miro ordine cerimoniarum, summa grauitate sacerdotum insignium omnium religione, adeo in serum diei sunt protracta, vt vel piè curiosos fatigare potuerint, si is longè omnium clarissimorum principum admirabilis consessus, si tectantium oculos sola in parte satiare potuisset. Neque hic est necesse, vt cuncta, sicuti sigillatim fuere celebrata, à nobis minutissimè referantur, quando ea in libris Pontificum beneficio publicatis ad amussim descripta videamus. Legati interim Genuenses & Senenses quum de loci dignitate inter se contumelijs pugnisque contenderent, templo iussu Cæsaris exacti sunt. Cæterùm summa sacrorum fuit, vt Cæsari de manu Pontificis Romani imperij insignia traderentur. Itaque solenni precatione semper adhibita, Pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit florenti cacumine conspicuum, quo piè gentibus imperaret: itémque nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur, ac pomum aureum, quem, vti terrarum orbem insigni pietate, constantia, virtuteque regeret, et postremò thiaram illam potius quàm coronam, bicipiti fastigio, multisque adamantibus insignem capiti imposuit: ille piè inflexo genu

genu pronus exosculato pede, Pontificem adorauit. Tum demum Cæsar in illa tot gemmis ac vnionibus exornata triumphali trabea, ad læuam non procul à Pontifice, in sede auro protecta, sed paulò humiliore, sessum est perductus, et Romanus imperator appellatus. Quod vbi in foro militibus est renunciatum, Antonius Leua, ad declarandam lætitiam, maiora minoraque tormenta dissiodi iussit, ita vt terribili sonitu cælum crepitare, terra quati, & tecta nutare viderentur. Nec multò post Pontifex sacratissima Eucharistiæ hostiam humillimo quodam oris gestu, purissimóque animi habitu desumpsit, atque eam obiter Cæsari omni labe criminum expiato, religiosè communicauit. Peractis sacris, templo excessum, ad præparatos equos sacerdotes, legati, proceres discurrunt: omnis repente multitudo in equis conspicitur, acclamationes, tubarum cantus, tympanorum strepitus audiuntur. Conscendenti equum Pontifici, Cæsar ad lænam pedes astitit, vti benignè auratam stapham sacrato pedi protinus inducturus. Sed pium Cæsaris obsequium, Pontificis humanitas, religiosáque modestia superauit. Ergo iunctim equo vterque albo, sed Pontifex Thraicio, Cæsar Hispanico considentes, symbellam subeunt, summæ dignitatis hominibus, ad eam gestandam honori simul & labori succedentibus

tibus. Præcedebat mirò pompæ ordine, tũ Cardinalium, tum procerum Vtriusque aulæ familia: in tergo signa erant Viatorũ, qui cursores appellantur. Adhæc subsecuti sunt septemviri insignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedestri comitatu valde conspicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Angelus Ranucius Bononiensium vexillifer, qui est summus apud eos magistratus, primum detulit cum titulo Libertatis: secundum erat senatus populique Romani Iuliano Cæsarino Romani sanguinis adolescenti, ab ipsa familiæ prærogatiua demandatum. Ad hos secuti sunt Ioannes Menricus, & Hotrechius Belgæ: hic Cæsaris aquilam, ille candidum vexillum cruce purpurea distinctũ gestabant. Tum demum tria sunt prælata, Clementis scilicet Pontificis, cum Mediceis insignibus vnũ, alterum sanctæ Romanæ ecclesiæ, tertium verò illud Christianæ crucis aduersus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere Leonetus Sidicinus, Ludouicus Rangonus, & Laurẽtius Cibo Prætorij præfectus. Traducti præterea aliquot albi asturcones sine sessoribus, auratis ephippijs instrati, Prætulere etiã adolescentes eximiæ nobilitatis in scipionibus præfixos galeros Pontificis purpureos quatuor. Nec multum inde succedebat Eucharistia sub aurea vmbella loculo crystallino inclusa, & sella

sella generosi & tamen pacati equi superimposita. Laterna ingens ante, & circum dena funalia ferebãtur. Tum demũ promiscuè gentium omnium honestissimi qui q; succesſere, vt decuit in tanta hilaritate, regio sumptu supra quàm credibile videatur, exornati. Nemo enim ex tota Italia paulò vir illustris non venerat, nisi vehementi valetudine præditus. Hispani, Itali, Belgæ prout libido genijq; tulerunt, auro textile et serico omnis coloris eleganter variegato, itemq; Phrygijs operibus, & acu pictis sagulis spectantium oculos perstringebãt. Germani in veste obscuriore, sumptuosa tamẽ torquibus aureis relucebant. Visebantur passim equi ex omni regionum sobole maximè generosi, & insano sumptu toto terrarum orbe conquisiti. Notiores Hispaniæ reguli fuere Aluarus Osorius Astorgiæ Marchio Didacus Pacecus Ascaloniæ dux. Indicus Mendocius Saldaniæ comes, Infantasiorũ ductis filius, qui Franciscum Gallorum regem in Carpentanis regali hospitio susceptum, admirandis muneribus exornauit, & Petrus Toletanus Marchio Villefranchæ. Albano duce genitus, qui filiorum & nepotũ sobole felix, et fide virtuteq; præditus, ad regni tutelam in Hispania coquiescit. Præterea paulò minores comites, Agillarius Fonteius, Cosantinius Altamirus, et supra hos, quem ingenio fideq; spectæ

spectatum Fortuna extulit, Franciscus Conus consiliorum omnium particeps, & in regno legionis sacratorum equitũ magister. Sed quis reliquos nobiles, opulentos claroríe principum progenie editos suo ordine numerarit? Neque Italos alacritate & sumptibus inter se certantes suæ serie arbitror recensendos, nesi in tanta vel fortuna, vel claritate, propè æqualium equitum turba, aliquos nominemus, cæteri se indignè vel iniquè prætermissos conquerantur. Fuêre tamẽ inter tot regulos maximè conspicui, Alexander Medices & Ioannes Aloysius Carrasa Statilianus princeps. Belgarum autem longè dignissimi successere, Henricus Nansous comes, cubiculo præpositus, cuius est summus dignitatis & gratiæ locus apud Cæsarem, Philippus inde Croius Marchio Arescotæ, præfectusq; equitum, & Cæsari sanguine coniunctus, itemq; Hadrianus Roseus Cæsarianæ familiæ magister. Venerat etiam ipse Andreas Auria, cui Cæsar maris imperiũ detulerat, non à cultu corporis, amictusq; luxuria, verùm ab aspectu graui & militari, ipsaq; prolixa barba spectandæ canitie, & rerum gestarum fama cõspicuus. Subtraxit pompæ Franciscum Sfortiam, non importunus modò sed grauis etiã morbus. Ferdinandes etiam Sanseverinus Salernitanus princeps, ne primum locum Ascalonio concedere

dere videretur, intra limen domi se cõtinuit. Federicus verò Gonzaga Mantuanus, ad exornandam urbem, & summo cum honore Cæsar exciperetur, domi remanserat, & ob id etiam, ne cum Bonifacio Montisferrati regulo, de loco & dignitate disceptaret. Alfonsus Atestinus Ferrariæ dux ideo non venerat, quòd Cæsar pacificator, & postea fecit, nondum ei diem, quo pro concordia ad Pontificem veniret, omnino statuisset. Nec Pyrrhus Antonius Sanseverinus Bessennianus princeps, quanuis properaret, in tempore superuenit. Erat cum ijs, quos diximus, minorum regulorum atque honestissimorum equitum numerus, vestis & equorum ornamentis magnis regibus exæquandus. Sed unus omnes omnium nationum Astorgius eruditis sumptibus superauit. Erat enim eius prætexta verè triumphalis, margaritis & gemmis, ad delphinorum imagines, opulentissimè depicta. Ad hos sequutæ sunt variæ legationes, et mox ipse purpurati Cardinales. Inde nõ procul successit umbella, sub qua duo longè augustissimi terrarum domini, in mitris illis stupenda, & inæstimabili gemmarum & unionum varietate preciosis, ita collutim & temperato passu incedentibus equis, vt ij certa ingenij grauitate, quales sessores deceant, sentire videntur. Antecedebant umbellam, ipse Montisfer

tisferrati Marchio, solenni in chlamyde & corona gemmis ornata, qui Cæsaris sceptrum deferebat: Franciscus inde Maria Feltrius dux Vrbini, Venetorum imperator: & quoniam erat præfectus Vrbis, in veste purpurea Dalmatica, cum inusitato in metæ formam capitis tegumento, aurea cruce distincto, & tanijs vtrinque pendentibus, nudatũ ensem prætendebat. Philippus verò Palatinus, quem decora proceritas, & obsidio Viennæ aduersus Turcas fortissimè tolerata clarissimum reddebant, aureum orbem detulit, in tælari toga purpurea, astrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Postremus erat Carolus Sabaudius Allobrogum dux, pileolum ferens, vnionibus, smaragdis, & carbunculis collucentem, qui quum oporteret nobilioris officij causa, demptam capiti Cæsaris coronam, prætentis manibus deferret. Inter hos summi ordinis principes, & vmbellam ipsam Cæsaris quæstor obequitabat, qui per singulas regiones certis passuum interuallis, ad dimouẽdam turbam, excitandamq; lætitiam, effusè in populum argenteam atque auream stipem signatam imagine coronati Cæsaris dispergebat. Secundum vmbellam binis cubicularijs & medicis locus fuit. Tum verò antistites opibus & authoritate præstantes, qui vel legati regum erant, vt Gabriel Agramontius

tius Tarbensis Gallus, & Bernardus Tridentinus Germanus: vel Cæsaris consiliarij, in queis fuit Gabriel Barensis pace & bello rerum maximarum administrator: vel ij, quos ab insigni gratia pontificis assistentes vocant, vt Hieronymus Vasionensis, qui Cæsarem in Italiam adduxerat, & cæteri demum Episcopi in violaceis pallijs & post hos minores sacrati viri successerũt. Nouissimum agmen clausere cataphracti equites Belgæ, per alas turmasq; distincti, eo ordine indutis galeis & prætentis hastis subsequentes, vt non modò tantæ pompæ præsidio, sed ornamento esse viderentur. A templo, vt diximus, profecti, modico ad læuam flexu, ad Vrbis vmbilicum vbi est turris Asinellorum altitudine Italicarum nulli secunda. Inde per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu processum est, porticibus hinc, & inde spectantium fœminarum multitudine refertis: sicut pompa omnis sine tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem ostentata quietissimè spectaretur. Tum demum ad regionis biuium, quod dicitur ad Clauaturas, Cæsar à Pontifice digressus, ad diui Dominici templum contendit. Ibi venientem Romani Lateranensis templi sacerdotes cum summa veneratione susceperunt

runt, & Sti Vaticani dudum fecerant, in collegium coopterunt. Inde Cæsar ad aram diui Ioannis supplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equestris dignitate, gladio leuiter percussis humeris, ornauit. Nec multò post alio itinere quam isset Pontifex, ad prætorium est reuersus. Erat maximo triclinio ad epulum præbendum aulæis Sndiq; strato, contenctum cubiculum Hippolyti Medices Cardinalis, in id familiariter Cæsar coronatus excluso fermè omni famulatu se recepit, trabeam deposuit, exuit sandalia, & auream talarem togam sumpsit, atque hilaris aliquandiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, & prægrauis thiaræ pondere conquieuit. Interea præcinentibus tibijs & tubis, epula miro ordine, ministrorumq; silentio introferri sunt cœpta. Itaque assuere Cæsari præsto quatuor illi principes, in sua quisque solenni chlamyde, St insignia præferrent, atque item alij illustres reguli, St eum ad mensam deducerent. Cæterum prius quam exiret, ex eorum numero septem equestri ordini adscripsit, & ante alios ipsum Astorgium, qui longè omnia in pompa cultissimus extitisset, & Philippum Palatinum, qui Viennæ diuina virtute propugnando, non modò Germanos, sed Christianos omnes summo metu & incredibili periculo liberasset. Cœnauit solus Cæsar singulis imper-

imperij insignibus in mensa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelsa. At in alta, infra gradus, in conspectu tamen Cæsaris discubuêre, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati reguli. In exteriore verò triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis mensis iterum Cæsar gladium cepit, & plærosque nobiles equestri dignitate decorauit. Accidit verò dum nudatum ensem Vrbinas porrigere vellet, St pomum manubrio insertum excuteretur, atque eo cadente in pauimentum inclusæ gemmæ ad circumstantium pedes prosilirent. Fuere qui id prodigij loco acciperè viderentur, quasi futurum esset, St Cæsar absens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite scilicet eximiæ grauitatis indigentem. Alij autem felicius interpretabantur, Cæsarem ad Orientis regna, vnde gemmæ prouenirent, gladium esse vibraturum, simulque futurum, St duces & milites ab ipsa victoria, quæ gladio pararetur, ingentibus illis Turcarum opibus potirentur. Eisdem diebus, quibus Cæsar Genua discedens Placentiæ subsedit, & Solymanus castra posuit ad Viennam, Aurantius ab vrbe Aquila promotis copijs in Vmbriam est profectus, eo consilio, St Malatesta Baleonus, quem Florentini ex authoritate Galliæ regis sibi ducem designarant, vrbe Perusia pelleretur.

Reiecerat hic satis æquas conditiones à Clemente propositas, quòd nequaquam, vt suprà diximus, eius fidei magnopere confideret, arbitraretúrq; ignobili & dubia pace bellicum decus esse præferendum, vnde ipse clarescere, opibus augeri, atque omnino, vt vir maximè bellicosus, proferre potentiæ nomẽ posset. Suadebat Florentinis, vt ad tuendam ciuitatis libertatem, bellum quod immineret, quantum fieri posset, longius ab vrbe Florẽtia alendum sustinendúmque censerent, ne suburbanus summæ fertilitatis ager, pendente præsertim vindemia, nec planè reconditis colonorum frugibus & reliquis copijs, expositóque passim ad prædam maiore mmorèque pecore, ad primas hostis incursiones vastaretur, & demum populus bellicæ insolens cladis amæniſsimarum villarum vti necesse foret accidere, è mœnibus incendia prospectaret, quibus Barbari insita animo eorum agresti ferocia minimè parsuri viderentur. Ita q; sibi videri maximè tutum, & quod ad existimationem ciuitatis confirmadam plurimum pertineret, vt sibi eas, quas haberent circa Cortonam & Aretium copias, pecuniámque item in stipendia submitterent: se nanque sperare, vt Aurantius aliquandiu expugnandis oppidorum præsidijs distineretur. Nequenim eum tanti animi, aut tantarũ virium fore,

vt Perusiam ex propinquo oppugnandam susciperet, quam ipse inexpugnabili situ permunitam, fretúsq; obstrictorũ sibi ciuium studio & quo polleret fortiũ atq; fideliũ veterũ militum numero, esset sine vllo periculo defensurus. Quòd si Nigrarũ cohortium noua præsidia submitterentur, & hostes desperata expugnatione Perusiæ, in Etruriam penetrare, Florentiámque contendere velint, ipsum non esse prætermissurum, quin deductis ex omnibus Vmbriæ oppidis certis præsidijs, iusto cum exercitu, eóque tormentis maioribus egregiè confirmato, abeuntes hisdem vestigijs insequeretur, & aliquam rei bene gerendæ occasionem pararet, circa transitũ paludis, quam Glanis amnis efficit, nec aliter ea quàm duobus aut tribus ligneis pontibus posset pertransiri. Id Malatestæ consilium tanquam salubre, quanquam magnopere placeret Zanobio Bartholino, qui in procuratione negotij bellici Florentinorum finibus cum authoritate erat præpositus nulla tamen ratione, vel Carduccio, vel decemuiris probari potuit, cùm ille diceret, bono medico conseruandi cordis, in quo vita consisteret, peculiarem curam esse reponendam, neglectis quæ ferè nihil ad salutem pertinerent, exterioribus membris: & in eandem sententiam cùm decemuiri, tum decuriones facilè adduceren

cerentur. Id quoque consilium Francisco Ferrucio probabatur, qui assuetus Nigris cohortibus stipendio militi numerando apud Soderinum solers minister propè Auersam captus fuerat, atque inde pecunia redemptus, vtilem Reipublicæ operam præstiterat, colligendis scilicet vndique veteranis, sic vt eo bello legationis militaris honorem consequutus, diu æquè fortis & acer dux, secundissimo studio ciuium veteretur, quòd ex humili loco inter ciues, multo ausu perpetuóque labore, clarum militiæ locum sibi quæsiuisset. Caterùm hæc sæua consilia fatalis insita Carduccij animo rabies, & inusitata expersque rationis confidentia, & supra id peruicax popularium consensus, in irritum facilè rapiebant. Timebat nanque Carduccius non obscurè, ne populus tot conflictis vrgentis belli detrimentis perculsus, sicuti plerique optimatium suadebant, adpetendam pacem verteretur. In ea siquidem persuadenda Clemens multis de causis vehementissimè laborabat, vt qui parcendum patriæ, auertendáque belli incommoda putaret, ne pro paucis malis ciuibus vniuersa ciuitas sæuo atque irreuocabili periculo implicaretur. Interim Aurantius frustra pertentato Malatestæ animo, in Fulginatem agrum progressus, vi admota, & deiectis Meuania, Montefalco, Assisióque Malatestæ præsidijs, ad oppidum

dum Hispellium, quod erat peculiare Baleonæ ditionis, castra admouit. Defendebatur oppidum acerrimè ab his cohortibus, quibus præerant Baptista Borghesius Senensis patritius & Leo Baleonus. Hi Hispanos, post editum tormentis superioris coronæ receptum, scalas apponere, atque subire ausos, tanta vi omni telorum genere, trabibúsque deiectis obruerunt, vt multi interirent, alij vehementer sauciati oppugnationem relinquere cogerentur. Eo die Ioannes Durbinus apud Hispanos primum existimationis post Vastium, qui aderat, locum, non claritate quidem natalium, sed fortibus factis, fama latè parta promeritus, crassioris scloppetti glande supra genu vulneratus est, lethifero quidem vulnere: nam paucos post dies Fulginium delatus interijt, quo nemo consilio manúque melior, apud pedestres Hispanorum copias putabatur, Cæsare facilè eum nobilioribus gentis præferente, quòd prædaram virtutem omni nobilitate digniorem vtiliorémque sibi fuisse indicaret. Eius morte Romanos lætatos ferunt, quòd is, quem in occupanda vrbe crudelissimè cædibus grassatum norant, superis id scelus non sero vindicantibus, Borbonio Vgonique Moncatæ tertius dux vrbi funestus, comes ire maturasset. Nec multò post Hispelliani duces

honestas conditiones offerente Aurantio, si oppidum dederent, cum eo pepigerunt, vt saluis rebus oppidum traderent. Sed Hispani ita exuerunt armis singulos milites, atque vniuersas domos diripuerunt, vt fidem ab Aurantio datam fefellisse dicerentur. Hisselio & cohortibus amissis, reliquisq; omnibus exutus oppidis Malatesta, quanta poterat simulatione, ancipitis periculi sui consilia tegere contendebat, ob id magnoperè perplexus, quòd sine Florentinorum auxilijs, neque vrbem tueri posset, ciuibus præsertim satis importunè bellum detestantibus, & iam planè animis in Pontificem proclinatis, neque se inde sine graui pugnæ periculo, si erumpendum & Florentiam quò vocabatur contendendum foret, tot circumiectis hostibus certas vtrinque difficultates euasurum prospiceret. Itaque agro, sed maximè constanti animo, ad necessaria deditionis consilia ea ratione descendebat, vt extra omnem vrgentis belli metum, quæ necessitas afferret, ad pietatem patriæ referre videretur, & ciuium voluntates ea ostentatione virtutis mirum in modum conciliaret. Prædicabat enim se eo esse animo, vt ab omnibus ciuitatis incommodis abhorreret, nec pati velle, vt ciues, sicuti Pontifex denunciasset, ipsius pertinacia aqua & igni interdicerentur,

tur, vastaretur ager, & ciuitas vetere sua libertate, & gymnasij honore spoliaretur. Propterea se malle incolumi patria, atq; integris ciuium fortunis exeedere, & Florentinis auxilio ire, ne officio susceptóque muneri deesset, quàm patriam in periculum læsæ religionis, & totius belli discrimen deuocare. Itaque ad Aurantium legatos mitterent, à quo si honestas pro se conditiones impetrarent, certaq; fides sibi à Cæsarianis parter & Pontificijs ducibus præstaretur, sine mora copias eductum, atque hos omni belli metu liberaturum. Aurantius Hisselio in potestatem redacto, & dimissis ea conditione his cohortibus quæ se dederant, vt intra tertium mensem, hostibus Pontificis nequaquam militarent. Perusiam, quæ aberat spatio quindecim millibus passuum, rectà contendit, positisq; castris ad pontem sancti Ioannis, quo Tiberis iungitur, expectabat quidnam consilij Malatesta caperet, atque ita auditis Perusinorum legatis, non contempsit conditiones, quæ proponebantur, vel ob id præsertim, quòd Pontificis curæ esse intelligebat, ne Perusinus ager vlla belli clade vastaretur, sed protinus Florentinis bellicum terrorem admoueret. Propterea his conditionibus Vmbrico bello finis est impositus, Malatesta Perusia excederet, eamq; vr-

bem Pontificis regendam relinqueret: excedenti Aurãtius cum vniuersis eius copijs tutum egressum, atque iter præstaret: Castriani anteirent itinere capto ad locum Tabernas dictum: Malatesta postero die subsequeretur: interim Perusini vtrique exercitui commeatus copiam præberent: tutus Perusiæ, vxori & liberis Malatestæ, atque item propinquis eius atque clientibus receptus foret, liceretque ei duodecim ænea tormenta vrbe educere, eáque adseruãda ad Vrbinatium principem transmittere, ea lege, vt his aduersus Pontificem nusquam vteretur. De lite autem & controuersia, quæ sibi cum Braccio & Sfortia intercederet, qui Gentilis patrui hæredes dicebantur, arbiter fieret & disceptator, Antonius Montanus Cardinalis Vmbriæ legatus. His rite transactis, Aurantius mouit castra, & ad oppugnandam Cortonam profectus est. At Malatesta dextrorsum itinere capto, rectà Florentiã, nullo incommodo accepto, perrexit. Cortonenses, qui satis valido quatuor cohortium præsidio tenebantur, quum portas clausissent, nec deposcenti colloquium Vastio, quicquam pacati responderent, & tormenta murum ferientia oppositis nouis aggeribus egregiè sustinerent, & audacissimè aduersus subeuntes Hispanos praliarentur, Vastius portã promotis

motis copijs, quæ à delubro Vincentia vocatur, multis ictibus maioris tormenti quassatam, succensá; tussit: primiq; omnium inter Hispanos promptissimi centuriones, Securra, & Alfonsius Vallius, id munus coniectis facibus impleuêre, vnóque tempore duobus in locis contractum est certamen valde cruentum, quum in subeuntes Hispanos, ipsi propugnatores glandibus & saxis intrepidè rem gererent. Sed ardentem portam duo eximiæ virtutis cohortium præfecti, Iacobus Tabussius Vmber, & Rodulphus Assisias, restinctis ignibus, Hispanisque repulsis, pertinacissimè defenderunt. In alia quoque parte singulari constantia propugnarunt, Franciscus Sorbellius, Marcus Empolitanus, Goriúsque Montebenicius, eo pugnæ exitu, vt Hispani multis acceptis vulneribus & nonnullis interfectis, se recipere cogerentur, atque eo maturius, quòd Securra & Alfonsius valuas concremare conantes grauiter sauciati, pugna excessissent. Cæterum Cortonenses, quum Vastius maioribus viribus redintegrare oppugnationem statuisset, & per caduceatorem ad decuriones missum, vrbi exitium comminaretur, nisi intra horæ spatium portas aperirent, perterritis ciuibus, vel nolentibus præsidij præfectis, deditionem fecerunt, ea con

ea conditione, vt incolumes seruarentur. Hac deditionis formula, præsidij milites excludebat sic vt se ingratè prodi tradiq; iratis hostibus quererentur. Sed Vastius pro sua humanitate, ita omnes vrbe exeuntes conseruauit, vt armis tantùm & vexillis exueret, quòd pertinacius quàm oporteret, tanti exercitus vim contempsisse viderentur. Verùm non eandem exempli sortem tulerunt Castellionenses Cortonæ proximi, tot inuadentibus copijs resistere ausi: nam dum tormenta paratamque hostium aciem despicere videri volunt, & fortissimè propugnant, crescente periculo, cum se dedere velle serò significarent, expugnati direptiq; sunt. Aretini autem aliquanto salubrius nihil de defendenda vrbe cogitantes, continuò portas aperuerunt, quòd Capinsaccus exigui præsidij præfectus, in arcem confugisset, suadente Roscio Beuignanæ comite cive Aretino qui Aurantij gratiam promereri, & patriæ suæ dominatum inuadere perfidiosa vanitate cupiebat. Id primum amissi Aretij incommodum, Carduccij non obscura malignitate, & Antonij Francisci Albitij temerario obsequio acceptum optimates asseuerant, quòd ille aduersis de aduentante hoste rumoribus permotus, eas copias cùm Florentini nominis, tum Perusini, quæ Aretij coiuissent, & se vrbi præsidio futuras, summa spe defensionis profes-

sæ fuissent, ad se Florentiam perduci iussisset: Albitius verò factioso animo, Carduccij literis quæ non erant ex decemuirali sententia, nimis properè atque improbè paruisset. Neque enim dictator ciuium studijs dissidens, se tutum esse aduersus factionis suffragia fore putarat, nisi vrbem militari præsidio confirmaret, vt qui inter spem pacis, & belli metum nutabant, quo minus hiscere auderent præsentibus armatis terrerentur. Hoc autem suopte ingenio consilium Carduccius ita suscepit, vt nihil decurionibus communicandum putaret, ne contradicendo impediri posset, & inconsultis decemuiris ad Albitium perscriberet, qui Zanobio Bartholino in eo procurationis munere successerat. Vir turbido ingenio, aliena semper à Republica coquens, nec quicquam stabili mente per occasionem probans. Itaque nullam sibi Albitius moram attulit, quin perlectis Carduccij literis detractas vndique & collectas in vnum cohortes, Florentiam mitteret, prouinciámque & vrbem Aretium præsidio nudaret, haud dubiè hostibus mox occupandam. Id admissum facinus, Carduccio pariter, & Albitio capitale fuit, quum in exitu belli successuq; temporis, contra leges malignè atque arroganter feciss. ab octouiris iudicarentur. Aretio occupato, Aurantius copias effudit in peramænã frequentemq; oppidis, &

dis, & nobilitate Trebiani Vini percelebrem regionem, quam superioris Arni Vallem appellant, ea clementia, vt seuero edicto milites ab omni præda atque licentia cohiberentur. Eo modo per quatriduum recreato exercitu, rectà per Incistiam vicum Florentiam contendit, quà Annibalem olim transisse ferunt, certissimo argumento, quòd ibi elephantum ossa ab aratoribus hac ætate reperiantur, quas bestia multo gelu Alpium correptas amiserit. Primæ alæ equitum Hispanorum & Epirotarum secundum Arni ripam descendentes in regione quæ Planaripolis, & Paradisia vocatur, magnum fugientibus incolis tumultum excitarunt, sic vt sese insinuarent vsque ad suburbana ædificia, quæ Recorbula nuncupantur. Is aduentantium hostium conspectus & fremitus, à diui Nicolai porta in vrbem, & trans Arnum in forum & curiam vsque permeauit, tanta populi trepidatione, vt plerique pauore concitante, portis sese in agros cum vxoribus & liberis ejicere properarent. Vixq; pauentium turba imperto magistratuum, & obstructis iam portis sisteretur, quum eodem tempore tormeta & propugnaculo portæ diui Nicolai, atque item ab aduerso aggere munitionis, quæ erant trans Arnum Cruciana portæ imposita, in proiectos hostium equites, horrisono reboatu dissiderentur,

rentur, & Malatesta milites suos arma capere, & in muro consistere. Vrbanam verò iuuentutem Stephanus Columna sublatis vexillis curiæ aream, & fora tueri, perstrepentibus vndique tympanis iuberent. Ea repentè commotæ perturbatæq; vrbis facies, imbellium præsertim oculis atque auribus insolita vsque adeò vehementer patrum animos perculit, vt iam petendæ pacis consilia, quàm gerendi belli potiora censerentur. Aurantius postridie speculatus vrbis situm, à meridie apud templum Margaritæ Montichiæ castra posuit contra mœnia, quæ excelso montis supercilio imposita, eam vrbis partem, quæ est vltra Arnum, à diui Nicolai porta, modò erecto, modò declini muro, vsque ad Fridianam portam præcingunt, quod nusquam eius tortuosi & inæqualis muri structura debilior appareret, & si arduo eo colle, cui tota ciuitas subiecta est potiretur, inde productis tormetis hostes subigi posse iudicaret. Quam ob rem Malatesta, deprehensis militari coniectura hostium consilijs, intentissima cura extruendis aggeribus incubuit, æquato ciuiu & militum studio laboreq;, tanta contentione & celeritate, vt quum facibus accensis periculosa loca noctu permuniret, omnis paulo ante conceptus timor ciuiu animis decideret, vel ob id maximè, quòd Malatestæ ex consilio Stephani Colunæ, & Marij Vrsini, totius

totum diui Miniati collem templo insigni & excelsa sacræ turris specula maximè opportunum, ne eo potiretur hostis, valida munitione fossaq; circuncidi, Vrbiq; adjci curauisset, turremque tormentis iussisset instrui, quibus hostium castra in subiecta valle posita, ad destinatos ictus, omnibus propè horis peterentur. Aurantius porrò geminos terrenos colles è sua valle, vbi castra locarat, molliter assurgentes, Miniatimque montis æquantes supercilium occupare, munitóque maioribus tormentis instruere constituit, quod vbi à Florentinis ducibus est animaduersum, cohortes, quæ toto montis aggere frequentibus propugnaculis præsidio erant impositæ signo accepto in hostes decurrerunt, ducĉante Mario Vrsino, cuius impetum excepit Petrus Maria Roscius ab oppido sancti Secundi comes vocatus. Hunc Aurantius ex Apulia cum veteranis cohortibus euocarat, & propter virtutem nobilitatemque generis, inter carissimos in honore habebat. Itaque acerrimè dimicatum est, tantáque crescentibus vtrinque auxilijs contentione, prælium est consertum, atque protractum. Et multis interfectis, multóque pluribus vulneratis, vel occidente sole ægrè dirimeretur: & sequentibus diebus alterno impetu vtriusque partis milites, ad maiorem præcipuè cliuum, quem Giramontem appellabant, iusto propè prælio

prælio concurrerent, nullaque in re vel audendo, vel resistendo, Etruscæ Aurantianis cederent, quorum principes Hispani, quòd agilitate corporum armaturaq; genere valerent, videri cupiebant. Ad extremum, quum pro his collibus aliquandiu acerrimè & cruentissimè decertatum esset, multis de causis intermissa contentione, Aurantius eos obtinuit atque permunuit, sic tamen, vt casum, in proximo Barduciæ Colle, quam vti inuadendæ hostium munitioni opportunam occuparat, præmentibus Amici Venafrani, & Perusinorum cohortibus, relinquere coëgeretur, iubentéque Malatesta totum id ædificium succenderetur, & in conspectu hostium deleretur. His prælijs mirum in modum ad cupiendam pugnam, ostendendámque virtutem, vtrinque ita exarserant militum animi, vt neque Aurantius de subigenda vrbe desperaret, neque Malatesta, constantibus vsque adeò ciuibus, de felici rerum exitu dubitare videretur. Nam huic tantæ cum singulari diligentia ordinata dispositáque erant pro mœnibus veterum militum præsidia, vt neque vim hostium ab vlla parte ad murum tormentis aggrederentur, extimescendam præcaret, neque intus vllam tumultus procellam oriri posse arbitraretur, postquàm milites & armata iuuentus mutua præsidij spe (vti oportet) in officio

religiosè continerentur, summa nunquè magistratuum prouidentia, neque èsculenta in foro venalia deerant, nec quicquam aliud frustrà à milite desiderari poterat, quando certa quæstorum fide, ad diem singulis cohortibus stipendia prouenirent, omnisq; vel iurgij vel contentionis materia subito tolleretur. Seueritate Zanobij Bartholini, et Raphaelis Hieronymi, qui cum authoritate summi imperij per Vrbem volitantes, & miram in feris & compitis tranquillitatem, adapertis tabernis, nec intermissis vsquam tribunalium officijs, summa securitatis & pacis otium repræsentabant. Aurantius autem præter copias Germanorum et Hispanorum, quæ erant vetustate stipendiorum & longa exercitatione firmissima, acciuerat sibi nobilissimos quosque ac fortissimos Italicæ disciplinæ proceres, quos ob id, quòd plures secum traherent cohortes, vulgò Columellas appellabat. In his erant præter ipsos qui Romæ et in Apulia militassent Roscium sancti Secundi comitem, Petrum Aloysium Farnesium, & Alexandrum Vitellium, plerique alij, inter quos eminebant Romani sanguinis, Ioannes Baptista Sabellus, Martius Columna, cuiusque gentilis Camillus Mutio viro forti genitus, atque item Pyrrhus Stipicianus, & Scalengus Astensis, præterea Braccius & Sfortia Baleonis fratres, & peculiari odio Malatestæ infensi

fensi, & secundum hos Andreas Castalius Neapolitanus, et qui postea non serò applicuit, Fabritius Maramaldus, & vetus dux Ioannes Saxatellus è Togata Gallia cum validis copijs accersitus insuque Pontificis Ramazotius cum armata multitudine militum, clientiumque suorum. Nam apud montanos homines Vir factiosus ab antiqua nominis authoritate plurimum valebat, ex Apenninóque in Mugellanum agrum descenderat, & interceptis commeatibus, magna Florentinis detrimenta asserebat: obsideriq; vrbs cœpta cis Arnum existimari poterat, quoniam è Bononia Felsicis Vitembergi legiones, et Hispanorum tyronum cohortes à Mutina, transuersis Apenninigis propediem descensura, & diuersa ab Aurantio, intercedente Arno flumine, castra facturæ dicerentur. Italici generis milites, qui his quos diximus Columellis parebant, supra viginti millia peditum summam efficere putabantur. Veteres Germani et Hispani sexdecim millium ferè numerum implebant, præter eos quos Felix adducebat, et tyrones Hispanos, qui Petro Velleio Geuara duce nondum aduenerant, sic vt vera æstimatione ad non dubium omen diuturni belli, longissimæq; obsidionis, virtusq; vires victoriæq; spes æquata censerentur. Quandoquidem Florentinos non pro libertate tantum sed pro gloria ciuitatis, et vsciq;

imperij dignitate, ab omnibus socijs desertos, oppugnatosque ab iniustis gentibus, summisque principibus, arma induisse minimè pœniteret, & Senicam veræ constantiæ laudem spectantes, quicquid vel iniqua belli sors afferret, tam æquis quàm indomitis animis laturi viderentur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXVIII.

RAEPONTIS nobilissimæ ciuitatis constantiam, quum inauspicatæ libertatis noua iura defenderet ingentique animorum pertinacia antiquissimarum gentium gloriam æmularetur, armis famæque perdomitam narraturum tantisper resumere, & priores spiritus resumere non puduit, dum instituti ordinis seriem secutus, ea quæ distulimus seruato temporis tenore suo loco referantur. Operæ itaque pretium duxi seruiendum historiæ, vt non intercisa dissipatis membris, sed per partes inter se non absurdè coniunctas, integra legentibus proponatur. Quo sit, vt promissi memor ad Solymanum me conuertam, qui ab obsidione Viennæ inglorius discesserat

sceſſerat. Sed priuſquàm hæc dicere aggrediamur, opportunum eſſe arbitror, vt rerum in Pannonia geſtarum ſucceſſum, paulò altius repetamus ſcilicet, vt boni mortales, quibus de cauſis cum Solymano contractum ſit bellum, liquidiſſimè cognoſcant, & hinc quàque Chriſtiani reges quantum nobis hæc bella ab immenſo eius imperio expediti ſique opibus reformidanda ſit reputando, expendendóque pericula, conſilium pro publica ſalute digniſſimum aliquando ſuſcipiant. Igitur Hungaris ad Mugacium trucidatis, & rege ipſo ad fœdum interitum paluſtri lacuna ſubmerſo, victor Solymanus Budam rectà contendit. Vrbe regiáque potitus, ad Danubium poſuit caſtra, inuiſitque regiam arcem, ita tamen, vt in ea minimè pernoctaret, quòd antiqua Othomannorum lege cautum ſit, vt imperator nuſquam muris, ſed ſuæ tantùm cuſtodiæ munimentis confidat. Ibi ad eum delatæ ſunt occiſorum antiſtitum & procerum cruenta ſeptem capita, quibus renidenti ore illuſiſſe viſus eſt, quum purpurati ea ſingula ligneo in gradu collocata, ſimulanter honoris cauſa, inclinata cernice, & dextris ad pectus compoſitis nominatim ſalutarent, Papáſque ſtrenuos per iocum appellarent. Sed Solymanus grauifronte, quum ſingulorum nomina indicarentur, vehementer deteſtatus fuiſſe ferebatur, cum

cum præcæteris Ladiſlaum Salcanium Strigonienſem antiſtitem potentiſſimum, obiecto fœdæ auaritiæ probro, quòd is regem ſuum in tanta vrgentis belli difficultate aurum mutuo depoſcentem, quum multa pondera in eius theſauris laterent, adiuuare recuſaſſet. Tomoreum porrò ſtolidæ temeritatis incuſauit, quòd vir conſcientiis ſacris dicatus, alienæ functionis munus arroganter vſurpaſſet. Ex aduerſo Franciſcum Perenum Varadienſem antiſtitem, nobiliſſimi generis virum, ſeræ prudentiæ nomine laudauit, quòd imminentis publicæ cladis neqnaquam falſus vates, in conſilio non inſulſe dixiſſe diduciſſet, quum Tomoreus de committenda pugna importunè decerneret, poſtquam eius fatalis ſententia obſiſti non poſſet, ſe prouidere quid cucullatus imperator poſtridie eſſet facturus. Eum nanque tanto auſu nihil omnino aptius præſtaturum, quàm vt celeberrimum diem Chriſtiani Calendarij faſtis inſereret, à cæde triginta millium Hungarorum martyrum, pro tuenda religione à barbaris iniquiſſima prælij conditione conciſorum. Eos enim Chriſtiani martyres vocant, qui pietatis cauſa pugnantes, vltro egregiæ morti ſe deuouent. Reliquos tyrones acadaculos appellauit, & in his præſertim Georgium Sepuſium, Tranſyluaniæ præfecti germanum fratrem, & multa cæ-

cie senium præferentem, Ambrosium Sarcinum, nobilitate generis, opibus, & dignitate illustrem. Quum verò ei Ludouici, & Mariæ uxoris simulatæ offenderentur, generoso ere dixit, se adolescentis regis calamitatem miserari, qui usque adeò male sobrios in re grauissima consiliarios nactus, pugnam absurda ratione committere properasset: & se non ea de causa, ut ei adimeret regnum, sed ut acceptas ab Hungaris contumelias ultore gladio vindicaret, in Pannonium venisse affirmaret. Propterea si pugnæ discrimen ea assisset, procul dubio certa tributi conditione impositi, ei Pannoniæ regnum redditurum, quando non sua sed aliena culpa cladem accepisset, & sibi gloriæ futurum testaretur, si Sigismundi regis socij sui fratre genitum, & tantis Austriana clarissimæ domui affinitatibus coniunctū conseruaret, tantæ clementissimi sermonis magnitudine differens. Vt hæc animi sui decreta Mariæ reginæ, quæ Budæ, Posonium belli metu profugerat, enunciari inberet. Sicuti nos ab his, qui interfuerint, accepimus, quod profectò pro falso de barbari regis æquitate humanitateque dictum videri posset, nisi præclaro testimonio ingentis suæ liberalitatis paulo post Ioanni Sepusio, ne quaquam regiæ stirpe nato, & tum etiam hostilis animi speciem retinenti, id Pannoniæ regnum, vel nullis præcedentibus meritis, dono dedisset. Exinde æneas statuas tres prisci artificij sustulit, quæ in Vestibulis regiæ a rege Matthia Coruino, omnis virtutis atque elegantiæ studioso, constitutæ fuerant. Hæ clauigeri Herculis, citharœdiq; Apollinis et pharetratæ Dianæ formas referebant, quas pro trophæo Pannonicæ victoriæ monumentum Byzantij in Hippodromo collocari iussit. Abduxit etiam tria, inusitatæ magnitudinis operosique artificij tormenta, quum passim ad ornamentum insignia, & literæ argento scalptoria arte ari inclusa essent admiranda, quæ Illyrica Bosnæ regis fuisse dicebantur, in expugnatione Sciabatij oppidi ad Sauum capta, atque item æneas aliquot striati operis columnas, quæ portarum epistylia sustinebant. Morattes est ad Budam dies fermè viginti, quo spatio innatæ suæ genti sæuitiæ indulsit: nam diuersa in proximas prouincias equitū agmina prædatū sunt emissi, quibus hinc ad Græcarum usque, illinc ad Tibiscum amnem regio omnis improuisa atque horribili populatione ita vastata est, ut supra centum & quinquaginta hominum millia omnis ætatis & sexus aut gladio cæsa, aut in seruitutem addu ctæ referantur, quas prædatorias manus, postquam redeuntes in castra reuerterit, eodem quo venerat itinere Byzantium est reuersus. Hisdem verò diebus Ioannes Sepusius Transsyl-

uania, eductis copijs, vt regi opem ferret, serò in Pannoniam venit, non obscurè regis mortem et magno suo commodo lætatus: assurare nanque cœpit ad Pannonici regni fastigium, quando ipse nulla extante regia prole, inter Hungaros proceres esset clarissimus, & propter victoriam quondam de agrestibus Georgijs Secuslo Bornomissa collega partim bellica laude illustris haberetur. Itaque Ioannes Calido prudentique ingenio vir erectius in stemma totius regni, singulos proceres diligenter prehensare cœpit, obtestatúq;, nè proximis comitijs Hungarici nominis decus prodere vellent, si vetustissima dignitatis imperium, ad externa atq; inimica gentis nomen traduci paterentur. Debere Hungaros probè meminisse quantas clades superioribus temporibus acceperint, quum alteri exteriusque sanguinis reges sibi accersecrent, & aduersus Turcas inauspicata eorum signa sequerentur, satis præclaro documento esse debere superiorum temporũ calamitates, quas vel Sigismundus Bohemus, vel superior Ladislaus Sarmata ad Nicopolim semel, atq; iterum ad Columbatium, et ad Varnam demum infeliciter cum hoste barbaro dimicantes, Pannonijs importarint, quando ea detrimenta, quæ vel loga Ladislai ignauia, vel hac diuũ infelicis filij temeritate, subijmus, memoratæ disciplinæ gloriam, Hunnicæ virtutis penè tota interijsse credi potest. Superesse profectò proceres Pannonici sanguinis, & antiquæ ideoq; imperio dignissimæ stirpis, qui generosos spiritus gerãt, atq; animos restituendæ publicæ dignitati, et tuẽdo regno pares, in hoc publico luctu, consilia fortia atque arma expedita inuictis animis proferant, inter quos, vsque adeò demissi vel hebetis ingenij numerari nolim, vel si me nonnulli clariores, honore natalium atq; opibus antecedere videantur, vt me regendo regno, administrãdóque bello quemquam virtute aut Fortuna meliorẽ fore confitear: satis nanq; fortẽ atque animi virtute pernobilem præstabo regem, si ab hac certa fidelis animi propensione, suffragio vestro dignus existimabor. Hac via ingressus, multum rogãdo satagendoq;, Ioannes multorũ studia promeruit, eoq; facilius, quòd Stephanus Bator procerum clarissimus, ad Ferdinandum paulò ante in Bohemiam contendisset, & Ferdinandus apud Bohemos inductis comitijs vehemẽter esset occupatus, quibus primatum & popularium præoccupatis voluntatibus, rex erat appellandus. Per eos dies Hungari celebrandis regijs exequijs animos intenderunt, quum Lodouici integrũ cadauer Cetriscbi armigeri indicio repertũ, & à Mugaciana palude ad Albã regalẽ fuisset relatũ. Dictis nanq; solẽnibus inferijs, insigni pompa

apparatuq; tumulatũ est, apud ea sepulchra quibus superiores reges condi consueuerant. Exinde exequijs ritè confectis, Rhacos est inductum, ad est comitiale concilium armatæ multitudinis cuius authoritate acclamationeq; ex vetere legis instituto Pannoniæ reges creantur. Eius autem Rhacos is fuit exitus, vt Ioannes quum neminem in publico luctu competitorem habiturus videretur, quando nemo vel clarissimus candidati nomen profiteri auderet, magno omnium applausu rex appellaretur, præstòque ei maturè adfuit Petrus Perenus, in cuius custodia, vetustissima ex rudi auro Hungarici regni corona seruabatur, qua solenni cerimonia legitimi reges coronari soliti sunt. Ea Stephani primi Pannoniæ regis fuisse traditur, seruaturq; in arce Vicegradensi antiquissimorum procerũ more per manus tradito seruatoq;. Atque ita Ioannes ritè coronatus consecratusq; est, de manu Pauli Antistitis, qui in locum Ladislai Salcani Strigoniæ antistes fuerat suffectus, et Stephani Brodarici præsulis Vacensis, quem propter eruditi ingenij sim, & dexteritatem in omniverum actione singularem, epistolarum scriniiq; regij magistrum effecit. Americũ verò Cibuchum in præfectura Transyluaniæ Vayuodam sibi constituit, qui Varadiensi etiam præsulatu, interfecti ad Mugacium Pereni

loco

loco dudum fuerat exornatus. Regi autẽ creando ex ordine militarium procerũ, mirificè fauerunt hi, quos è Transyluania alarũ præfectos adduxerat, viros bello paceq; præstantes. In his eminebãt Hungarico sanguine progeniti, Stephanus Verbetius, qui Romæ apud Leonem legatus fuerat, & Paulus Artandus atq; item Gregorius Peschenius, & Nicolaus Glessa, Ianusq; Docia. Per hunc modũ, dũ nouus rex firmandis imperij viribus, asciscendisq; sibi & promerendis proceribus liberaliter atq; humaniter studet, Ferdinandũ Hungarici imperij æmulum in Bohemia regẽ creatum didicit. Is ex vetere controuersia eius litis, quæ agitata fuerat inter Matthiam Coruinum, & Federicũ Cæsarem prouinciæ, præclara hæreditatis iura proferebat, ducta scilicet a Ladislai morte, qui in Bohemia in ipsa nuptiarum celebritate veneno sublatus ferebatur, ambitione malignitateq; Georgij Poggibratij, qui Bohemiæ affectans regnũ, id primùm post occupauit, videbaturq; aduenisse tempus, quo Ferdinandus Bohemico auctus regno, & Caroli fratris opibus subnixus, nec obiturus iuris, Pannoniã nõ iniqua ratione repeteret, Austriano sanguini, ideòque sibi ab Alberti principis memoria debitã. Neq; Ferdinando, præter Austrianas, et Germanicas vires quærunda Pannoniæ procerũ studia deerant, quũ

apud

apud eum essent semitransfugæ turbulentiq; homines, nouarũ rerum cupidi, & quo facile impelli poterant liuore corrupti, inuidentes & prorsus Ioanni Hungarici diadematis decus, tanquam præcipitatis comitijs tumultuario & fauore imperita multitudinis, ipso dignioribus ereptum. Nam præter Baterẽ, cui petendi adipiscendiq; regni prærogatiua optimo iure obuenire posse dicebatur, eminebant & alij pari propè nobilitate, & belicæ virtute illustres, Valentinus Turaccius, Stephanus Maylatus, Ianus Sala, Gaspar Seredius, Balthasar Paphilus, & Ferentius Gnarus. His accesserat Paulus Bachitius, genere Triballus, vir extremè bello fortis, qui apud Turcas Mahometanis initiatus sacris, ex necessitate fugiẽdæ seruitutis ad nostros redierat, renouatoq; baptismate Christiano ritu furat expiatus, et Mugaciano prælio intactus euaserat. Horũ omnium hortatu Ferdinandus suopte ingenio repetendi sui iuris auidus, confisus q. Bohemorũ auxilijs & Noricis copijs, quibus accedebant è Rhetia superiore cohortes euocatæ, & satis magnus è Stiria, Carinthiaq; leuis armaturæ equitatus. Budã rectà perrexit: cuius aduentu grauiter permotus Ioannes, vt qui rerum omnium difficultatibus erat circumuentus, nec satis haberet copiarum, quibus agnoscere stabilireq; nouis regni opes posset, atque infirmissima

missima apud se partim metu, partim leuitate gentis studia fore prospiceret, nequaquam hostem Budæ expectandũ esse constituit, hortatusq; duces suos, vt cedenti, & aduersis infestæ Fortunæ flatibus vela dare coacto, adesse vellent, cũ his copijs quas adduxerat, & quas demũ conscripserat. Postũ traiecit, atque inde nusquã constistere ausus, iustis confectis itineribus, superato Tibisco, ad Tocaium castra fecit. Id erat munitũ castellũ, in vlteriore ripa positum. Eius discessu cognito, Ferdinandus sine vulnere Budæ potitus est. Vbi aliquandiu permansit, consultatumq; est, an aufugiens hostis esset persequendus. Eorum autem sententia vicit, qui perterritum hostem, priusquam auxilia compararet, aut noua consilia susciperet, adhibita celeritate consequendum censebant. Itaque Ferdinandus, his maximè ducibus, quos memorauimus, omnes copias commisit, qui continuatis itineribus quanta festinatione equorum lassitudo pateretur, & pedites gradum intendere poterant, ad Tibiscum peruenerunt, & nauigijs, quæ carris aduexerant, connexis, contabulatoque ponte, Tibiscum superantes, explicatis vexillis, ad Tocaium, vbi Ioannis erant castra instructa acie peruenerunt. Quo hostium superuentu perculsus Ioannes, communicata cum ducibus eius periculi difficultate, consilium capit sibi

necessa

necessarium potius quàm decorum. Suadebant enim duces promptissimis animis pugnam poscentes contemptis ferè hostibus, vt ipse paululum acie excederet, amouereturq; se periculo; & si ita iniquior prælij fors ferret, sese incolumem secundis Fortunæ casibus reseruaret: ipsos namque, quod turpissimum sit Hungaris ad arma natis, oblatũ ab hoste prælium detrectare, inuictis atq; indomitis animis aduersus transfugas constantissimè pugnaturos. Eminebat inter duces Ferentius Bodo singularis virtutis, & fidei dux Petri cui rex præcipuum militiæ sceptrum atq; vexillum de manu tradiderat. Is summa peritia pro numero genereq; militum aciem instruxit, in medio ipse constitit cum Hungaris, cornua Transyluanorum copiæ tenuerunt. In Austriana autem acie Valentinus mediam pariter aciem cum Hungaris tenuit, vbi erat vexillum, duas medio agmini cohærentes brachiorũ instar firmauerunt hinc Stirianæ illinc Noricæ equitum alæ. Sed Paulus Bachithius ex Turcicæ disciplinæ vsu, & insidijs vti solitus, cũ globo Vsaronũ, qui sunt leuis armaturæ equites, latrocinijs assueti remotiore in loco structo dis insidijs idoneo, cõtra læuum hostium cornu cõsedit, ita vt ex occasione successus, qua parte opporteret in hostẽ impetũ facturus videretur. Tum verò militũ animis non multa

ducum

ducum cohortatione ad pugnam accensis, minoræ strinq; tormẽtæ currulia, quæ gallinacei oui magnitudine pilam euomebant, dissolsa sunt, paruo quidem detrimento, quum procurrere, & manũ conserere simul turmæ properarent alternis strinq; cornibus alæ pulsæ profligatæq; sunt: nam Stiriani equites Trãsyluanorũ vim non diu tulerunt: quum in altera parte Noricæ equitatus cataphractus, nouas & collectitias Bodonis copias in læuo cornu prostrauisset. Eodemq; tẽpore ab vtraque media acie, paribus Hungarorũ animis atq; artibus contractũ est certamẽ, vsq; adeò acriter inuehẽdo procurrendoq;, vt nusquam anteà vehementius & pertinacius dimicatũ fuisse appareret. Sed nouo cataphractorũ impetu, qui pulso dextro cornu in hostium latus ruebãt, totæ Bodonis acies vel egregiè resistẽs fortissimeq; dimicans, loco pulsa perturbataq; est, eo quidẽ euẽtu, vt ipse Bodo imperator, qui vexillũ seruare reparareq; actem aliquãdiu fuerat conatus, incũbente Paulo Bachithio, ab Vsaronib. caperetur, et reliqui duces desperatis rebus profugerent, non multaq; cæde edita tormẽta ad vnũ omnia, vexillaq; in potestatẽ hostiũ deuenirent. Cùm rex ipse cõsecta suorũ strage, periculo ingenti fuga cursu se eriperet ad ipsos Sarmatiæ fines, victores, vti oportebat in Transyluaniã penetrarunt, quibus populis

nullo negocio in deditionem acceptis, Soinetsa prouincia ad authoritatẽ Ferdinandi regis se contulit, Bodonẽ porrò cũ reliquis nobilioribus captiuis atq; vexillis ad Ferdinandum miserunt. Cæterũ Bodo quũ vel propositæ libertatis flecti non posset, vt sacramentũ Ioanni aliter violaret, & cõtra eũ militaret, ab clementissimo alioqui rege in tenebricosum carcerem. Nona ciuitatis relegatus est atq; ibi aliquãto post pedore cõsumptus, miser fato suo concessit. Nec multò post Ferdinãdus, inclinantibus in eum Hungaris ferè omnibus, ex Sui victoria rex est acclamatus, atq; eadẽ vetere aurea corona, quam idem Perenus Eir in certæ fidei, ideoq; facilè ad officium redieni, detulerat cũ Anna vxore, quæ Ludouici regis erat soror, insignitus est, celebratis eius solennis pompæ cerimonijs apud Albam regalem. Exinde Ferdinandus triusq; regni rara felicitate compos factus, in Bohemiã rediit, præsidesq; qui Pannoniæ regnum administrarent, delegit. Hi fuere Stephanus Bator, qui cum summa potestate prorex est creatus, cui collega adiebatur Paulus Strigoniensis antistes, qui & ipse à Ioanne defecerat. Berethsaxiũ autẽ epistolarum magistrũ fecit. Alexium verò Turseonem Moræa gentis, cuius soror Petro Perenno nupserat, erario præfecit. At Ioannes Vsq; adeo acerbè mulctatus à Fortuna, ad Hieronymum

nymum Laschũ profugit, virũ inter Sarmatas ab illustri nobilitate, eruditaq; virtutis nomine clarissimũ. Is tanti hospitis occasione lætus, nihil antiquius habuit, quàm vt regem in eas amissi regni calamitates præcipitatũ, accuratissimè atq; humanissimè recrearet, polliceretur q; ei in spem recuperãdæ dignitatis, opes suas, quæ nõ erant mediocres, & quod reliquæ felicitatis interfuit, ingenium suum in omni actione humanarũ rerum valde mirificum. Nota erat ingratæ Sigismundo regi ea Laschi erga regem hospitalitatis liberalitas, quanquã ne Ferdinandũ offenderet amicitiæ atq; affinitate sibi coniunctũ, ingenuè clientis officium dissimulare videretur, vel ob id quòd antea ipsius Ioannis Sepusiani tum reguli germana soror in matrimonio regio fuisset. Quæ de causa fiebat, vt Laschius nihil tenerioris efficij in percolẽdo hospite prætermitteret, nec tamẽ Sigismundi regis existimatio læderetur. Quũ verò multũ inter se colloquẽdo deliberãdo q; integrũ ferè mensem absumpsissent. Laschius excelso solertiq; ingenio grauissimarum rerũ consilia agitare atq; apte terminare solitus, postremo ad id vnũ descendit: vt ab vno tantum Solymano maturã opem afflictis & perditis rebus sperandã censeret, arbitraretur q; generosissimũ eundẽ & longè maximũ regem, supplicijs & electis preces minimè ne-

electurum si ipso miserante subleuanteq; restitutus foret ex tanta beneficio se clientē fidelem, ex authoritate Othomannici nominis regnaturum profiteretur. Intelligebat siquidē Laschus à tanto elatissimiq; animi imperatore non regna, quæ illi abundè superessent, nec facilè enumerari possent postquàm magnam orbis terrarū partē imperio complecteretur, sed magnificentissimæ laudis gloriam peti, qua, præinsita orientis regū animis vanitate, eū impēse oblectari didicisset. Hoc erat consiliū, vt vsu apparuit, Ioanni maximè salutare atq; honestissimum, si expulsi atq; exulantis cōditionē restitueret: sed in causa Christiana nō obscurè nefariū, postquā priuati cōmodi nomine, Respub. in longè maximū atque horribile discrimen adduceretur. Verum aegra mortaliū mens cū de salute solicita parū sperret, nulla vnquam vel ancipitia ideoq; saepe nocitura remedia repudiat. Nec multò post decreto facto Laschus, qui nominis sui famam præclaris operibus extendere cupiebat, legatione suscepta Byzantiū contendit. Paena et Sigismundum non modò cunctē non retētasset, sed iuuisse etiā diplomate atque instruxisse literis, quibus tanquam ciuem familiarem & suum extraordinaria & peculiaris legationis munus suscipientem sibiq; carissimū purpuratis & nonnullis Sarmatici etiam sanguinis, qui in aula Solymani gratia valebāt, commendabat. Itaque Laschus emenso itinere, vbi Byzantium peruenit, primū omnium allatis muneribus, quæ elegantia potius quā pretio placitura grataq;, præcipuè vxoribus eorū futura non absurdè existimarat, purpuratorū non modo sed ianitorum etiam amicitiam promeruit: quando apud venales barbaros nihil magis in pretio sit, quàm simplex vel astuta liberalitas. Inter purpuratos qui Bassæ vocantur, eo tempore authoritate præstabant Lufiebeius, in cuius matrimonio Solymani soror visebatur, & Habraymus ex Acarnania Pargæ humili vico natus, & cū Solymano à primā pueritia molliter educatus. Is Visir, hoc est purpuratorū princeps euaserat, & quū teneret regiū sigillū, cunctis q; supplicibus libellis & epistolis subscribere cōsueisset, reliquos aulæ proceres honoribus validos, ex peculiari atque firmissima gratia authoritate anteibat. Per hūc modū insinuatus, & sæpius apud purpuratos sine interprete loquutus, quod Illyrica lingua omnibus fere in aula esset familiaris. Ioann. regis causā egit, atq; cum mirificè cōmendauit: nam salutato tantū Solymano sub primū ipsius aduentū, de negotio acturus ad purpuratos de more fuerat reiectus. Neque enim Solymanus virum Christianū intra septa aulæ ad colloquiū admittere

mittere consueuit. Petebat. Taschus à Solymano, & Ioannes, Ferdinandi Austria principis iniuria, & quorundam Hungarorum perfidia regno pulsus, Pannonia rex. & Othomannici nominis beneficiarius appellaretur, ideóque Turcicis armis in regnum reduceretur sicuti proprium esset Othomannica ditionis postquam illud iure belli, adiudicante Fortuna ab ea insigni victoria, Solymanus felici dextra vindicatis iniurijs, deuictisq; hostibus sibi peperisset. Ioannem, qui commendatione virtutis publico in concilio Hungarorum omnium legitime rex fuerat appellatus, & ritè etiam ex antiqua regni formula coronatus, nunquam, si in clientelam tutelamque reciperetur reduceretur, tanti beneficij memoriam animo depositurum, egregiaq; fide gratissimi animi maiestatem Solymani perpetuo cultu veneraturum, atque ea quæ imponeret tributa, quotannis persoluendo, inita clientelæ nomen cunctis gentibus declaraturum. Id verò si Solymanus suppl'ici concederet, tam ipsi honorificum, & ad beneficientiæ famam splendidissimum fore, quàm Ioanni vtile vel decorum. Nam præterquam, quod magnanimi reges beneficio dando potius quàm accipiendo Dijs superis æquentur, etiam id Othomannis magnopere conducere constaret, vt Turcæ infirmo & beneficiario regi potius finitimi sint, quàm

quàm Ferdinando, qui à Bohemis rex ascitus, & Caroli fratris, cui Germani bellicosi homines parent, opibus fretus, bellum inferre, quàm in finibus pacem tueri malle existimari posset. Non ineptè siquidem cauendum esse Turcis, vt quæ sibi bellando parauerit, ijsdem armis defendant, nec quenquam supra cæteros potentia atque opibus augeri sinant, aliquando etenim fieri posse, vt Carolus authoritate virium amplissimus, in eandem indicendi sacri belli causam reliquos principes traheret, & pro religione, vti superiores Europæ res gessere, amissa omnia repetenda iudicet, cuius viribus non facilè demum resisti posset. Hæc disertissimè dicta, quum Solymano ex occulta fenestella auscultanti à purpuratis referrentur, non magni negotij fuit imperatorem gloriæ potentiæq; auidum eo perpulisse, vt Pannonicum bellum rursus susciperet, & Ioannis preces ad animum admitteret, polliceréturque ex visu nouæ victoriæ, ea concessurum quæ postularet, modò fidem tueretur, & ingrati nomen maximè abhorrendum existimaret. Interea Ferdinandus non temere Pannoniæ regnum sibi grauis ratione confirmandum existimans, neque alicunde vehementiorem, quàm a Turcis sibi timens pertenture Solymani animũ, atq; eius amicitiam appetere constituit, ratus eam honesta conditione

posse comparari, si quo iure inductus Pannoniæ regnum inuaserit & ceperit, apud barbarum nequaquam abhorrentem à iustitiæ laude antiquæ suæ litis seriem explicaret, & se legitimum eius regni hæredem præclaris nostræ legis monumentis demonstraret. Existimabat enim Solymanum tot vndique victoriis auctum, & iam planè tot regna fastidientem, veluti summa gloria contentum pace parta aliquando conquieturum. Petebat hisdem conditionibus amicitiam atque inducias, quibus Ladislaus & Ludouicus filius per aliquot annos ab Othomannis regibus antea meruissent, & tum etiam Sigismundus Sarmatiæ rex pari inducias tranquillitate eius amicitiæ beneficio frueretur. Ita q3 idoneũ nactus hominem, qui hæc mandata Byzantium deferret, Ioannem Oberdanscium virum Pannonium deligit, hunc iusto comitatu exornat, & muneribus, quæ purpuratis largiretur, decenter instruit. Sed vbi Oberdanscius emenso itinere Byzantiũ peruenit, Solymanus suæ spe durior est inuentus, auersosq3 se penitus purpurati à mentione inducias præbuerunt. Nam tametsi legatus humaniter à Solymano fuerat receptus, auditusq3 patientissimè in cõsessu purpuratorũ facundè & diligenter causam egerat, in exitu tamẽ legationis, nihil plus quàm superbi atq3 insolentis decreti responsum tulit.

tulit. Dixerat enim Solymanus alienum esse à masorũ institutis, eos in gratiã amicitiam q3 recipere, qui Othomannico nomini iniurias intulissent, proinde Ferdinãdum impudenter fecisse qui alieni iuris regnum inuasisset, atq3 id retinere posse consideret, quãdo eius veteræ iuris planè mania quæ ostentaret recenti suæ victoriæ, Marteq3 iudice obliteratæ antiquatæq3 fuerint. His de causis eũ toto inducias & amicitiæ munere indignum videri, seq3 eo esse animo, vt cõtumeliam quã acceperit probè vindicandam ducat, indictoq3 bello rursus sibi Pannoniam omnino repetendam, tantis autem se copijs eam expeditionem suscepturum, vt Ferdinandũ vel intra Norici, Germaniæq3 fines sit inuasurus. Proinde ei omnem belli clademprodenũciũs atq3 amicitiæ denunciaret, propereq3 Byzantio excederet maturaret. Cæterum Oberdanscius vbi Viennam est reuersus, quæ retulerat regijs præsidibus communicando, barbarorumq3 minas & maturũ Solymani aduentũ pronunciando, quũ nemo Germanorũ, vt ea crederet adduci posset, aliquandiu pro vanissimo nebulone habitus est. Quamobrẽ vt effingeret inuidiam vera pro falsis interpretantium, ad Ferdinandum peruoluit. Is tum erat apud Spirã Nemetum vrbem ad ripam Rheni positam, vbi petitioni suæ suffragatores comparabat, quod ea instarent apud Germa-

nos comitia, quibus ipse coronato Carolo fratre Cæsar esset designandus. Is nuncius non mediocriter eum perculit, quòd eorum quæ disceret, & se facturum profiteretur hostis barbarus, non facilè fidem fallere solitus, proculdubio euentura prospiceret, alienóque tempore auxilia à Germanis petenda viderentur, si tanto hosti obuiam eundum & Hungarorum saluti consulendum foret, Carolo præsertim fratre Italicis implicito bellis, & rebus vndique ad multam rei nummariæ inopiam redactis, qua vna cogi milites & barbaros resisti posse iudicaret. Adulto Vere, & lato iam gramine virentibus campis, Solymanes nihil ab instituto consilio repetenda Pannonia discedit, magistris equitum imperat, vt copias omnes ad signa vocent. Europeis equitibus imperabat Habraymus, Asiaticis autem Becrambeius: hic ad edictum ex Asia copias in Europam traducit, ille aduocat Sanzacos omnes, qui sunt prouinciarum præfecti. Ab his ex veteri disciplina accersuntur Subaßes, Vayuodæ, & Elammurani, qui distinctarum alarum atque turmarum præfecti sunt. Hi omnes indicto die, opportuno loco conueniunt, præcipuéque apud Sophiam Triballorum vrbem, quæ Europei magistri equitum certa sedes est sicuti Asiatici vrbs Cutheæ Galatiæ. Præmittuntur itaque voluntarij equites, qui sunt extraordinaria mili-

tia militiæ temporarij, & stipendij ex omnibus prouincijs. Transdanubianique præsertim, ad prædæ spem euocati, ideoque cerâ lingua Achangi appellantur. Eorum ingens numerus esse consueuit, vtpote qui supra quinquaginta millium numerum impleant: reguntur autem imperio peculiaris præfecti, qui ex antiquissima Turcarum familia, vti virtus prouehit, ex veteri prærogatiua deligitur. Is tum erat Achomates Michalogis, qui anteire magistri equitum agmina, & primus in hostilem regionem irrumpere, & latè prædari, forróque & incendio cuncta absumere iubetur. Itaque Solymanus præeuntibus Europeis, & Achangis, Asiaticis tergà tuentibus, Hadrianopoli profectus, quintis decimis castris Belgradum peruenit, superatoque Sauo Drauóque fluminibus, iter rectà Budam extendit. Hisdem fermè diebus quibus Solymanus Belgradum applicuit, Ioannes rex quanto maximè potuit honestissimo Hungarorum procerum comitatu septus, ipse Lascho comite, ad Solymanum venit, vt honoris causa in gratiam clientelamque suscipientem, præsens agnosceret, tutelarem eius dextram oscularetur, atque eum, vt promissa præstaret, gratias agendo veneraretur. Ille graui fronte, sed amico obtutu parum se è puluino commouens, dextram suam fide virtutéque præstantem, ideoque

semper

semper Galliam apud eos quos in amicitiam reciperet, porrexit, certius nihil sibi optatius & melius à maximo numine posse tribui, quàm vt miseros ab ipsius præsertim hostibus iniqua & indigna perpessos subleuare posset. Proinde bono animo esse vellet, cùm enim, qua vltore gladio eo bello de hostibus pararet, liberali animi decreto ei protinus esse concessurum. In conciliando autem Solymano, Ioannes Habraymi Bassa efficaci studio profecit, quem antea per Laschum Byzantij, ita precibus vtq; muneribus præoccupato eius animo sibi benevolum amicumq; parauerat, vt regia causa patrocinium facilè susciperet, Aloysio Gritto præsertim internuncio feliciq; auspice. Is enim castra sequebatur, & vti erat Andreæ Veneterum principis filius, ideóque præclara eius nominis commendatione insignis, & omnis elegantiæ peritus, ab intimo consilio secretioreque consuetudine familiaris, tanta valebat gratia, vt Habraymum ab occulto quodam sydere Solymani genio non obscurè imperantem, eò quò vellet facilè perduceret. Grittum siquidem Byzantij natum atque educatum, ideóque Turcica vsque ad admirabilem facundiam peritum linguæ, generosi mores, & domestici apparatus splendor, summaque in omni re, agnoscendiq; præsertim & perite æstimandis gemmis, quarum mangonei

gonei domi aleret, mirabiliter commendabant vsque adeo, vt in eius hortos, quos apud Peram habebat ex Italica disciplina cultissimos, Solymanus ipse oblectationis causa ab Habraymo perduceretur, atque eo secessu iucundis sermonibus, tenerioris amicitiæ gratiã aucuparet, inde magno quæstu vectigalibus atque portorijs præficeretur. Aduentantis Solymani fama, rectà atque Budam ire pergentis, Budenses metu perculsi, fermè omnes vrbe profugerunt, & in proximas vrbes, pars Strigonium, pars Albam regalem, alij Possonium demigrant. Itaque vacua penè potitur Buda, & arcem, quæ Germanico præsidio tenebatur, oppugnari iubet. Turcæ perfectis per cuniculos subterraneis operibus, vectibus & dolabris, ima turrium fundamenta subruere conantur, vt suppositis ignibus arcem excindant. Quibus barbarorum operibus territi Germani, quòd paribus cuniculis ex disciplina obuiã ire nequirent, nec tormentis sese defendere possent, & imminentis excidij propinquum iam discrimen præsentirent, de deditione signa proferre, & cum barbaris colloqui cæperunt, inter quos noxnulli erant Germanica periti linguæ. Præerat arci Thomas Nadastius inter Hungaros nobilitate generis, eruditiq; ingenij dotibus illustris. Is vti debebat egregiè fortis custos, milites cum hostibus colloqui

vetat

vetat, & in hostes tormenta conuerti & dirigi iubet. ignauiæ simul atque perfidiæ eos arguit, comminaturque eis pœnam fœdi supplicij, nisi extrema quæque oppugnationis pericula sustinenda censeant, & decus Germanici nominis. Ferdinandiq; præsertim, à quo stipendia acceperint, atque opima præmia expectare possent, constantissimè tueantur. Sed iam sulphureus vapor succensi in cuniculis tormentarij pueris, ad nares Germanorum permeabat, & ex discurrentium spectantiumque Turcarum habitu, non obscura concussæ mox turris indicia deprehendebantur, quo ingentis periculi metu adducti, rursus ad eadem deditionis consilium redeunt, quòd præsentis vel maturæ tam cladis pauorem altè conceptum, nullus vel teterrimæ pœnæ metus, aut admissi flagitij pudor, aut custodis amplissimi viri reuerentia superarent. Itaquè quum Nadastum minaci fronte vociferantem, in sententiam decretæ deditionis adducere non possent, eum comprehendunt, vinculaq; injiciunt, ne resistere aut hiscere queat, conspirantes, cum hoste salutis rebus pacisuntur. Id ratum habuit Solymannus. Caterum, quum eius præsidij milites, qui erant ferè septingenti, ex conditione incolumes sarcinis q; suis omnibus in Possinium abirent, & Ianizeri occupatæ arcis Nadastum solutum vinculis pa-

riter

riter dimissuri essent, Solymannes de militum perfidia probitateque Nadasti certior factus, quo nefario flagitio contaminatos, sua lenitate indignos putaret, vt aliena perfidiæ scelus vlciscretur, Ianizeris ad vnum trucidandos obiecit. Nadastum verò ipsum stipendio inuitatum, idq; renuentem, humaniter dimisit, ipsius etiã Ioannis regis commendatione adiutus, quanquam soror eius esset in matrimonio Stephani Maylati desertoris primò, & mox atrocissimi sui hostis. Id sæua casus facinus, immani imperatoris iussu, nõ iure modò, sed ad laudem etiam veræ virtutis atque iustitiæ patratum videri solebant barbari, qui sacramentum militiæ nullo vel præsentis mortis violandum censebant. Quod fortasse æquum existimari posset, nisi atrox atq; perpetuum barbari hostis in nostras gentes odium, si iusta humanitatis iura æstimentur, eleuaret penitus & euerteret. Cur enim Germani, qui beneficio ipsius peccauissent, & diplomata concessa libertatis obtinuissent. Vsque adeò crudelis nece mulctandi videri potuerint, quum ipse Solymannes in ea aliena perfidiæ causa, propriam abruptæ fidei notam subiret, & quam quærebat iustitiæ laudem, tam crudeli quàm turpi sententia præuerteret? Exinde Solymannes eo consilio, vt Viennam duceret, castra mouens, ex itinere Altzburgum oppidum

Bohemicæ

Bohemico custoditum præsidio, admotis copijs adortus, vel impigrè Bohemis aliquãdiu propugnantibus, sed mox cadente ipsorum ducis concepto graui metu, murum deserentibus, expugnauit, interfectis ferè ad vnum Bohemis. Ab Altzburgo Acanges versus Vrbem Quinqueclesias vocatam prædatum dimisit, qui intercepta ingenti omnis generis hominum præda, nemine vsquam resistente, præteruecti Viennam luctuosas ad Lintium vsq; excursiones fecerunt, ita vt passim atrocibus incendijs ædificia conflagrarent, & magnus Viennensibus incuteretur timor. His barbarorum præcursionibus antea prouisis, Ferdinandus graui incensus cura, quas potuerat euocare & cogere copias, intra Viennam contulerat, & maioribus cogendis præsidijs implorabundus opem, singulos regulos singulasq; ciuitates adiens volitabat, quæ in re aliquanto, quàm pericula postulabant, segniores Germanos reperiebat, ideóque etiam tardius quæ vellet conficiebat, quoniam celeritate Solymani præoccupatus fuisse diceretur, in oréque omnium esset Oberdanensis, qui tanquam non falsus vates probo ore, quæ à barbaro imperatore dicta fuerant, non serò futura prænunciasset, & Viennenses vanitatis & incredulitatis suæ pœniteret, & tum feruidissimè, quæ opus erant pro tuenda salute munimenta circa

circa Vrbem præpararent. Paucis autem diebus secundum amissæ Budæ famam, circiter viginti millia peditum & equitum Viennam confluxere, quibus præstantissimi præerant duces inter quos eminebant Philippus Palatinus, Nicolaus Salma, qui Ticinensi prælio, in quo rex Galliæ captus est, inclaruerat & secundum eum Guilielmus Rocandulphus, regiæ aulæ magister, Italicis clarus bellis, et Ioannes Cazianer vir pugnax natione semi Illyricus, cui post ea Viennæ præfectura obtigit, et secundum hos Nicolaus Turrianus, Ioannes Hardecus, Leonardus Velsius, & Hector Raynsachius, inter Germanicos proceres, cum genere, tum bellica laude illustres. Ab his præparata sunt ænea circiter centum curulia tormenta, præter minora. Hæc erant ferè trecenta, quæ pilam plumbeam infra anserini ouj magnitudinem ferrent, & pro corona mœnium iuxta pinnas earumq; feneſtellas in canteriis disponebantur. Circiter Idus Septembres Solymanus Viennam peruenit, aliquanto tardius quàm sperarat, quod eius cursum toto ferè itinere propter plenos & creberrimos eius ætatis imbres, amnes inflati multis in locis, alueorum marginibus superatis inundantes retardassent, ob idq; Deo nubius sè ipso largior atque turgidior minus idoneam aut tutam nauigationem subeuntibus tot nauigijs, onerarijsq; præsertim lintri-

bus, præberet. Igitur Solymanus quinis castris diuerso atque opportuno loco positis, Vrbem circumplexus, tantam per omnes campos tabernaculorum multitudinem Viennensibus è sacra turre, quæ è media Vrbe excelsissima atq; pulcherrima structura exurgit, prospectantibus ostendebat, vt octona vndiq; suburbani agri millia passuũ occupare censeretur. Habray mus montem, vbi castellum est antiqui operis desertum, præoccuparat, vnde non interiecto magno vallis spatio totam Vrbẽ despicere posset, extra tamen tormenti iactum. Becrambeyus autem considebat contra Purgatoriam, quam vocant, portam, iuxta sanctũ Vldericũ templum. Tertia castra erant Mithalioglis, quæ secundum acclivia montis ad templum sancti Viti latissimè extendebantur. Quarta erant posita ad Scotorum portam ad Danubij ripam pertinentem, qua in parte constituta fuerant Asaporum turba, quibus admiscebantur Valdæ Ianizerorum cohortes, quæ repentè erectis munitionibus prælongis, sclopetis rem gerebant, nec quẽquam in muro Viennensium consistere patiebantur: adeò nanq; peritè glandes dirigebant, vt pluteos perforarent, at q; his appositi milites sterneruntur, et sedulò collimantes destinatò intra sagittarias fenestellas crebrò glandes conijcerent, et in statione pro corona consistere ausos vulnerarent, superfunderetur

retur autem tanta sagittarum vis intra Vrbem, vt per regiones, qui nõ essent galeati, tanquam è cælo decidentibus sagittis, grauissimè ferirentur. Cæterùm Solymanus ad diui Marci templum prætorij vexillum erexerat, septus hortorum lateritijs munitionibus et per Asapos actis cuniculis mœnium fundamenta subruere, & dolabris & vectibus non vno in loco muros præcidere iubebat, nam quum muralibus careret tormentis, ad id oppugnationis genus via rectior & potior videbatur, vel ob id præsertim, quòd magno Viennẽsium commodo accidit, Volfangus Hoder Possonio exiens cum ingẽti tormentorũ apparatu expeditis q; copijs, subeuntem aduerso flumine Turcarum classem eo euentu aggressus fuerat, vt multa nauigia minera demergeret, et lintres aliquot magnas, quibus maiora tormenta ad oppugnationem mœnium subuehebantur perforaret atque demergeret, & Turcæ amissis pluribus è numero sociorum naualiũ, multis q; militibus, qui classi præsidio impositi fuerant, interfectis, insigni clade afficerentur, paucis q; suorũ amissis, Volfangus Possonium victor rediret. Reliqua tamen barbarorũ classis vbi Viennam peruenit, primo impetu pontes omnes præcidit et diruit, nam Danubius paulò supra Vrbem in aliquot partes diductus, paruas efficit insulas, quæ pontibus iunguntur, per quos Austriana via in

Vrbem dirigitur. Ea classis ita versus arcem constitit, vt neque terra neq; flumine aditus vllus liber aut tutus exituris vel ingressuris relinqueretur, et si qui armatorum cuneis effectis portis erumperent, facilè à barbarorum multitudine intra vrbem cum detrimento retruderentur. Nã paulò ante Ioannis Ardechi equites vel egregiè pugnantes & splendidis muniti armis erumpere ausi, detrimento accepto, cum ab equitibus, tum à Ianizeris sclopettarijs reliquisque sagittarijs tanta perturbatione pulsi reiecti q; sunt, vt multis interfectis et vulneratis, Volfangus signifer cum vexillo caperetur, qui non multò post à Solymano insigni donatus veste, ad suos remissus est cum mandatis, vt ad deditionem præsidiarios milites simul & Viennenses ciues hortaretur. Ipsum enim si pertinacius resisterent, pro humanitate at q; muneribus quæ offerebat, in omnem ætatem & sexum gladio sæuiturum. Sed ea erat omnium constantia, vt nihil tanta multitudine hostium terrerentur, & probè se mœnia defensuros confiderent, postquàm nulla hostibus esse muralia tormenta perspicerent, quibus facilè murus quati at q; perfringi posset, nisi Volfangus è Pessonio nauali prælio victor aliquot inusitatæ magnitudinis tormenta demersisset. Neq; enim quæ Barbari adueuerant curulia tormenta, campestribus potius

tius prælijs apta, quàm pulsandis diruendisq; mœnibus idonea, nullam, nisi in summa corona ad pinnas, vim afferebant, videbaturq; peritis tot ducibus Germanorum Viennæ mœnia tanquam ab imperitis architectis antiquitus structa, ob id magnopere inepta esse at q; inualida ad sustinendam grauissimam tormentorum oppugnationem: quoniam rotunda et tanquam circino in orbem circumducto nulla extantioris prominentiæ propugnacula haberent vnde oppugnantium hostium latera per obliquos pilarũ ictus ferirt possent. Nam neq; antea Ferdinandus à quoquam finitimo vim timens, neq; Viennenses qui multis annis hostẽ non vidissent, muniendæ vrbi curam intenderant, vtpote qui nihil antea, vel admonente Oberdanisco, de barbarorum aduentu timuissent, vix q; terrenam nequaquã densi aggeris munitionem, quæ idoneam propugnaculi haberet proiecturã, erexerant, circa vnam tantum Carinthiæ portam, alijs autem in locis, ligneas extantis podij modò casulas protulerant, vt in de nihil ab hoste conspecti defensores, grauioribus sclopettis rem gererent. Sed his falconum hostilium crebris ictibus disiectis et deturbatis, aut perpetua glandiũ minorum grandine terebratis, totus penè murus propugnatoribus nudabatur, tanta quoq; fuit temporis exiguitas, vt duces vti oportebat, ex gleba cespiteque

altiora intus munimenta erigere nequirent. Ibi enim de more constitui debebant maiora tormenta, nam magno numero imposita curribus suppetebant, quæ longissimè in hostium castra globos ferreos euibrarent, ita vt illorũ nullus esset vsus, quòd nullo alto stabilique propugnaculo collocari possent. Apparebat siquidem, si in altiores aggeres educerentur, quos hodie, propterea quòd eminent et excelsi sint, caballeriosvocamus, magna clade Turcarum castra posse affici: nam paulò ante duo Hispani Danubius & Aquileria tormentum mediocre, quod mediam colubrinamvocant in præalta mœnium parte, vsitato ergata molimine funibus eduxerant, cuius ictibus aliquot hostium tabernacula prostrata fuisse spectabantur. Itaq; omnibus labor totaq; spes subruendi muri apud Turcas posita erat in cuniculis, qui tribus in locis subter fundamẽta mœnium ducebantur, quorum operum sonitũ sedulò auscultantes Germani, et quò tenderent telluris commotæ pulsu certis (vt alibi diximus) plenorum aqua peluium, et tympanorum militarium instrumentis deprehendentes, paribus cuniculis occurrebant, quando necesse esset tympana solo apposita, vel ex minimo terræ motu cõmotæ membrana palpitare, vasa autem pariter concussa tellure crispantem aquam ostendere. Ad hæc suspectis in partibus murum introrsus ingentium trabiũ tibicinibus effulciebant, vt cæsura extrorsus mœnia prouerent, vti tum accidit, quum excitatis ab hoste cuniculorum ignibus, ad Carinthiam portam magna pars muri tremefacta, incolumi tamen turre hisceret, atq; extra prolaberetur, Turcæ præpediti ruina et confertim ingredi conati, facilè ab armata Germanorũ phalange repellerentur. Nec multò post contra templũ diuæ Clarę prouens murus, binis hiatibus editis, sed his non omnino latis, Turcæ ad irrumpendum inuitarẽtur, et quanquam propter angustias tenui cuneo intrarent, cruentũ tamen, sed suo maximè sanguine certamen cũ Germanis eius stationis contraxerunt, tantæ barbarorum audaciæ constantiaq; nostrorum, vt protecta splendentibus armis cohortes facilè inermem turbam hostium temere prouentem, & cuspidibus sese vltro offerentem egregiè sustinerent, & quòd barbari essent numero impares, multos eorum confoderent, tergaq; dare, et tumultuosè regredi multis cadentibus cogerent. Triduo post atrocissimè dimicatũ est, quum pars muri iuxta Carinthiam portam non longè à priore mœnium ruina ita concidisset, vt Turcæ nostrorum phalanges in promerso constitutas paratasq; ad pugnam excipiendã patente ruina conspicerent, adoriuntur q; ardentibus animis & abiectis demum strin-

sclopettis & arcubus, ad gladios incuruos &

prælongos enses Germanicos, quos ambabus regunt manibus, rem deducerent quum eadem ratione, qua Germani duces hortabundi phalangem promouerent, & Turcarum præfecti suos, non verbis modò ferocq; vlulatu capessere pugnam sed illatis vulneribus ad prælij compellerent. Certabatur omni genere telorũ igneque missili, sic vt nusquam acrius et periculosius hoc seculo pugnatum fuisse diceretur. Ambustus est Othingus nobilis regulus et nonnulli pariter è barbaris ordinum præfecti, quoniã Aspis et Ianizeris equites ipsi dimissis equis suisq; protecti scutis & incuruis armati gladijs equestribusq; hastis audacissimè miscebantur. Ad extremum, quum tribus horis esset pugnatum, Turcæ insigni detrimento accepto per easdem ruinas extrorsus præcipites dati sunt. At Solymanus tot irritis & maximè cruentis suorum prælijs permotus, supremum immanium virium suarum conatũ editurus, præfectos omnes aduocat, acerbissimis castigat verbis, quod parta prope victoriæ defuerint, ignauissimeq; contra morem inuictæ gentis à limine semicaptæ vrbis (quod pudeat viros fortes) pedem retulerint. Propterea confirmarent animos, & rursus ad renouandam pugnam corpora atque arma pararent, ne dedecus admitteretur. Se enim putare turpissimum inceptо abscedere. Proinde existimarent aut egregiè

in posterum diem expugnata vrbe vincendum, aut ignominiosè pereundũ. Ab hac atroci denunciatione, postridie qui fuit Idibus Octobris, supremo conatu redintegrata est pugna, vsq; adeò terribilis, vt cum barbari agminatim per easdem ruinas in vrbem irrumperent progrederentur q; & densatas horrentesq; hastis nostrorum acies contemnerent, præeunte incredibili crepitantium sclopettorũ procella, collato pede pugnaretur. Sed magno statim nostrorum commodo, nonnulla maiora tormenta certis locis, peritè dispositа collibrataq; in prorũpentes Turcas emissa sunt, tanta strage edita, vt milites prodeuntium ducum imperijs et minis parere desinerent, & Turcico gladio interfici, quam Christianis tormentis sterni satius & melius arbitrarentur, atq; eo modo finis Viennensium periculo est impositus, et insolentis tyranni pertinacia fracta est, non dubia cũ laude Germanicæ virtutis atq; ignominia barbarorum. Postero die Solymanus sibi discedẽdum multis de causis indicans, captiuos quosdam ornatos veste serica, pecunia q; donatos in vrbem remisit, vt ducibus Viennensium referrent, se non eo consilio obsessum oppugnatum q; Viennã veniſſe, vt vrbem caperet sed peculiari de causa, vt Ferdinandum hostem suum nanciscereture, quo cum de Pannoniæ possessione nobili prælio cõtrouersiam finiret. Verum postquam eum

Vienna non esse, et in Vlteriorem Germaniam abijsse didicerit, motarum inde castra, & ad quærendum persequendúmque eum tanquam præcipuum hostem esse progressurum. Proinde ipsos rectè facturos, si sese dederent. Quod si fa cerent, ipsum neq; ingressurum vrbem, et Vien nenses præsidiarios q; eorum incolumes salua rebus seruaturum, donaturumq; perpetua im munitate. Hæc Viennenses, vti a barbaro propter desperatam vrbis expugnationē prolata, irriserunt, maximoq; rerum discrimine libera tos confessi sunt. Nam postridie, qui fuit trigesimus dies obsidionis, Solymanus castra mouit, tribusq; itineribus, & tribus maximis agmi nibus iter cepit, nam Strigoniensi via, atque item altera, qua ad Cranium Semillyricam regionem ducit, et tertia, qua iter est in Bossnam digressum est, ita vt Habi aymus vltimo loco regij agminis terga clauderet, et classis to tis Danubij ripis omnes commeatus & reliquarū rerum facultates terrestri agmini suppeditaret. Verùm à tanti hostis discessu, lætitiæ ingens perfudit luctus, quoniā supra sexaginta millia Germanorum capitis in seruitutem abducta ferebantur, vt magno Viennensiū incommodo totus ager succisis vitibus, & frugiferis arboribus fædè deformatus visebatur. Solymanus autem Ioannem Budæ regem constituit, beneficiariumq; et amicum ex diplomate & solen

& solennibus codicillis appellauit, adiunxitq; ei Grittum, vt ea pararent quæ confirmando regno opportuna viderentur. Accidit autem (quod minimè prætermittendum videtur) ita metsi barbari laudem respiciat, vt Solymanus Ioannem in eius tabernaculū cum proceribus Hungaris admissum impensè rogaret, vt Paulo Strigonienſi, et Petro Perenio clementer parcere, & in pristinū gratiæ locum recipere vellet. Nam Ioannes ab eorū ingenijs amicitiaq; plurimum abhorrebat, quoniam illi fluxa fide sacramentiq; immemores, idē quod sibi antea, dum coronarctur officium Ferdinando præstitissent, tanquam desertores oblitiq; Hungaricæ sanguinis ad Germanos defecissent. Ad id clementiæ munus quum durioremse ostenderet Ioannes, atq; prædiceret eos propter ingenij leuitatem præclara malignitate cumulatum, ne quaquam in fide permansuros, rursusq;, qua deficerent, occasionem priore turpiorem muenturos, Solymanus vocem paululum intendens, non barbaro sed optimo rege digniſsimam: an tibi, inquit, in hac vitæ melius atq; honestius quicquam euenire posse putas, quam si ex tua clemētia, qui tui sint hostes, ingrati apud mortales euadant, hoc est æterno ignominiæ probro notati, quū in te sempiterna probi et clementis animi laus māsura sit? Nec multò post instātis iam hyemis frigora timens infestæ iumentis, camelisque præsertim calidiore sub cælo natis,

iter cepit ad Belgradum, atq; inde in Thraciam est reuersus. Cuius discessus aliquanto maturior quã sperassent homines, sicuti Cæsarem ingenti cura metuq; liberauit, ita Florentinorũ animos magnopere conturbasse uisus est, qui non inepte sperauissent Cæsarẽ suo permotum periculo, barbaris occursurũ. Quid enim inceptius atque absurdius, quod ad existimationem eius pertineret, quàm proprias uires impia quadam obstinatione alieno atq; inuidioso implicasse bello, dum Noricus ureretur ager. & Ferdinandus frater nouo Pannoniæ regno pulsus, patrimonij sui dira incendia prospectaret, scilicet ut liberam ciuitatem, secus ac superiores Cæsares fecissent, urbes tyrannide oppressas liberare soliti, ad ueterem redigeret seruitutem? Quid porrò ignominiosius Pontifici accidere posse, quàm Cæsarem retentare, qui peculiare deflagrãti patriæ suæ subsidium afferre deberet, suopte ingenio publici periculi causam generosa uoluntate, nisi sacrorũ princeps religionis obliuisceretur, esset defensurus? Sed uel in detectis tantæ spe animis, nihilo secius uigebat illa pertinax uoluntas, ut omnes pacis cõditiones abnuerent, quæ specioso suscepta libertatis nomini officere possent, nec tamen alicunde reperirẽt uel priuatis uel publicis consilijs, qua ratione diuturno resisti bello posset, postquàm deserti ab omnibus

bus socijs oppugnatiq; constantissimus duorum maximorum principum uiribus, nihil de belli exitu dubitarent. Id uerò fiebat, quòd in ciuitate populares dominarentur, imperiti homines, uti paulò ante uni tantum mercaturæediditi peritis autem rerum, patritijsq; præsertim & rectè sapientibus, nullus esset in republica locus, utpotè qui is tantùm optimus ciuis existimaretur, qui acerbissimè eos ciuium ordines, qui antea in administranda republi. ualuissent, proscinderet, & de Pontifice insolentius loqueretur, sicuti paulò ante intemperanter euenerat in publicis concionibus, quas in templis facundissimi quidã iuuenes ad populum habuerant, ut iuuentutẽ ad capessendam institutæ urbanæ militiæ disciplinam, hortarentur, qua ciuitatis dignitas & publica omnium salus constaret. His autem orationibus singulari assensu atq; omniũ commendatione exceptis, unum id maximè petebatur, ut Medicea familia dominatus probroso nomine tyrannidis appellarent, eorumq; ciuium ordines, qui illius beneficia meruerãq; sensissent, aut producti in curiã fuissent, tanquã improbos adulatores, oblitosq; publicæ dignitatis effusè criminarentur. Sed unus ante alios Petrus Philippus Pandulphinus præstãti quidẽ auo, sed Cordi patre genitus, furioso quanquã erudito orationis genere, usq; adeò petulan

petulanter in Mediceũ nomen est inuectus. Vt quum in templo Laurentiano Cosmi pietate atq; opibus ædificato, vbi sunt Mediceæ gentis sepulchra, cõcionaretur, ad abolendam tyrannicæ stirpis memoriam, templum illud decreto publico funditus euertendum diceret. Multo autem acrioribus acribus auditus est, apud sanctæ Crucis templũ, Baucius Caualcãtes. Is moderatæ & perelegantis eloquentiæ neruos intendens, quæ opus essent aptius persuaserat quàm nonnulli alij, qui maledicentia fræna laxauissent. In his fuerat, præter Pandulphinum, Aloysius Alamannus poëta Etruscus, qui multũ ante nefaria cõiurationis in necem Iulij Cardinalis susceptæ, quum complices capite pœnas dedissent, elapsus damnatusq; diu exul in Gallia fuerat. His cohortationibus non inuentus modò, sed totæ ciuitatis hilarior atq; paratior ad tuendam libertatem reddebatur, ità vt eximiũ robur in vrbana iuuentute esse putaretur, quæ splẽdidis armis, et diuite cultu ornata sub singulis tribunorũ vexillis instructa prodibat, & vti dux eorũ Stephanus Columna iussisset, militiæ munera implebat. Certabatur enim quotidie, nec vrbana iuuentus cõtineri poterat, quin veteranis militibus, vbi periculũ posceret, aut virtus digna vero milite ostendi posset, audacissimè misceretur. Aurãtius porrò totum vrbis ambitũ, qui est trans

Arnum

Arnum à Nicolai porta ad Fridianam lunato circuitu complexus, ita diuersarum gentiũ castra castris, perductis munitionibus cõiunxerat, vt Florentinorum eruptiones perpetuæ statione militum & tormentis aptissimo loco collocatis facilè contemneret. Ita enim fiebat, vt quicquid mœnium à media diui Georgij porta, quæ editiore vrbis cliuo erecta est, Hispani eruptiones hostiũ ex superioribus locis obseruarent, Itali verò ad ortum solis vsq; ad Rossianam villã extenderẽtur, qua excelso ædificio insignis cliuoq; impositus, vrbem ab orientali latere trans Arnũ prospectabat. Germani autem paulo remotius in valle circa Baroncelliam villam constiterant, vbi erat forum rerum venalium, & Aurantij prætorium visebatur. Nihil tamen Aurantius tentandum de oppugnatione, & prolatis tormentis vsquam quassanda mœnia arbitrabatur, quod murus admirabili structura firmissimus, nisi longo labore multoq; sumptu atque periculo aperiri diruiq; posset, tot præsertim propugnatoribus qui audacia numeroq; præstarent ad omnes hiatus hostilemq; impetum occursuris. A Giramonte autẽ tumulo, quem maioribus instruxerat tormentis, eius munitionis frontem, quam in Miniati templi horto erectã fuisse diximus, creberrimè quassandã susceperat. Nã ab ea substructione lignea altior

tior suggestus à Malatesta fuerat eductus, Vnde subiecta hostiũ castra verberari poterãt frequentibus pilis, multa cum pernicie cõmeantium militũ. Nam ab ipsa etiam sacra turre, quæ cuncta prospectabat, vno atque altero fulcone peritè constituto à quodam Lupo Florentino, qui turri præerat, diligentissimè res gerebatur. Eam autem turrẽ demissus storijs duplicibus, densissimisq; culcitris & lanarũ saccis circumquaq; munierat, vt immissas pilas, crassa mollitie obiecta, obtunderet & eluderet. Nam ab Aurantio maiora tormenta in Giramonte constituta, in turrẽ intentissimè dirigebantur, quæ causa fuit, vt minutis præliys quotidie certaretur, & multi viri fortes interirẽt, in quibus fuerunt Bartholomæus è Fano Fortunæ, spectatæ virtutis præfectus, et Iacobettus Corsius eximiæ promptitudinis centurio: è Cæsarianis autẽ Cissa Pisanus, et Bonifacius Parmensis. Vulnerati quoq; plerique illustres, & in his Roscius ipse. Alexanderq; Vitellius, quũ recipiãtes sese Etruscos admodũ cõstanter Mario Vrsino reducẽte, audacissimè premerent. Ea autẽ erat natura vulnerũ, vt qui glandibus circa ossa paulò vehementius essent vulnerati, difficillimè mortẽ euaderẽt, & multi longa plagarũ sanie tabeq; affecti, irritis remedijs morerẽtur. Propterea Florentini operã dabãt, vt ampliores militũ manus

mercede

mercede cõpararent, nam præter vrbis custodiam, minora etiã præsidia reliquis vrbibus atq; oppidis, quæ erãt in potestate, imponenda videbãtur. Magno nanq; ad sustinendã obsidionem vsui erant, Pratũ, Pistoriũ, & à Pisana via ad septimũ lapidem, Lastra castellum, atq; inde Empolis, quod est mediũ Etruriæ mercatu celebre oppidum, quod antiquitus Emporiũ fuit, atq; inde Pisæ, et sinistrorsum Volaterræ. Itaque pecuniã in stipendium Neapoleoni Vrsino mittunt. Is in agro Romano propter familiæ clientelas & opes erat potens, & se auersum à Pontifice, & Cæsarianorũ hostem profitebatur, numerumq; earum quæ antea habuerat cohortiũ & turmarum auxerat, accitusq; in Etruriã penetrare iubebatur. Cuius consilio cognito, Aurãtius Alexandũ Vitellium, qui eius transitũ impediat, in Tifernates suos mittit. Is diligenter exploratis hostium itineribus, coactã valida manu Tifernatium, Neapoleonis copias iuxta sancti Sepulchri oppidũ improuisò adortus, paruo negocio fundit, ereptis q; vexillis & exutos armis profligat, ita vt propè ipse Neapoleo caperetur, & Vitellius re bene gesta ad Aurantium rediret. Hisdẽ ferè diebus, quibus Alexander Vitellius ad Vmbriæ fines aduersus Neapoleonẽ est missus, Stephanus Colũna audaci suscepto cõsilio, ad inuadẽda hostiũ castra

A noctur

nocturnam eruptionē instituit, quòd magnā silis gloriæ futurū apud ciues, atq; ipsum Gallia regem, cuius auspicijs operam nauabat, rebatur, ipso id plurimum expetente Carducio dictatore, sinō defensuros modò mœnia Etruscos, sed ingentibus etiam animis castra adoriri, prodireq; in aciem ausuros ostenderet. Id facinus eo ordine silentioq; constitutum atque initum est, vt cum Mulateſta, pauciſſimis q; tribunis re cōmunicata, nocti subobscurā noctem, ex condicto tribus portis erumperent: Ioannis scilicet Taurini cohortes à cliuo diui Georgij, & Octauiani Segnorelli à Catelina porta, quum his cœpta pugna, ex instituta tessera, vel ad faciendum impetum, vel ad receptum signū daretur, Stephanus ante omnes à diui Nicolai porta magno silentio per mediam vallem, quæ est inter Rosciana villa collem, & Giramontem, vbi erant perpetuæ hostium stationes, iter habuit cum Ioanne Taurino præfectorū pugnacissimo, sexcentisq; delectis militibus, quibus adiunxerat Florentinæ iuuentutis cohortem. Hac Alamanni Pacij tribuni vexillum sequebatur, in quo Monoceros erat depictus, eo Stephani edicto, vt nemo longam hastam deferret, ne iter habentibus, & in angusto pugnaturis, impedimento forent, quòd secures, & luto ferro breuiora hastilia, quæ partisiana appellantur, & pragrand

grandes enses, qui ambabus reguntur manibus ad eadem faciundam habiliora putaret, nec sclopettos magno vsui fore arbitraretur, ne à strepitu, quod esset præcipuè cauendum, hostes excitarēt. Stephanus, quum nemine hostium sentiente, præterueheretur planè vallis spatium, in Sarra Columna cohortes impetum fecit, quòd propter veteres simultates in Sarram interneciuo odio deferebatur, tanto autō silentio, vt quum ex itinere ad compitum, cui Quinque Viæ nomen est, excubias semisopitas extemplo oppressas iugulasset, ad Margaritæ Montichiæ templum adsisteretq; vbi Sarranorum cohortium statio erat, peruenerint, adortiq; improuiso multos trucidarint, egrè Smaragdo Parmense tribuno inexpectatum hostium impetum angustiore in loco sustinente. Is Sarra tum fortè ægri, & absentis vices gerebat, atque opem magnis clamoribus excitatis à proximo quoque præsidio petere, & suos magnoperè perturbatos conglobare contendebat. Acciderat autem magno casu, vt irrumpentibus per ædificia Etruscis, & multā cædem in obuios per tenebras edētibus, lanij cuiusdā castrensis stabulū reuulsis postibus aperiretur, indeq; magnus grex suū cum ingentiat q; horrisono grunnitu prosiliret, tam graui atque inexpectato impetu per crura militum perruadens, vt oppugnantiū cateruas perturbaret.

baret, et multo grauior pugnantiũ atq; opem implorantiũ strepitus augeretur, et ad ipsum Aurantij imperatoris prætoriũ, & Germanorũ castra, tanti tumultus terror dissonus & incertus, cunctis ad arma conclamantibus, peruaderet, atq; accurrentiũ vndiq; auxiliorum accensæ faces, appropinquantisq; ipsius Aurantij funalia spectarentur, aliquãto hercle maturius, quam Stephanus crediderat. Nam hostes nequaquã ipsius inuadentis impetum, non ante sensuros putabat, quã duorũ tormentorũ geminatis bombis tessera his daretur, qui opportunè, post cõtractum certamen in auersos & ad Monticiam, vbi erat tumultus properãtes, erant erupturi: Quum ab ipsa sancti Georgij porta, vbi præparatæ erant Ioannis Taurini cohortes & à Catelina, Octauiani Segnorelli, Perusina essent subsidia, quæ erumpendi signum expectabant. Itaq; quũ ab omnibus partibus ad arma conclamaretur, Stephanus non temere veritus, ne sibi reditus præcideretur, vti antea constitutũ fuerat, magnicornus cantu receptui cecinit, multis quidem hostium interfectis, & nonnullis etiam equis in reditu captis. Deceptus vtiq; spatio temporis, nec parũ præpeditus à porcis, nullo accepto incommodo in vrbẽ rediit, non parua tanto ausu collecta apud ciues gratia, quũ ad non inanem victoriæ spem, si pari successu primis

mis initijs media respondissent, operam longè promptissimam ea nocte nauasse diceretur. Ab eo nocturnæ trepidationis periculo, singuli hostium duces, iubente Aurantio, nequaquam apertis in locis, sed nouis munitionibus circunductis, se aduersus nocturnos diurnosq; impetus diligentissimè consepserunt, sic vt in posterum audacissimæ gentis vim atq; solertiam, minimè contemnendã esse declararent. Præerat Emporio Franciscus Ferruccius Florentinus, nouæ militiæ laudem quærens, quòd Neapolitano bello apud Soderinum proquæstor fuisset, multumq; ideo apud Nigras cohortes versatus, reipub. sortem operã, vt inde claresceret, præstare cupiebat. Is Lastram oppidum, quod diximus firmo validũ muro, iusto tuendum præsidio ratus, quoniam magno vsui obsessæ vrbi ad suppetendos commeatus iudicaret, eò cum trecentis militibus tres centuriones Michaelem Angelum Paranium, Florentium Pistoriensem, & Octauianum Bertinorum è togata Gallia ea spe misit, vt eos continuò peramplæ tormentarij puluueris copia, & commeatu adiuturum promitteret. Sed centuriones oppidum vacuũ temere ingressi, confisiq; Ferruccij promissis, dum ea parant, quæ ad defensionem opus sint, hostes contra se aduentare cognoscunt. Aurantius nanque hisdem de causis, quòd id oppidum opportu-

num hosti fore prouidebat, expugnandumq; censebat, adid munus Rodoricum Ripaltum cum Hispanorum cohortibus è castris misit. Tum verò centuriones quos antea dixi, constanti animo Hispanos muro scalas apponentes multis vulneratis repellunt. Quare permotus incensusq; Ripalta, ab Aurantio postulat, vt sibi tormenta muralia submittantur. Nec ille petenti deest, mittunturq; cũ tormẽtis muralibus duo millia Germanorũ, quorum aduentu murus quatitur atq; perrũpitur. Germanisq; illac intrare contendunt, dis Hispani ad inferiorẽ oppidi partẽ scalis rursus murũ aggrederẽtur. Centuriones desiciẽte sulphureo pulvere, nulloq; cõmeatu adiuti à Ferruccio, vti fierant, animo perterrẽtur, nec intrantiũ hostiũ vim fortissimè sustinẽt, sicut abiectis fœdè armis, frustraq; salutẽ deprecantes, crudelissimè à Germanis trucidarentur. Ab Hispanis verò reliqui omnes, qui in inferiore erãt oppidi parte, paucis vulneratis, caperẽtur, & centuriones non iniqua sorte in Hispanos incidentes, dedentesq; se æquo militiæ iure ab his demum se centenis singulis aureis redimerent. Dum Lastra quateretur caperetúrque, iam perditis rebus supervenerunt auxilia, nã Otho Montacutus cum vexillis quatuor peditũ è Prato, & Georgius Sanctacrucius, & Amicus Arsula cũ equitibus vrbe emissi per

Signinum pontem se ostenderunt, in quos tantæ ab hoste impetus est factus, vt equites citata fuga continuò se eriperent eodem ponte, & pedites intento cursu euadentes ad Montelupum, nauicilis Arnum transire cogerentur. Amissa Lastra, Florentini, quòd, vti suprà diximus, Ramazottus cum valida montanorum agrestium manu ex Apœnino se demiserat, & Florentiola oppidulo, Scarpariaq; castello occupatis, prædatum diuersus suorũ manus emittebat, quæ se in Mugellanum agrum vsq; ad Vicum pagum, & illinc dextrorsum ad Barbarinum oppidum effuderant, & eos commeatus, qui inferri obsessæ vrbi possent, intercipiebant: vt tot malis aliqua ex parte obviam irent, Othoni Montacuto imperant, vt Prato copias educat, & operam det, vt quos nanciscí possit ex his agrestibus opprimat. Secreto etiam monetur, vt Trebiam villam Medicææ gentis, quæ est medio ferè itinere inter vrbem & Scarpariam intret, atq; ibi Mariã Saluiatum cum puero Cosmo filio comprehendat, quòd hæc Iacobi Saluiati esset filia, apud Pontificẽ summa authoritate vigentis, ideoq; obsses paterna fidei foret, & puer, vti populares dicebant, tyrannico sanguine progenitus tolleretur. Sed fatis, quæ consentiẽtibus astris puero Etruriæ imperiũ destinabant, & illa humani consilij malignitate præuerti non poterant,

ab eo facinore Othonem auerterunt, siue quòd suopte ingenio parcendũ puero iudicaret, quòd sub Ioanne patre nuper ordines duxisset, siue eam Villam Valido quorundam Veteranorũ, & eius Vicinæ magno agricolarum numero, quos Saluiatæ ibi aleret, falsò teneri didicisset. Trebia nequaquam adita, Otho sinistrorsum deflexit ad Barbarinum, vt ibi nonnullos ex hostibus, qui aliquantã pecoris prædam coegerant, improuisus opprimeret, facilè itaq; euenit. Vt eos profligaret, & prædam relinquere cogeret, atq; inde Pratum est reuersus. Sed nõ multò post Otho in speciem patratæ cædis in quendam ciuem Lutherij prætoris alumnum reus factus, re vera autem, quòd apud Trebiam, vti iussis erat, Saluiatam cum Cosmo filio comprehendere noluisset, & illi opportunè ad Scarpariam oppidum refugissent, tacitæ pœnæ loco captus tortusq; est, & inde in tetrũ carcerem coniectus, quòd octouiralis magistratus inuidiosum fore prospiceret, si de viro forti nequaquam euulgatæ suspitionis crimine circumuento, capitale supplicium sumeretur. Eodem hyemis initio Pyrrhus Stipicianis cum suis cohortibus ad soluendam obsidionem Peccioli oppidi in agrum Pisanum ab Aurantio missum, cum Florentinis copijs bis improsperè conflixit, semel ad turrem, quam diui Romani Vocant, & iterum ad Martis pagum,

gum, qui est inter Palaiam Vicum atq; Montopolim. Descenderat è Calphurnianis saltibus in Etruriam Hercules Rangonus, ab Alfonso Atestino cum valida equitum & peditum manu missus, nam is Herculis ipsius Alfonsi principis filij vices gerebat, quem paulò ante Florentini numerato stipendio conductum, eorum militia ducem summum appellarant. Verùm deterrente Cæsare, in Pontificis gratiam, ne filium mitteret Alfonsius, quum adolescens Hercules toto eo belli munere subtraheretur, quin copias mitteret, tanquam acceptis iam stipendijs Florentinorum sacramento addictas, adduci non potuit. Itaq; Rangonus, Ceccoto Tosingo Florentinorum legato adducente, & ex præsidijs Pisanis augente eius copias, Cæsarem Foroliuiensem, cum ala Aurantianorum cataphractorum Peccioli hybernantem obsederunt, triplicique certamine fatigatum eò planè iam perpulerant, vt diu hostium vim sustinere non posse appareret, quum aduentu Pyrrhi relicta oppugnatione perterriti, ad Pontaderam se ita receperunt, vt postridie Pyrrhus excursione facta magnã maioris pecoris prædam abigeret, & sequentibus diebus dispositis insidijs, Ceccotus atque Rangonus eum satis patenti campo adepti, immissis cataphractorum turmis, facilè funderent, quãquam Pyrrhus indomito corporis

atq; animi vigore aliquandiu fortissimè restitisset. Capti sunt tres eius cohortium præfecti, quum multi ex eius pedestratu aut casi aut vulnerati fuissent sic tamen, vt nõ multos post dies à Pyrrho, qui apud castellum Florentinũ copias instaurarat, in eundem agrum redeunte, è victoribus Hercules cognomento Brasichella Pisanis sanguinus, egregiè fortis, fusa eius cohorte apud vicum Furculas interficeretur. Secundo verò prælio (vt diximus) maiore aliquanto accepto incommodo, quũ ad Montopclim se recipere posse credidisset, eo euẽtu profligatus est, vt quũ Michael Montopolitanus, qui rursus oppidanos à Florentinis rebellãtes ad fidem redegerat, è clivo cũ armatis decurrisset Pyrrhus, qui pertinacissimè equestri prælio contenderat, in prærupidum fossam præceps propelleretur, vnde quũ ad salutem nullã sibi opem superesse cõspiceret, relicto suo, qui tenaci voragine hæserat, atq; alieno repẽtè conscenso equo, fugæ se eripuit, quo casu Pallotta Perusinus, & Bartholomæus Spiriteus, nonnulliq; alij clari nominis præfecti, in potestatẽ Raugeni deuenerunt. Nec multò post sub ipsum brumæ exitum, magno luctu occupata est ciuitas, quòd duos inclyta virtutis duces vno hostilis tormenti ictu amisisset. Nam quum in horti munitione, quam iuxta cœnobium dni Miniati ligneis substructionibus erectam fuisse diximus

diximus, Marius Vrsinus, & Georgius Sanctacrucius speculabundi præfectarent, è Giræ monte emissũ colubrinæ, quæ lateritiam columnam perfregerat, interfecti sunt: quorum mortem eo lugubrius luxit populus, quòd eodem ictu accumulatis funeribus interijsset Auerranus Petrinius, Etruscæ iuuẽtutis formosissimus. Exeũte anno, qui erat trigesimus à partu Virginis supra mille et quingẽtos, Carducius dictatura se abdicat, quòd is honos promulgata lege prorogari nõ poterat, & successõri calẽ. Ianuarijs esset intũdus, scilicet vt tãtæ dignitatis latius dispensata, proposit aq; ex æquo a pluribus peteretur. Suffectus ei est Raphael Hieronymus, quem è legatione Cæsaris reeuntem electatis hostium viribus, senatum in pristina spe tuendæ libertatis, sustinendiq; belli prolixè confirmasse diximus. Hic non singulari tantùm popularium studio adiutus est, sed mirifica etiam optimatium suffragatione, & præclaro assensu eorum ciuium, qui Mediceo nomini addicti, honestam pacem potius quàm asperum, & difficile bellum probarent. Existimabant enim plerig; ciues Raphaelem nequaquam tanta duritie acerbitateque qua dudum Carduccius se totum à cogitatione pacis subduxisset, magistratum gesturum, quòd multis affinitatum necessitudinibus patritio ordini coniunctus, publicum bonum popula-

rium

rium factioni præferre velle crederetur. Sed eum usque adeò noua summæ potestatis insignia spe clarioris famæ inflauerant, depraua-rantq; eius animum quorundam amicorum malignæ cohortationes, ut facilè omnium rerum, quæ publicam salutem respicerent, obliuisceretur, & summum decus in obstinatione gerendi belli reponeret: exitioso quidem consilio, cùm sibi, ut euenit, tum etiam nonnullis alijs, qui propter insanam peruicaciam abhorrentes a pace, dignas postea improbitatis pœnas dederunt. Sed dictator ut declinaret inuidiam, importuni consilij fuit rationes honestissimis sententijs atque sermonibus contegebat, eoq; simulantius, quòd dudum apud Bononiā singulari cum laude Cæsaris, Franciscum Sfortiam Mediolani principem restitutum, Venetosq; item, qui Rauennam & Ceruiam Pontifici redderent, à Cæsare ex amplissima eorū legatione in amicitiam receptos didicerant. Alfonsum quoque Ateſtinum Ferrarienſium principem, qui sub fide publica Bononiam venisset, totam ipsius de Regio Mutinaq; urbibus controuersiam ad arbitrium Cæsaris disceptatoris relaturum. Pontificem verò dexteritate ingenij & longa prudentia in rem suā opportunè præditum, cuncta quæ vellet ab ipso Cæsare impetraturum. Propterea Germanos Apœninum transisse, tyrones Hispanos descendere in

dere in Etruriam, & tormenta maiora per Apœninū superatis asperrimis saltibus transuehi ad mœnia à duplici loco feriēda aperiendaq;, post quàm nihil adhuc Aurantius è sua parte murum maioribus tormentis pertentasset. His aduersis famæ rumoribus, ciues in vniuersum admonebantur, ut maturè æstimatis periculis, æquam pacem æspero bello facilè præferrent, ob id iam in coronis detestabantur id Carduccij consilium, quo delectis legatis, atque his diu retentis, & postremò sine mandatis publici decreti missis Pontificem non impudenter modò elusissent, sed noua contumelia plurimū exacerbassent. Proinde aduenisse tempus credere, quo legati mitti ad Pontificē deberent, quando Cæsar à nemine quàm ab ipso Clemente exorari posse crederetur, neq; ob id, illo piaculo ciuitas offendi posset, si à sacrorum principe ciueq;, quem alias non inhumanum, sed beneficum experti essent, supplices iustam peterent pacem, eoq; demissius, quòd eam necessitate potius quàm voluntate expressam peti appareret, ab his, qui diuersis obsessi castris, & à Gallis deserti, neq; à Venetis adiuti, nullā, præterquàm à Dijs immortalibus, opem exectarēt. Quo fremitu populi adductus Raphael, quanquam cuncta eius consilia ad bellū essent destinata, ut certius ciuium animos exploraret, Nonis Ianuarijs vniuersum concilium indixit.

dixit, vt liberis suffragijs decerneretur, mittendi ne essent legati ad Pontificem. Coiuere mille & sexcenti homines, atq; in suffragium iuere, vsque adeò in id decretum propensis animis, vt mille supra trecentas atri coloris fabas numerarēt, eorum scilicet qui probassent, reliquorum verò albæ à bonis ciuibus irriderentur. Quo aduerso inopinatóque suffragiorum euentu fractus atque deceptus Raphael astutæ præclaréque nefariæ præuaricatione vsus, decretum fieri vetuit, reiecitq; ad peculiare consilium octoginta virorum quæ id consilium explorandæ tantùm voluntatis, non conficiendi decreti causa vocatum, impudentissimè decepta republica iudicarunt. Hac actione dictator præclarè extitit populuris, & sicuti apud bonos ciues intempestiuæ atque leuissimæ improbitatis notam subijt, ita apud populares, quos vulgò ab insanabili pertinacia rabidos vocabant, mirè laudatus est. Alteram quoque minoris inuidiæ labem suscepit, qui postulanti Malatestæ sceptrum & vexillum supremi militaris imperij insignia atque ornamenta, altera eius inchoati magistratus actione concessisset, cōtradicentibus multis, qui supremi imperij potestatē, nondum planè explorato eius hominis ingenio, aut cautè, aut nunquā tribuendā censerent. Multa nanq; in ea republica, quæ tota populuris euaserat, rapidè &

dè & inconsultè fiebāt, qua sæuitiæ labes præcipuè apud rabidos & turbidos eius factionis, tāquā necessaria probabatur nā capitale erat obloquentibus de eo Reipsstatu, aut quoquo modo complectendæ pacis mentionem inducentibus, siquidē vel leuissima suspicione rei maiestatis facti festinato supplicio plectebantur. In his fuere Laurentius Soderinus, quòd literas accepisset à Bausto Valorio, qui in castris pro legato apud Aurantium Pontificis operam præstabat. Iniecto siquidē laqueo, è fenestræ latronū more præcipitatus est, & Ficinus Marsilij clarissimi philosophi nepos, quòd Cosmū Medicem, à quo vrbs admirādis ædificijs templisq; præcipuè esset adornata, iustum patriæ patrix titulum meruisse dixisset, abscissis à carnifice ceruicibus, stulti proloquij, quanquā non inepti pœnas dedit. Carolus quoq; Cocchius, quòd in corona dixisset æquum esse, vt in libera ciuitate cuncta belli & pacis consilia per omnes ciuium ordines dispensarentur, vt vno consensu ciuitatem liberam & libertatis iura tuentem sentirent & agnoscerent, intempestiua sententia, quanquam non iniqua, capitali supplicio pœnam subijt: sic vt nec cucullato Franciscani ordinis, cui Rigogolo cognomen fuit, pepercerint, quòd Pontificem alloquutus fuisset, imposito maiestatis crimine, quasi tormenta apud dini Miniati templum

colloc

collocata, clauis per spiramenta inditis, configere cogitasset, in ipsa cuculla miser sacerdos decollatus est. Quin etiã ab intemperanti odio in Mediceos, quod ciuitati maximè pudendũ, & hostibus pariter ridendũ fuit, Antonium Carasullam à vetere insania non insulsum morionem, Medicea domus familiarem, in eu carcerem, qui Stinctus appellatur, duci iusserunt, quòd perambulando vrbem Sociferandóque comitantibus, & arridentibus pueris, decuriones & ædiles dixisset nunquam rectè annonam curaturos, nisi Mediceorum institutæ ad memoriam præsentemq; vsum reuocarent, qui vili pretio commeatum omnis generis coemendum in omnibus foris proponere consueuissent. Sed Carasulla, quum traheretur à lictoribus subinde dixerat (quod diuturnæ ei calamitati fuit) neque vos apparitores, qui me inuitum perducitis propterea minoris pretij emptã, quam sesqui aureo niuei panis heminã comedetis. Nam tũ maximè annona creuerat, & magna obsoniorum in vrbe penuria esse coperat, ita vt milites opimi alias conuictus consuetudinẽ, vt stipendijs parcerẽt, ad Etruscã frugalitatẽ redigere cogerentur. Iam sese aperuerat annus & vere nouo vtrinque milites segnitiẽ torpida hyeme cõceptã, ita corporibus atq; animis discutiebant, vt minutis prælijs quotidie certaretur, & Florẽtini nihil inter

intermittebant, quin circa vrbẽ institutas munitiones perficerent. Nam sicuti suburbana ædificia, quæ tot seculis condita à singulis portis extendebantur, miserabili consilio funditus euerterant, antemurales pro portis aggeres extruebant, tormentis atq; præsidijs impositis, ne alitunde hostis ex propinquo tormenta subuecturus atque oppugnaturus sese insinuaret. Formentorum nanq; omnem apparatum, qui per Apœnini inga prealtúsque crepidines asperrimarum vallium adiiebatur, in plana ad Campum munitum oppidulum peruenerant. Huic præsidio erat Petrus Velleius cum septem tyronum Hispanorum cohortibus. Is totus apparatus, qui genere, magnitudine q; et numero erat admirabilis, atque ideo hostibus metuendus, magno fuborum labore reficiebatur, qui inquisimo itinere luxatis curribus et perfractis rotis, in præsens vsui esse non poterat. Quibus de rebus fiebat, vt Florentini Pratum oppidum vltro desererent, & ad famam tanti tormẽtorum apparatus magnus agrestium & nouorum militum numerus ad Cæsariana castra conflueret, spe prædæ siquidem allecti non dubitabant, quin admotis tormentis vrbs caperetur, & singulari tot gentium obsidentium lætitia dirriperetur. Ob eandem causam Hispanorum vexilla septem, quæ Cæsarem è Bononia in Germaniam præfectionem paran

tem sequi noluissent, propterea que iussu ipsius Cæsaris priuati stipendijs & cum ignominia à Vastio dimissi fuissent, sub Fesulano monte consederãt, ita occupatis pulcherrimarum villarum ædificijs se permunierant, vt vndique prædatum irent, & vrbe egredi excurrereque ausis è superioribus locis insidiarentur, sic vt nemo lignatum prodire auderet sine certo militari præsidio, vt tum accidit, quum lignatoribus Cruciana porta egressis, quæ tutiorem, quòd esset maximè auersa hostibus, egressum habere videbatur, eruenta conserendæ pugnæ occasio præbita est. Ibatur namq; secundum Arni ripas, & lauorsum in eos campos, qui à cœnobio sancti Saluij plana vocantur, vbi ante ducentos annos Henricum Cæsarem Florentinos oppugnãtem castra posuisse memorabant. Exeuntium autem peculiare munus erat succedere passim virgulta, atq; his fascis conficerent, quibus in construendis aggeribus ad continendas glebas intermiscendo & coæquando sterrentur, simulq; iumenta quædam maioris pecoris, quæ ab agricolis in vrbem coacta fuerãt, in herbidos campos pastum educerent. Secundum hos binæ ternæq; militum cohortes præsidio ibant, ex militibus, qui ea de causa in vrbe certis locis erant collocati, vt extraordinario munere, vbi opus foret, operam nauarent. Eo die id munus obuenit Anguillotto Pisano & Franci-

Francisco Bardo Florẽtino. Pisanus propterea quòd à Roscio sub quo ordines ducebat, paulò ante è castris, quod nunquã anteà acciderat, in vrbẽ transfugisset, ipsi Roscio ita erat inuisus, vt Aurãtij iudicio turpissima necis exitio destinaretur. Forte autẽ exeuntibus portæ cohortibus eius vexillum conspectum notatumq; est à Cæsarianis, ipsoq; præcipuè Roscio, qui tras Arnum è collibus cuncta prospiciebãt. Nec mora Roscius Aurantium adit, occasionem opprimendi Anguilloti adesse docet si Arnum trajiciat, & frequenti atq; expedito equitatu vagos hostes patentibus campis adoriatur. Probat consilium Aurantius, accersitoq; Ferdinando Gonzaga, et subsequentibus multis ducibus atq; præfectis, intra tertium lapidem contra Rapazanum pagum, reperto vado trajicit, bipartito hostes inuadi imperat. Ipse ante alios galeatus patenti strata via defertur versus portam, reliqua manus ad dextram latiore flexu concitata hostes circundat. Ita q; præciso fere in vrbem reditu, Anguillottus frustra compositio suorum globo præliatur, equites vndique consurgunt, peditatumq; eius sero fugam meditantem consequuntur prosternunt, latèque trucidant. Ipse ingenti ictu claua ferrea caput percussus, quum Ferdinando Vitello Neapolitano equitum præfecto se dederet, nec vti agnitus ab eo reciperetur, quòd Vitellus eũ ad sub-

eundam perfidiæ pœnam carnifici tradere infame sibi fore testaretur: Ergo, inquit Anguillottus, patere, & hoc à te impetrem Viro fortiscilicet & tua potius quam carnificis manu concidam, atque ita Vir alioqui strenuus, quodam liberali misericordiæ genere, iugulatus à Vitello occubuit. Eius verò signifer Cicchus Buteius, qui vnà transfugerat, quum iam deditus et captus esset, munu ipsius irati Roscij per ilia transfossus interijt. In Franciscum verò Bardum humanius res gesta est, nam ipse cum sua cohorte penè tota captus, & persoluto redemptionis pretio dimissus est, quum milites armis tantùm exuerentur. In eo impetu equestris procellæ strepitu, Ioannes Vincius, portæ custodiæ cum sua cohorte præpositus, quòd esset Anguillotto familiaritate coniunctus, opè ei ferendam existimauit, desertaque porta ad Saluianæ vsque plateæ progressus est, spectator editæ cædis potius, quam non segnis circumuentis & oppressis adiutor, magno quidem salutis suæ periculo, quoniam Malatestæ è monte præsidij commissi tumultum cernens, grauioremque impetum inde facturos hostes putans, cum Zanobio Bartholino ad Crucianam portam aduolarat, quam vbi desertam custodia reperit, magno iræ impetu accensus inuectusque in Vincij temeritatem, laqueum parauit, quo rediens Vincius in porta suspenderetur. Sed is quum iam

iam rediret, de aduentu Malatestæ atq; eius iracundiæ admonitus, opportunè secessit in Salusianum templum consensaq; sacra turre, tandiu delituit, donec Malatestæ ira deferueret. Ignominiæ tamen propter admissum summi periculi facinus, adempta ei est portæ custodia. Caterum Aurantius Anguillotti & signiferi eius cæde satis expiatum eius transfugium ratus, nihil se vlterius promouit, atq; eodem amnis vado in castra reuersus est. Nec multis inde diebus extra Pratensem portam equestri prælio certatum est, quum forte Aurantius & Vastius explorandi loci causa cum ala equitum amnem tranassent, apud eum vicum qui Lignarius appellatur, melopeponum fertilitate insignem. Non enim longè ab eo vado munitio quædam perducebatur ad Germanorum castra, quæ non multù inde aberant. Ab ea nanque parte mœnia latè speculati, tanquam infirmiora expugnationi destinabant, ad eósque acciti propter eandem causam Petrus Velleius ipseq; Ludouicus Lodronius, quem in loco Felicis Vitembergi discedentis, Cæsar Germanis præfecerat. Hi omnes quum explicatis & discurrentibus turmis è summo portæ propugnaculo extra tormenti ictum prospicerentur, atque ad eam portam Malatestæ decurrisset, ipsius iussu Iacobus Bichius Senensis, quem Neapolitano bello inclaruisse diximus, in procursan

cursantes Hispanos repentinus erupit, nobilisque à solis equitibus pugna edita est, nam sapius instaurato impetu, cum utrinq; crescentibus auxilijs noua turma pugnam capesserēt, adeò acriter dimicatum est, ut unus ante alios Bichius albicante crista conspicuus promptissimè dimicans, uel ab hostibus impensè laudaretur. Eo ardentis pugnæ spectaculo ipsos Aurantium & Vastium in certamen allectos atque pertractos ferunt, quòd Vastij hasta corollu serica ad cuspidem redimita, illius uero pileus è purpureo serico uilloso turbinatus, à pleriſque noscerentur. Sed eum pugna habuit euentum, ut Bichius pressus multitudine incumbentium hostium, maturè nec indecenter se recipere cogeretur, receptusq; intra portam, quum galeam aperuisset, honestissimis accumulatis laudibus à Malatesta commendaretur. Eo die nunquam ex cōdicto, tormenta quæ erant trans Arnum Oliuetano in podio collocata, & quæ erant in superiore porta propugnaculo, cessauerunt, ut equitum uirtus latius et tutius utrinq; spectaretur. Sed Bichius non diu ea laude honoreq; lætatus est, quum intra paucos dies præclara opera cupiditate incensus, ab eadem prolapsus esset porta, uel negante Malatesta, ut ad eum, quam diximus, è Germanorum castris ad Arnum usque perductam munitionem excurreret, scilicet, ut aliquid eo

Eadó commeatum in maiora Aurantij castra deuehentes subito incursu interciperentur. In eum siquidem equo albo uectum, hostes ab Oliuetano aggere falconem direxerunt et contorserunt, cuius pila dextrū ei crus abripuit perfosso & cadente equo, sic ut semianimem nonnulli equitum in pedes desilientes sublatum intra portam cum multo luctu referrent, neque eo mortuo, quisquam equitū æquè fortem operam postea Reipa. præstasse uisus est. Interim Florentini tot fortissimis intra paucos dies ducibus infeliciter amissis, crescentibusq; indies hostium uiribus, ac undiq; desperatis auxilijs grauiter affecti, quòd difficiliora sensim cuncta sibi obuentura prospicerēt, ita suspensis animis honesta pacis nomen complecti cœpebantur, ut iterum de mittendis legatis mentionem inducerent. Rebantur siquidem ipso Cæsare nondum Bononia profecto, æquam à Pontifice pacem se facilè impetraturos, quoniam Clementis animus uel tot exulceratus ipsorum contumelijs, cohortante Cæsare, non inani Christiana pietatis uerecundia, & ciuili quodam pudore leniri expugnariq; posse uideretur. Sed ad eam rem totiès frustrà actitatam, quum quisque grauissimus senator facilè recurreret, nemo tamen quid in arcano animi sentiret, in consilio publico atq; ipsa curia liberè proloqui audebat, propterea quòd plerisq; ciues priuato

adductí periculo, publicam salutem potius negligendam, quàm odium irritatis popularibus periculosa cum laude parandum iudicarent, tanto consensu, vt quum mussarent omnes, libertas ipsa non media in vrbe, qua hoc inani titulo gauderet, sed in senatu maximè quareretur. Verùm non defuit in rep. honestissimus iuuenis, qui eam animorum consternationem malo publico inter ciues obortam grauí facundia detestaretur, atq; discuteret. Is fuit Philippus Melior, qui probo ore, vt sibi licebat, quòd esset suæ tribus collegij signifer, è suggestu apud senatum frequentissimum in hanc sententiam loquutus est, Sæpenumero audiui, ciues optimi, ab his natu maioribus, qui authoritate prudentiæ in hac ciuitate maximè valuerunt, nihil in ipso imminentis periculi limine perniciosius esse longa deliberatione, qua exiguo temporis spatio circumscriptam rectè sentiendi atq; opportunè agendi facultatem eripiat. Quandoquidem magno sit vsui celeriter explicare & terminare consilia, quum necessitas vrget, et in medio discrimine salutis, vltima remedia deposcit. Propterea sicuti præclarè video animaduertoq; extrema nobis consilia incumbunt, vel ob id tractatu atq; explicatu duriora, quòd nullum mox, vbi semel statueris, salubrem habeant receptum. Vnde afflictis & difficillimis rebus noua subsidia quæran-

tur. Alia nanq; atq; alia in consulendo disputandi et decernendi ratione vti oportet, quum occasionum et temporum singula momenta sapientes facilè respiciant. Nam sicuti initia suscipiendarum & gerendarum rerum prolixè differendo, maturè apteq; expendere, & medhe astrictius perfinire decet: ita demum vltima expeditis sententijs claudere, nec vllam, quum maturè facto opus sit, aggrediendæ rei occasionem elabi sinere saluberrimum existimatur. Disputatur hodie diuerso consultantium studio, num è Rep. videri possit, si in hoc asperrimarum rerum statu positi, legationem ad Pontificem decernatis, qua, si optare liceat, non iniqua conditione ea petatur pax, quam ab initio Cæsar negarit, nisi in eam Pontifex consentiret. Primum omnium non video, cur decernere mittereq; legatos insalubre sit, vel quod ad dignitatem pertineat, parum decorum quandoquidem nihil melius, nihilque honestius esse possit huic ciuitati, quàm animos sicuti bello inuictos, ita à communi concordia non abhorrentes ostendisse. Optandum enim est, vt hi qui nos pertinaces potius quàm fortes, importunaq; insania vela inflantes appellant, non semper obstinatè pertinaces & imprudentes existiment, qui à bellicosissimis gentium prope omnium copijs diu obsessi, prælioque his valde, qua diuturnum offert bellum, sæua

armorum pati incommoda, quàm de concordia cogitare malimus. Nã præterquam quòd mittere legatos, & de concordia aquis conditionibus agere minimè pudendum est, quum ad suprema fortuna potentiaq; principes mittantur, etiam nobis non erit inutile, cum Pontificis, tum Cæsaris intimos sensus pertentasse, & quod plerunque sic quentibus colloquijs euenit, ad abdita eorum cõsilia exploratius penetrasse: quandoquidem de compositione aquis conditionibus agendo, nihil de nostro iure depereat, quum nullam omnino pacem ab his simus accepturi, nisi ea tuta honestaq; sit, et integra libertatis iura disertissimè nobis reseruet. Hoc enim legati, qui non sint grauissimarum rerum imperiti, sed fideles probique senatores, sicuti vos diligentissimè lectu[illegible] arbitramur, ante omnia cauebunt. Neq; putarim, nisi me studium & amor erga patrium fallant, Clementẽ tam auersum à patriæ pietate, Christianisq; legibus fore, vt quum iam aggrimè tot sumptuum pondera sustineat, nihil nobis de iracundia sua vetere tristique seueritate remittere nolit. Quod si ille etiam atque etiam obduret, nec Cæsar ipse, quum in Germaniam cogitet, procliui ad concordiam ingenio, sicuti suspicari licet, hoc bello se explicare velit, nec proinde ad pacem inclinet, nos certè hoc supremo legationis officio dignitati famaq; nostræ satis

satis fecerimus, atque eò alacriter & fortiter, quò nostra pietas & fortuna vrbis ducat, ire contendemus, sic tamen, vt extremos belli casus vltrò minimè subeundos existimem, si pius erga patriam, nec omnino insanus ciuis esse velim. Nihil enim magis miserum & calamitosum nobis esse potest, quàm quorundam consilium, qui nefaria crudelitate potius Saguntinorum & Campanorum exemplo, quum salutis suæ impiè diffidant, vna secum vniuersam ciuitatẽ miserabili exitu interire, quàm quoquomodo incolumem seruare percupiunt. Secus aliquando auorum nostrorum memoria, Vbertus Farinata, vel hoc vno tantùm generoso animi decreto ciuis æternis laudibus attollendus, qui vinci exilioque mulctari, quàm ad excidium florentissimæ patriæ cum factiosis nefarijsque ciuibus conspirare maluerit. Verorante Philippo, non dubitauere patres, quod eius oratio tanquam à moderato, nec harum vel illarum partium ciue profecta videbatur, quin legatos omnino mittendos decernerent. Sed ea prapedientium malignitas fuit, vt non hi, quos negotij magnitudo flagitabat, sed leuissimæ alioqui authoritatis, verum egregiè populares homines legerentur. Hi fuere Aloysius Soderinus, qui nihil vsque adeò graui negotio dignum ab vsu rerum prater familiæ nomen præferebat, &

Andreo

Andreolus Nicolinus assiduus & diligens potius mercator, quàm senator, atque item Robertus Boncius, quem iampridem Thomæ Soderini soceri propinquitas quo minus enixè concordiæ studeret, maximè suspectum faciebat. Hos vbi Bononiam peruenerunt, Pontifex, quòd nec satis dignitatis, nec satis industriæ syncerique voluntatis & fidei in his conspiceretur, adeò contempsit, vt effusè rideret, quòd ad se pro eximijs senatoribus mercatores, nec primæ quidem classis è Florentia misissent. Nam quod ad eleuandam legationis existimationem maximè pertinuit, apparitores ministriq; lectigalium Bononiensium, in ipsorum sarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas, magnam vim, mercimonij causa, vt portorium subterfugerent, deprehenderant. Quæ calliditas inepta negotio longè grauissimo, tanquam inuoluta tenuissimi lucri fordibus, eò validius ridenda fuit, quòd nihil certi ad conficiendam pacem, prolatis mandatis attulissent: atque ita Clemens, ridente etiam Cæsare, mercatorum auaritiam atq; imperitiam in maximarum rerũ consilio periculoq; ad exiguã lucri spẽ reuocatã, stomachatus, sic pertinaciã insaniæ proximam exprobraret, vt inde non obscurè explosi dimitterentur. Vbi verò domum sunt reuersi, quòd nihil omnino pepigissent, tanquam patriæ

triæ dignitatis egregiè memores atq; cõstantes ab ipsa factiosorũ multitudine laudati celebratiq; sunt gementibus bonis ciuibus, qui desperata concordia, nullum nisi maximè funestum belli atque obsidionis exitum expectabant. Nec multos post dies, ab insigni generosoq; certamine Florentinorum quatuor iuuenum inexpectata celebritatis spectaculum est editum, cum Ludouicus Martellius inter ciues nobilitate insignis, ac corporis & animi vigore florentissimus, Ioannem Bandinũ pari virium ac ingenij robore præstantem, quod in castris apud hostes esset ex prouocatorio libello, hostem communis patriæ compellasset, propterea q; eum ad singulare certamen deuocasset in arenam, vt ibi Marte iudice, vter ipsorum honestiorem causam tueretur, ostenderet. Conditionem non abnuit Bandinus, dixitq; ei, si Martellius sibi ascisceret in eã dimicationẽ socium ei se parem hisdem instructum armis, in stadium proditurũ, atq; ita Martellius Danielẽ Castellienſi præsorem ex totz iuuentute virum delegit, cui à Bandino oppositus est Albertinus Aldobrandus, vix dum pubescens, immoderati spiritus iuuenis. Aurãtius iuxta castra locũ eis sub publica fide fuxibus circumseptũ, triumq; gentiũ præsidio stallatũ certantibus præbuit, quum pari numero è Germanis, Hispanisq; & Italis delectis

lectæ cohortes pugnantes simul & spectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuere singulis singuli militares gladij, neq; aliud tegumentū præter vnū in dextris ex lorica ferrea chirotheca. Dantes, cui forte ducta par Aldobrandus obuenerat, quanquā circa brachij dextri neruos, primo congressu graue vulnus accepisset, hostem in se insano procursu ruentem, ea impauidi animi firmitate sustinuit, vt ambabus manibus gladiū prætendens in os incumbentis insereret, eumq; euomentem cum sanguine animam extemplo conficeret. Contrario euentu pugnabat Bandinus, nam alternante fortuna, Martellio supra oculum vulnus influxerat, admirabilique iudicio et gladiatoriæ artis peritia, hostem eludens, adacto supra costas gladij mucrone, victum & deditum fateri coegerat. Sed Martellium relatū intra vrbē, vsq; adeò grauis ex aduersa sorte certaminis occupauit dolor, vt angore potius animi, quā vulnerum dolore, mortē accersisse crederetur. Id certamē sicuti eximiam virilis constantiæ laudē Bandino peperit, ita Danti par fere decus attulisse videbatur, quanquā ille detractis sibijs, planeq; integer & omnis expers vulneris gloriosæ victoriæ suæ trophæum præferret, & spectatores præclarum totius belli omen acciperent quòd victis pariter atque victoribus non omnino latum finem

nem futurum arbitrarentur. Ab hoc alterna cædis singulari certamine. Florentini varios in coronis serere sermones, accendi tamen ferè omnes ad sustinendū gerendamq; belli, tanta obloquendi libertate, vt non milites modò, sed ducem quoque ipsum Malatestam nimia longa atq; importuna cessationis comitio perstringerēt. Non enim mœnia vigilanter tantùm defendenda videri, sed audacibus consilijs erumpendo Lateßendoque aliquam retundendi hostis, in spem vniuersæ victoriæ, occasionem aperiendā esse dictitabant. Viros quippe fortes & pro libertate pugnantes, nullo vel difficilium rerum periculo terreri debere, quominus fortiter audeāt & tentata sæpe dubij Martis Fortuna non cōstantiæ modò sed vnicæ virtutis famā ardentißimè defendendam demonstrent. Non eandem siquidem esse obsessorum & obsidentium conditionem: obsessa nanque vrbis opes ab immodicis stipendiorum sumptibus sensim atteri, absumi interim cōmeatus, & spes omnium infirmari, quum ex aduerso obsidentibus nihil earum rerū omnimo sit defuturum. Qua spe fretis hostes, nec admouere tormenta audeant, nec murum vsquam tentare velint, quòd perpetuas promptißimorum militum & ciuium cohortes fulgentibus per muri coronā galeis atque thoracibus perpetua in statione consticiant. Proinde

inde ad existimationem cùm externi præsidij tum Vrbana militia tuendam, omnino conandum esse aliquid valida eruptione, ne militum torpescant manus studiaq; populi langueſcant, & hostes cum viris longe fortissimis aquissima causæ nomen tuentibus perpetuò sedimicaturos intelligant. His sermonibus non obscurè offendebantur militum animi, vniuersum totius suæ rei censum ad vnum decus bellicum referre soliti. Sed multo magis hæc euulgata, intemperanter Malatestè nomen lædebant, ita vt non omnino deuorandæ existimaret, palamq; diceret, nequaquam ea ratione, qua imperitus populus censeret, sed ea qua probus nec incautus imperator vteretur, Vrbis salutem defendendam, atque ita vociferando intempestiuas populi voces redargueret. Sed idem decurionum reliquorūq; magistratuum erat sensus, præcipuaque omnium experiendarū virium voluntas, quāquam dux prudens frustra improbando damnandoq;, diutius sustinere nō posset postulantibus militibus, vt id impetrari pateretur, eruptione certare constituit seuerè proloquutus ad id se inuitam trahi: quando hostium munitiones non modò non expugnari, sed nec sine maximo detrimento tentari posse testaretur. Existimabat Malatesta nequaquam absurdis rationibus impetū ad castra Hispanorum

norum esse faciundum, vt acerrimæ & pugnacissimæ gentis vim experiretur, opinionēq; de eorum virtute latè conceptam, aliquo illato detrimento, apud Italicos milites eleuaret, quod accidere posse rebatur, si tribus vno tempore prælijs trina eruptione facta, eos munitione loci confisos, & nihil tale timentes adoriretur. Neque enim antea Hispani superioribus prælijs ad Giramontem factis, sese immiscuerant, nisi per extraordinarios excurrentium manipulos quoniam diuersissima in parte essent constituti, porta nanq; diui Georgij, quæ est in excelso collis supercilio, iuxta editissimum aggerem, quem Amicus Venafranus suarum cohortium peculiari præsidio tuebatur. Hispani longo tractu occupatis villarum ædificijs vsque ad Oliuetani cœnobij montem extendebantur, despiciebantq; Vrbem è perpetuo colle, eoq; præsertim, cui Scopeto nomen est, & diui Donati templum habet, adeò Catelinæ portæ ex propinquo imminentes, vt muri corona colli subiecta, non plus quàm ad teli iactum distet sic vt perpetuis munitionibus obsessa Romana via à Catelina porta, & Pisana item via, quæ initium habet ab ipsa Fridiana, quæ occidentalis est, cuncta complecterentur, ipsis porrò Hispanis in tergo ad meridiem Germanorum castra apud Aurantij prætorium essent & Italica cohortes ad

diuersissimam ab Oriente diui Nicolai portam iuxta Arnum perpetuis custodijs obtinerent. Caterùm Venasranus, qui à suo latere Hispanos aggredi distineret, iubebatur, impositio muneri adesse non potuit: quum fortè eo die à Stephano Columna propter contemptum superbis verbis sui nominis decus infra Minnati templum fuisset interfectus. Neq; enim signifero sui præfecti inopinata cade perterrito, ac animus fuit inuadendi hostis, qui in Venasrano excellens proculdubio & maximè efficax futurus sperabatur. Sed Malatesta nihil eo casu permotus, Cutelinæ portæ Octauio, & Signorello cum inter Perusinos præfectos, nobilitate virtuteq; facilè principem erumpere iubet. Hunc consequebantur pugnacissimi minores duces, Binus Mancinus, Blasius Stella, Raphael Orbetanus, Prosper Cornea, Margaritha Piccininus, Caccia Alcuitus, Hadrianus Candi, & Paulus Corsus, qui intrepidè strata via, inter procellam glandium dextrorsus euadentes, in collem ex Hispanis terribile maximeq; funestum certamen contraxerunt: eodemq; puncto temporis à Fridiana porta erupere cum suis cohortibus, Bartholomæus Montanus & Rodulphus Assisius, qui in lanam flexi ab Oliuetano monte cum Hispanis à tergo sese ostendentes, ingenti ausu impressionéque nouam iniere pugnam, sic vt Hispa-

Hispani & in fronte sustinere hostem, & in tergo ancipite periculo dimicare cogerentur. Sed his magno fuit præsidio Baracanis Cantabri mira constantia, qui eo die solertissimi ducis, & fortissimi militis munia implebat. Nam cohortatus est suos vt impigrè consisterent, inueteratæq; virtutis ante partum decies aduersus collectitios milites, & humanam turbam tueri vellent. Itaque cæruleis undique vexillis Hispanis & subpectis egregiè rem gerentibus, aduersariorum impetum constantissimè sustinebant, tantusque erat subpectorum strepitus, & tantus columbinus glandium stridor, vt multi undiq; cadrerent, & longè promptissimi qui intrepidè pugnam cæpissent, vulnerarentur. Adeum ardentis prælij tumultum exercitus imperator Auxantius, proximas Italicorum cohortes Andreæ Ceselij laborantibus Hispanis subsidio mittit, tormenta produci dissipatoque in hostes iubet, & Germanicã phalangem in ipsa Romana via latiore area constituit. Ferdinandus quoque Gonzaga Icus armatæ equites inter Marignolæ pagi campos, & Scopetum montem induxit, ita vt amplissimi iustique prælij apparatus, & à castris & ab vrbe conspiceretur. Nec Malatesta quãquam infirmo atque imbecillo corpore, animo tamen audacissimus periculis indomito, & egregiè pro-

uido, laborantibus suis deerat, quum opportunè fessos & sauciatos reciperet, & nouis atque integris cohortibus pugnam sæpius instauraret, quando nulla ex parte Etrusci, vel in summa locorum iniquitate quicquam Hispanis de virtute concederent, donec Baracanes glande traiectus occubuit. Nam tum Etrusci veluti redintegrata victoria sese ardentius incubuerunt, sic tamen vt pari prope virtute Rodericus Ripalta, Macicaus, & Buccanigra mirificè resistentes. Etruscos sustinerent, & mox accedentibus Neapolitanis Castalij vexillis loco pellerent, & per deiectus montis submotos vrgendo deturbarent. Quibus suorum atque hostium casibus animaduersis Malatesta, quòd multi cecidissent, plurimique essent vulnerati receptui cecinit, atque ita nihil iam tormentorum muralium metu, persequentibus Hispanis prælium diremptum, quo nullum eo bello cruentius editum fuisse constat. Nam vtrinque quingenti fermè milites ex fortissimorum numero desiderati sunt, multi porrò vulnerati mortiferis glandibus. Ante alios autem Octauianus Signorellus, cum se recepisset ad portam & fessus longo prælio equum conscendere vellet, crassiore ictus glande occubuit, & secundum eum medio in certamine interfecti sunt, Eantuccius Corsius & Gabbonarius

Ferrar

Ferrariensis eximiæ fortitudinis cohortium præfecti, atque item Ludouicus Machiauellus, Nicolai Florentinæ historiæ scriptoris filius, cùm cohortis signum gestaret, Petrus de Pactius eximia nobilitatis ciuis. Septem quoque clari nominis centuriones grauiter vulnerati discesserunt. Apud Hispanos autem præter Baracanem ipsum, Cencius Neapolitanus Castaliæ cohortis præfectus, dum laborantibus suis opem ferret, interfectus est. Multi autem & in his duo signiferi mortiferis vulneribus affecti sunt. Malatesta in vrbem rediens, Octauiani mortem & totum eius cruentæ pugnæ detrimentum, eo animo vultúque ferebat, vt renidenti fronte obuios interrogaret, an cupiditati ipsorum inconsultè pugnam poscentium planè satisfactum putarent, postquam quantum posset loci iniquitas, & quantum veterani externique militis dextræ valerent, facto periculo didicissent. Tantum verò abfuit, vt hoc irrito aduersoque prorsus eruptionis conatu, vel ciuium vel militum animi perculsi, aut imminuti sint, vt constans opinio vulgaretur, Etruscos qui præstantissimis animis eruperant, excellentique virtute dimicarant, aut insignem victoriam relaturos, aut singulare detrimentum non Hispanis modò, sed reliquis etiam hostibus illaturos fuisse, si ab altera parte

sicuti fuerat constitutum Venafranæ cohortes cruentando parem operam præstitissent, nec subeuntium è reliquis duabus portis aperturum initio, felicem assensum Vna potius eorum iniquitas, quàm hostium virtus importunè retardasset. Quo animorum habita fiebat vt ciues neque præsidium studium ostendendo virtutis in præsidiario milite requirerent, neque in Malatesta efficacioris animi atque operæ officio desiderarent, quando illi qui pro dignitate Etruscis nominis dimicando cecidissent, decreto publico insitus exequiarum honos haberetur, & dux amplissimis honestaretur laudibus. Vel ob id præfectum, quòd certissima ratione vsus, ea quæ parum secundè cuenerant, rectè prouidendo præstitisset. Hac de causis quòd instantia ad certum diem stipendia, nisi ingratè viris fortibus & de Republica bene meritis pretrahi nequiret, dictator ab inopia ærarij, & quòdiam efficulentarum rerum grauis penuria sentiretur perturbata mente, eiusq; penitus religionis & pietatis ratione ad id decretum quod ante à Cardetio inductum fuisse diximus, inuidiosum vtique honus omnibus atque nefarium, descendit, quò è fanis cuncta donaria tolli atq; diuendi iubebantur, inter quæ præter auream crucem prægrandibus gemmis ornatam, quæ erat in delubro diui Ioannis etiã fuit mitra illa insig-

gnis pretiosissimis redimita gemmis, à Leone Pontifice pari liberalitate templi maximi altaribus dicata consecrataq;. Sed nemo ferè reperiebatur, qui ea ornamenta profanis manibus attrectare vellet, & Bernardus Baldinus gemmarum æstimator peritissimus, id impij nominis officium se præstare posse pernegaret, nisi alienis manibus violato sacrario, detracta gemma ipse æstimaturo proferrentur. Sed in mora non fuit Leonardus Bartholinus ad id à Raphaele missus, qui impia sacre vti erat omnis religionis contemptor, sacrarij armaria sublatis auidè donarijs, vel inhorrescẽte trementéque aditvo perfregit. Per eos dies magna decemuiros incessit cura de retinendis defendendisq;, ab hoste Volaterris: nam eius ciuitatis animos alioqui fideles, suspectos habere cœperant, quòd principes ciuitatis, inter quos eminebant è Maffea familia Mediceo nomini addicti, Marius Sir sacratus & Paulus erudita elegantia studiosi homines solicitarentur ad defectionem ab Alfonso Picolomineo Amalphitano regulo, qui Senis eductæ equitum & peditum manu, post redactã in dedetionem Cæsarianorum Florentina ditionis oppida ipsumq;, in primis Collem & Sanctogeminianũ, in Volaterranũ etiam agrum excurrebat vt direptione iacturaq; rerũ suarum permoti ciues, à Florentinis ad Pontifi-

cem rebellarent. Quo tempore Couonus Florentinus prætor, Sanctogeminiano à Cæsarianis pulsus, cum præsidio quatuor cohortium Volaterras se recipit, vt fidelium confirmaret animos, & nutantes in fide à consilio defectionis præsenti manu deterreret. Conspirat extrà vrbem in suburbanis tectis. Dum verò de confirmanda ciuitate multis alloquutionibus ageret, furto quodam dum se recensurum copias simulat, in vrbem irrepsit, continuoq; ascendit in aream curiæ, vbi decuriones aduocatis in consilium primarijs ciuibus de Republica consultabant. Primo impetu Couonus Volaterrana iuuentutis cohortem, quæ in area stationē habebat, hostili facta inuasione deturbat. Quo tumultu duo gemini fratres interficiuntur, & nonnulli vulnerantur. Exinde ipsos decuriones occupata curia obsidet, eamq; in potestatem redigit. Id insolens factum non tulere Volaterrani, & vt sunt militari ingenio ferè omnes, stirpe ducta à vetere Romanorum Colonia, qui Syllanarum partium fuerint, extemplò arma capiunt, fenestras saxis onerari iubent aditusq; viarum interseptis trabibus præcludunt, magnaq; armata multitudine Couonianos in curiam confugere cogunt. Eo armorum strepitu Couonus perterritus, certis conditionibus pacem impetrat. Hæ fuerunt vt cohortes dimitteret extra vrbem. Paret Couonus

nus extemploq; Gorium Montebenicium, qui geminorum fratrum cædem fecerat: atq; item Paulum Corsum cū suis cohortibus vrbe egredi iubet, reliquas duas Tincto Battifolio, & Hercule Pisano ducibus, paulo post ciues adeò insensis vultibus vrbe extrudunt, vt signi feri inuolutis vexillis, & milites hastas inuersa cuspide verrentes solum traherent, quod ignominiosum militiæ habetur. Cæterum Volaterrani vti planè castigatæ Couoni arrogantiæ, Florentiam perscribunt, excusantes vrbanum tumultum nequaquam ipsorum culpa sed malignitate Couoni excitatum prolixè pollicentes se in vetere fide permansuros, si in Couoni locum improbè prætoria potestate abutentis, alium honestum atque æquum ciuem summitterent. Itaque decemuiri non mediocriter Couoni insolentiæ succensentes, ei Bartholum Tedaldum sufficiunt. Hic Pisis profectus, adduxit quatuor peditum centurias, quibus præerant Franciscus Brocca Corsus, & Alexander Monaldus, & Mugellanus cognomento Fortuna, atque item galeatorum equitum alam, duce Amico Arsula Romano. Aduentantem Tedaldum Volaterrani egregij honoris causa alacriter susceperunt, atque eum cum paucis ea conditione introduxerunt, vt cohortes atque alarios equites apud suburbana tecta relinqueret. Eo fortè die Pyrrhus

Stipicianus ad Cecinam vsque amnem aduexit. & cum expeditæ equitum & peditum manu prædatus agrum, magnum numerum maioris pecoris abegit. Quo tumultu ad Vrbem perlato Volaterrani vt prædam hosti eripiant, erumpunt, & secundum eos eodem itinere pertendit Arsula. Committitur leue prælium cum Pyrrhi sclopettariis, quos ille cum præda antecedens de industria in insidijs collocarat. Sed Arsula maiores insidias veritus, neque temere volantibus glandibus equites suos obijciens, vel obnixè orantibus Volaterranis, vt continuato cursu vnà persequi hostes vellet, insequendi finem fecit, triaúoque post cum suo equitatu, & dimidia parte peditum discessit. Cecinam semiceptinum ad decendam causam ad decemuiros perducent, Empolim primò, & mox Florentiam est reuersus. Sub id tempus Alexander Vitellius in Volaterranum agrum hostiles incursiones fecit, sanctiq; Dalmatij oppidum, & Villam magnam, ac nonnulla alia suburbana oppida manu copit, atque diripuit, perpetuisq; illatis detrimentis, quum etiam incendijs grassaretur, eò Volaterranos compulit, vt ultrò secum in spem futuræ deditionis paciscerentur: nam ad eum è ciuitate legati missi, Villam magnam peruenerant. Quibus cognitis rebus Tedaldus, quum suspicaretur ciues grauiorum

suarum detrimento compulsos, ad hostes omnino defecturos, cum reliquis militibus suis, insolisq; sanctis Florentini nominis in arcem se recepit, móxque tormentis maioribus Vrbem quatere cœpit, infestiore aliquanto atque acerbiore animo in perniciem ciuitatis, quàm paulo antea Cecinus concepti odij iracundiam effundens. Propterea ciues sæquentibus circa tela affectis incommodis & contumelia indignitate permoti, Baptistam, & Carolum Borghesios fratres Senenses patritios stipendio conducunt, arcem obsidere, & circumuallare instituunt, accipitur etiam ipse Vitellius, qui periò decoat, quotidianis operibus eruptionibus hostium resistit possit. Ea autem postea discedente Volaterrani, prætorio nomine potestateque Thadeum Guiducium, Medicæ factionis probum ciuem, in locum Roberti Acciaioli suscipiunt. Robertus enim præstantissimæ authoritatis inter Florentinos ciues, qui insolentiam populariam vim impotentem timentes, sponte patria excesserant, paulò ante se conciliatorem inter Volaterranos, atque Vitellium obtulerat, transactaque factionis tetis interfuerat. Exinde Volaterrani, Tedaldo nihil iracundiam suam remittente, sed asperrimè tormentis domos perrumpente, ad Clementem legatos decernunt

qui

qui Bononiam pertendant, & ab eo maiora tormenta, quibus arcem euertere possint, expostulent, obtineántque obiter à Pontifice honestissimas deditionis conditiones. Nec multò post curauit Pontifex, vt quinque muralia tormenta nauigio è Genua ad Sadam Volaterranam deicherentur. Dum hæc Volaterris tam stultæ Bartholi arrogantiæ, quàm peracri ciuium pertinaciæ gererentur, Ferruccius qui Empolitano præsidio præerat, de Volaterranis rebus magnopere solicitus esse cœpit, quòd eò à ciuibus accersitum Vitellium, & arcem circumuallatam cognouisset, quanquam Vitellius posteà in vrbe minimè permansérat, cum de alendo persoluendóque præsidio cum ciuibus sumptui facilè parcentibus nequaquam conuenire potuisset, ideóque esset ad occupandum Pistorium profectus, quò itidem à ciuibus Panciatice factionis aduersus Cancellarios Guelpho nomini impense fauentes, fuerat vocatus. Propterea Ferruccius decemuiris perscribebat, Volaterranæ rei tumultum minimè negligendum videri, quòd iam planè ciues ad Pontificem rebellassent: proinde si ipsis à Republica fore videatur, cum valida atque expedita manu eò se aduolaturum, atque ea initia defectionis celeriter oppressurum. Id verò se præstare non posse, nisi successor nouo cum præsidio sibi è Florentia sum

tia summitteretur. Re ad consilium delata quòd magno ad vniuersi belli victoriam momento sibi futurum credebant, si Volaterranæ vrbem natura munitissimam omnino recuperandam censerent, continuò vtendum Ferruccij viri strenui atque peracris operæ, eique præsidium mittendum decernunt. In id deerétum valde proclinatum dictatorem fuisse apparuit, vel priuatæ de causæ, quòd duas filias, quarum alteram Bardo Altonto, alteram Vincentio Thadeo nuptui dederat, in Volaterranam arcem ab initio belli, tanquam procul ab armorum strepitu futuras, confugere iussisset. Putabat etiam sui priuati decoris, & publicæ dignitatis fore, si arcem obsidione liberandam statueret. Mittitur itaque Ferruccio successor, Andreas Iunius populariis factionis ciuis, & cum quinis vexillis vnà eunt Nicolaus Strozza, Speronus Bongensis, Nicolaus Suxoferratus, Ioannes Scuccula, & Balordus strenui cohortium præfecti. Hi magno silentio & perobscura nocte vrbe egressi, elapsíq; per medias hostium stationes, cum diuerrassent, quòd militaris via vitaretur, nec facilè per inuios colles & inculta loca expeditum iter haberent, sub auroram ab hostibus conspecti sunt, ad quos persequendos Ferdinandus Gonzaga equitatum eduxit, persecutusq; per asperæ obsitaque virgultis & cu-

pribus

pribus locu. aliquot eorum ad Pesæ amnis ca-
dam interfecit, & in his Nicolaum Saxoferratum, dum agminis terga constantissimè tueretur. Ac nisi densata acie se propterpetes & sclopetis arcentes equitatum cui præditum undique arbustis iter ad incurrendum aperta statim minimè præbebat, fessi longo itinere ad Grllam turritam, quã Frescobaldium vocant, se contulissent, procul dubio, ab equitatu consectante, ad unum omnes deleri potuisse constabat, quanquam ea sit equitatus multitudo non equorum modò sed virorum vulnera à sclopetarijs retulisset. Nam Ferdinandi ipsius & Rosei à Sanctofecundo regularis equi, nobiles vulnerati sunt. & Nicolaus Crisia Epirotarum præfectus, cui Capiti nigro cognomen erat, fuit interfectus. Quum ad Frescobaldium equites persequendi finem fecissent, Etrusci cum singulari Strozzæ ducis laude, toto eo liberati periculo, nemine postea lacessente, Empolim ad Ferrucciũ pervenerunt. Nec multò post Ferrucius Iunio successori oppidi custodia obnixè commendata, relictóque ibi cum aliquot cohortibus Petro Orlandino, Tincto Bartolino, & Vrbeco Casentinate veteranis peditum præfectis, Volaterras iter intendit, adducens secum bellicosos delectorum cohortium duces, quorum signa paulo minus duorum millium peditum sum-

mam continebant, equitum verò præfectos, Acciolum in primis Arsalam, & secundum eum Gherardum Gherardescha comitem Vissani sanguinis, & Musaccium Epiroticæ stirpis quorum omnium ex turmis ducenti amplius galeati equites recensebantur. At Volaterranus qui hostis Ferrucciũ aduentum nequaquã maturè præsenserant, vbi signa eius conspexerũt, leui commissa pugna cedentes, eo consilio confestim in Vrbem se recepere, vt postquã intra muros viribus instructæ acie aduenientem ascensu prohibere non poterant, munitiones saltem institutas impositis custodijs defenderent. Ferruccius itaque præmissis equitibus ad arcem ascendit, sexq; semihora ad quietẽ, quã iuuenes militibus concessa, cum frustra per tibicinem decurionibus, nisi extemplo sedederent, ferro atque igne Vrbem subuertuum denunciasset, atque illorum tanta rei decretum ad maius consilium referendum respondêret, instructis ordinibus per diuersas regiones ad expugnandam vltiorem munitionem descendit, tanto impetu, vt milites quos longè itineris labore fessos segnius subire prospiciebat, vulneribus instructis pugnam capessere cogeret, & tanta contentione ad munitiones strinxit pugnaretur, vt neque acrius Ferruciani, neque constantius Borghesij cohortes admixtæ tribus diuicare posse censerentur. Nulla alia

res

res magis Ferruccium perpulit, vt non plene recreato milite subita eruptione pugnaret, quã inopia commeatus, & Venturi Volaterranis auxilij metus. Protractum est certamen ad mediam ferè noctem adeò varium, atrox, & eruentum, vt quum Ferruccius adificia propinquiora arci coniectis facibus incendi iussisset, mulierum vlulatu, & pugnantium clamore, horrisonum atque terribile redderetur. Sed Ferruccius rem obtinuit potitusq; summa vrbis parte, & expugnatis munitionibus, diui eitam Augustini templum occupauit, in quo hostes sclopettis rem gerentes ex occulto multos interfecerant, eo euentu, vt nonnullos ciues, & in his circiter quatuordecim milites Hispanos, qui sub Borghesij vexillis militabant, caperet, atque inusitata crudelitate in tetrum carcerem coniectos enecaret fame, & dezum ad ignominiam gentis eo modo enectos laqueis ad pinnas arcis suspenderet, quòd se ab ea gente Neapoli captum atque inhumaniter cruciatum fuisse praedicaret. Desiderati sunt eo prelio ex vtraque parte aquato ferè numero circiter trecenti, vulnerati autẽ multò plures, & quod longè grauissimum fuit amissa sunt ea tormenta, quæ è vadis pridie in vrbem ad expugnandam arcem fuerant aduecta. Sequenti die Volaterrani quarta ferè vrbis parte etiam tum ardente, vti nusquã

restinctis, sed annexa quæq; populantibus incendijs, & multa item suorum cæde terra fecit, ac desperatis auxilijs, impetratz salute incolumitate, q; rerum, ad fidem pristinam Florentini imperij redierunt, sic vt plerique ex dilectoribus ciues, et ante prælium factum, & post concessam hosti patriam, vrbe profugerent, metu scilicet grauioris incommodi: nam Ferruccius crudeliter, & immodicè victoria vtendum aduersus rebelles ratus atrocissimè sæuire cœperat, id maximè deposcente Tedaldo prætore non immiti modò, sed implacabili qui priuatæ iniuriæ suæ contumeliam publico ciuitatis excidio vindicare properabat. Ante omnia siquidem, cum Borghesium cum suis cohortibus dimitti iussisset, atq; ei integra fide abeundi cum rebus suis vexillisque facultatem concessisset, quosdam opulentos ciues in carcerem detrusit, imperatis q; pecunijs, nisi propere eas expedirent, fame sensim enecaturos minabatur. Vno quoque edicto pronunciauit, his capitale fore, qui vrbe excedere auderent, & vt reliquos terreret, duos ciues, qui fugam fuerant meditati, laqueo ad prætorij fenestras suspendit. Distribuit autem per omnes domos militet, vt gratuito ciuium copijs alerentur, donec alicunde pecunia repræsentari posset, quæ pro stipendio emerito, frequentibus iam id conuitijs flagitantibus militibus solueretur.

Nam iratè & petulanter milites querebantur se parata præda spe excludi, quum multo sanguine parta victoria, rebellantem Vrbem se æquissimo militiæ iure direpturos sperauissent. Sed Ferruccius non insussa ratione Reipubl. Vrbem quoquomodo incolumem seruare, quàm auaritiæ militum Vrbium excidijs, vel paruo suo lucro gaudentium obijcere mallet, aliò ad parandam pecuniam ita vertebatur. Vt sacrilega manu donaria antiquitus dicata templis & religiosè vsque in eum diem custodita, non cunctanter auferret, & res pretiosas carioresque ciuium in ipso belli metu in sacrosanctis Virginum cœnobijs absconditas, suam esse prædam diceret, denunciata capitis pœna his, qui abdita biduo non reuelassent. Quod vero summe religionis contempta facinus videri poterat, calata argento altarium frontalia, atque abacos cum candelabris, atque calicibus conflari iussit. Postremò diuorum Vrbis tutelarium Octauiani scilicet atque Victoris argentea simulacra, quibus vera capita ipsorum martyrum includebantur, ad hastam venalia in foro proposuit, ingenti cum luctu ciuium, mulierumque, præsertim crebris eiulatibus, quæ pietatis causa conceptis votis eminentem aperto paululum vertice sanctissimæ reliquiæ caluam exosculari consueuerant. Hæc in re ipse duce prudentior, et religiosior in Eiuersam

uersum miles est inuentus. Nam cum à Volaterranis omni pecunia expoliatis, capita redimi non possent, ne conflarentur, ipsi milites tacti religione, pecuniam in pretium contulerunt, sermè serius, quòd eorum tam alterum simulacrum aurea barba pretiosius et magnitudine augustius, ad quæstoris officinam delatum, propereque conflatum fuerat. Violauit etiam atque diripuit nullo pudore, nullaque prorsus misericordia, publicam piamque domum, in qua multa supellex collata fuerat, ab his qui egentes exiguo fœnore res cariores oppignorare sub fide publica consueuerant. & cum ciues publicos redditus cogenda pecunia causa, quæ militi præberetur, locupletioribus coemundos adijcere vellent, Ferruccius licitationem fieri vetuit, quòd Todaldus immitis & asper cuncta publica priuatasque ciuitatis, tanquam rebellis fiscum resticerent, & nisi ad nutum Reipublicæ alienari non posse clamitaret. Hæc raptim violenterque fiebant, quoniam Fabritius Maramaldus cum magnis copijs aduentare nuntiabatur; & tum forte importunè, quum Ferruccius spe recuperandi Sancto geminiani, Donatum cognomento Saltamacchiam eò ad pertentandos oppidanorum animos cum iusta manu equitum misisset. Donatus, erumpente acriter Borghesio, fuerat pulsus, et multis suorum amissis fœdè profligatus. Ab hac aduersa aduentum

uentantis hostis fama, ipsoque ad Sanctogemminianum irrito conatu, Ferruccius ad muniendæ urbis curam properantius ferebatur. Caterum Fabritius, quum instructa acie adueniret ab ipso Ferruccio qui in edito colle consederat & equitatum explorandi lacessendique hostis causa præmiserat facilè conspiceretur, contracto per equites modico certamine, & repulsis hostibus, ad suburbana tecta peruenit, atque ibi deiecto Ferruccij præsidio, cuncta ad prædam uertens, positis castris consedit, & subitario opere, ut egressu hostes prohiberet, contra diui Francisci portam quæ Pisana est, aggerem extrui iussit, parique diligentia à Ferruccio introrsus obstructa est, ipso turrem demoliente, ne percussa hostium tormentis interius porta spatium, ubi statio militum consistebat ruina obrueret. Dum utrinque minutis prælijs certaretur, & Fabritius cuniculos ad eam mœnium partem ageret, quæ diui Dalmatij cœnobium introrsus respicit, probra militum uoces audiebantur. Fabritij tanquam cæci ducis & imperiti conatus irridentium, quibus maxime irritabatur, ut in Ferruccium priuati odij prægrauem iram conciperet, ob idque præcipuè, quoniam Ferruccius ipsius tympanistam fœcialium more ad eum missum, ut sibi illico dedi urbem peteret, insoleuti uerbo offensus, insolentior dux miserum tanquam

tanquam impiè locutum corripi, laqueóque suspendi iussisset. Quod facinus contra militiæ morem superbè editum, ipsi demum Ferruccio exitium peperit. Accidit autem per eos dies, ut utrinque ab inopia stipendij, milites fœda conflagratione deficerent, nam duæ fermè integræ Bruttorum centuriæ à Maramaldo ad Ferruccium transfierunt & Ferruccius ipse ob eandem causam, Corsorum seditione exorta penè interfectus est. Ex his erant cohortibus, quas Camillus Appianus à Populonia oppido adduxerat, gens feria, peragrestis & rapax. Sed Ferruccius uel multo ciuium animo ita sedauit tumultum, ut in Camillum ducem odium exitiale reseruaret. Dum hæc ad Volaterras gerentur, Aurantius in spem occupandæ Empolis uenit quòd ibi discedente Ferruccio, non multum præsidij esse, nouumque prætorem lunium ignarum prorsus belli, & ab una tantum ardentis odij in Medicens commendatione sufficetum fuisse didicerat. Itaque Didaco Sarmento negotium datur, eique præter suos tyrones quos ducebat, Vastius ueteranorum Hispanorum ualidas cohortes adiungit, curátque diligenter, ut iustus tormentorum apparatus ad eum perueheretur. Hæc ubi conuecta sunt, Empolimque copiæ omnes peruenerunt, eo ordine oppugnatio capta est, ut uno tempore duobus in locis murus quateretur. Sarmentus

cum Hispanis ad Ormam fluuium castris positis, tormenta inter Arnum & oppidum promouit, atque eam muri partem, qua spectat septentriones, vehementer quatere cœpit. Ab occidentali verò loco, contra Deiparæ Virginis templum, Alexander Vitellius cum Italicis copijs oppugnare adortus est. A parte Sarmenti primum omnium Calcella Apulus tormentorum magister, molas frumentarias paucis ictibus disecit atque ita perfregit, vt decurrentis aquæ profluentem, quo machinæ molædæ vertebantur, & fossa demum oppidi implebantur, opposito aggere leuorsum diuerteret, & fossa proinde totius aquæ copia solito flumine destituta siccaretur. Hispanique milites illac se irrupturos confiderent. Exinde muros ducentis amplius maiorum tormentorum conjectis globis perite verberatus, patefactusque est, vt Hispani fossam transire & per ruinas subire auderent, eo etiam minore periculo, quòd defensoribus summa corona, propter frequentes pilarum & glandium ictus nudaretur: nam supra capita oppugnantium atque intrare conantium præteruolabant. Sed magno irruptoris erant incommodo procidentis extra & corruentis muri ingentia frusta, quibus multos cooperiri atque opprimi necesse erat, præterquam quòd præsidij cohortes, ipsique Empolitani strenuè, vbi periculum deposceret, hostes hastis

hastis, ferreisque tridentibus repellebant, & in fossam deturbabant, quanquam in eo certamine Tinctus Battifolius præfectorum fortissimus, tormenti ictu cecidisset & iam interiorem munitionem alacri concursu, non virorum modò sed & mulierum lateres, glebas, et tigna comportantium extruere properarent. Per eum modum Sarmentus, quod periniquo atque admodum periculoso loco obnitis, non sine certa pernicie milites prouidebat, tanquam tormentis locum mutaturus receptui cecinit. Eodem quoque tempore Vitellius, postquam aliquantum muri diruerat, nec satis ad irrumpendum apertus foret, abstinuit prælio, alia via aditum quæsiturus. Interim Titus Orlandinus cognomento Pullus, qui erat apud Vitellium per Petrum Orlandinum Florentinæ cohortis præfectum gentilem suum postulauit, vt Iunius prætor in colloquium deuenire non grauaretur, prodeuntémque sub fide publica hortatus est, vt constantia laudem suæ atque oppidi salute nequaquam potiorem arbitraretur, postquam tantas non haberet præsidij vires, quibus binis ducibus e diuerso oppugnantibus diu resistì posse confideret. Iunius ad ea elato in præsens animo respondit, se quinquagenario maiorem satis vixisse, proinde nihil sibi longiore vita opus esse, quæ vel imbellis ingenij, vel fluxæ erga Rempublic. fidei no-

tam afferendo antiquum Iuniæ familiæ nomen dedecorare posset. Hæc tamen eum non ita intrepidè dixisse apparebat, & perculsæ et attonitæ mentis signa nõ eminerent, nam quum paulò ante sæpius ac sæpius ad Odoardũ Cibachinottum prætorem Pisanum, maturam implorans opem perscripsisset, & sibi trecentos sclopettarios summitteret, vix demum unam centuriam, cui præerat Borna Lucensis ab eo acceperat. quum ægrè cum Vitellianis hostibus certando ad oppidũ peruenisset. Eodem metu summi discriminis adducti Empolitanorum primores, eadem nocte, qua primum oppugnantium conatum sequuta est, legatos ad Sarmentum emiserunt, qui de concordia agerent, quorum princeps erat Bacinius decurionum scriba, in cuius custodia totius tormentarij pulueris apparatus seruabatur. Is, & existimari potuit, insigni flagitio ea pactione egisse ferebatur, & oppidani essent incolumes, præsidium verò Hispanis præda esset. Oriente sole, Ioannes Bandinus, quem singulari certamine palmam retulisse diximus, qui erat apud Sarmentum, per abruptã tormentis mœnia in oppidum venit cum Lucio Manellio, & Iunium prætorem ad deditionem eadem ferè qua pridie Pullus egerat adhortatione impellerent. Sed eadem respondente Iunio, non multò post Hispani facto impetu, neminéque prohibente

hibente, per ruinas adaperti muri in oppidum irruperunt, quod Orlãdinus muri custodiam, & pransum iret importunè deseruisset, vel contradicente signifero, & illac certum periculum irrupturi hostis demonstrante. Quod flagitium vel turpi ignauia, vel intempestiuæ trasactæ deditionis fiducia admisũ multi crediderunt, non sine etiã nota perfidiæ, quando non statum Orlandinus pœnam veritus, ad urbem, uisa perdomita & commutata republica redierit. Cæterùm Hispani in oppidum irrumpentes, aliquandiu hæserunt in fossa, quam adeò profundo & inextricabili cœno prægrauidarentur, & lutulenti ũbilico tenus errarent, subleuatique sociorum manibus mœnia superarent. Primus omnium Bucanigra in domũ Orlandini per tecta delapsus, in quã omnes propè nobiliores fœminæ multæq; Florentini nominis matronæ, & securiores essent, confugerant, eas omnibus ornamentis exuit, usque ad monilia, maritalesque annulos, & corollas diuorum supplicationibus dicatas. Reliquas verò domos gregarij Hispani, ea Sarmenti lege, diripuerunt, & neminem è præsidio militem violarent. Iunius prætor, & ipse Orlandinus, quòd summæ essent authoritatis apud milites, capti sunt, paruque puncto temporis Vitelliani in oppidum penetrarunt, atq; ignobiliore præda potiti sunt. Sed eos postea Sar-

mentus excedere oppido, & in castra redire cogit, quum Vastius ipse seram opem direptis & miseris offerens superuenisset, quantum tamen authoritate atque imperio poterat, maleficio prohibendo, inuiolatas q; fœminas præstando, non mediocriter in ea calamitate Empolitanos est consolatus.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis LIBER XXIX.

PER hunc modum inter parum syncera colloquia Empoli capta direptaq;, Vastius inde celeriter copias educens, cum Sarmento Volaterras est profectus, quòd ad expugnandam urbem Maramaldes iustum tormentorum apparatum sibi aduehi crebris nuncijs postularet. Nihil enim cuniculis profecerat, nec minis Ferruccium hostem, nisi murus magno conatu quateretur terreri, et ad deditionem compelli posse

posse prouidebat, propter incomparabilem naturæ loci difficultatem. Nam Volaterræ in arduo monte sitæ sunt. Vetere priscorum studio excelsa quærentium iuga, tanquam tutiora contra omnes hostium impetus, salubriora quæ campestribus locis, quæ sæpenumero caliginosis atque densissimis nebulis obsidentur. Nam Volaterrani originem suam à Tyrrheno Lydorum duce repetunt, qui olim duodecim nobilissimas Etruriæ urbes condiderit. E summo montis iugo, quinque præcipuè descensus oblongo dorso ad infimos pertinet campos, qui radiorum instar, ad imaginem extentæ cum digitis palmæ manus, interiectis profundissimis vallibus dirimuntur, ita vt conualles transiri nequeant, quum abruptissimæ sint, atque ita densis arboribus obsepta, vt exercitibus inaccessæ fiant, quoniam ab his aditibus scilicet stratis, quum paululum ascenderis, in proximas vias nullo modo ad mutuam opem ferendam transiri possit, quòd præalta crepidines vndique subsint ad quas commeantium oculi propter profunditatem facilè caligent. Ad has naturæ munitiones, accesserunt mœnia antiquitus è quadrato lapide constructa, quæ hodie suburbana præcingunt tecta, quoniam vrbs noua, quæ hodie incolitur, post calamitatem à Pannonijs acceptam, aliquanto astrictiore quàm antea muri ambitu

bitu munitur. Vastius vbi aduenit, contemplatus situm admirabilis munitionis, quanquam asperrimas sibi rerum difficultates ad oppugnandum propositas videret, quod nisi egerrimè pertrahi constituiq; tormenta non possent, communicatis cum Maramaldo consilijs, ad Portonem, qui est antiquæ portæ munimentum humilem nactus collem, castra posuit. Nec mora in Hispanos tentoria ponentes, Ferrucciani audacter eruperunt, contractoq; est cum imparatis asperrima pugna, sed ferente celeriter opē Maramaldo paucis vtrinque desideratis, in vrbem compulsi sunt. Exinde Vastius diligentius locorum situm speculatus, ad diui Andreæ templum aliquot Fabritij cohortes, Barone Neapolitano duce, transire iussit. Quæ re conspecta, Ferruccius nullam sibi moram attulit, quin exturbandos eo templo hostes decerneret, atque ita emisit Camillum Appianum cum suis Corsorum cohortibus. Ab ea eruptione certatum est amplius duabus horis, sed multis vtrinq; interfectis & vulneratis, Camillus se recipere coactus est, eo impetu incumbentibus Fabritianis, vt quum se obuerteret, in genu mortifera glande vulneraretur, vti asserunt, ipsius Ferruccij iussu in eius odium vehementer incitati, quod portam Herculis, cuius custodia Camillo fuerat attributa, hostibus prodi posse

suspicioseè iudicaret, ac simul vitæ suæ periculum, quòd recenti Corsorum seditione subijsset, vlciscì properaret. Eodem quoque tempore, Ferruccius suos à Florentina porta contra hostes, qui ad Portonem consederant, eruptionem facere iussit, vt diuerso hostium impetu Hispani, quo minus socijs opem afferre possent, ancipiti prælio distinerētur. Sed Ferrucciani hunc audaciæ suæ exitum tulerunt, vt Franciscus Brocca egregiè fortis Corsorū tribunus, non paucis vtrinq; amissis & vulneratis occideretur. Nec multò post à Vastio duobus in locis duplex oppugnationis genus est institutum, alterum aduersus sancti Lini cœnobium, cuius horti ad mœnia pertinent, Maramaldo attributum est, alterum ipse desumpsit iuxta portam Florentinam. Vastius constitutis, partim ex directo, partim ex obliquo aspectu, maioribus tormentis, tanta vi vtrobiq; quassari iussit mœnia, vt amplius quadringentis ferreorum globorū ictibus muris adapertus sit. Sed multo maximè apud Maramaldum, nam supra triginta cubitorū spatium prostratus est, tanto Ferruccianorū pauore, vt quum nonnulli tormentis ictu cecidissent ipseq; Ferruccius lapidis fragmine cubito percussus, se recipere cogeretur, milites in ruinæ aditu nequaquam intrepidè consisterent, & equites instratis equis fugā pararēt,

confugeretur, undiq; in arcem, hostes irrumpere potuisse constaret. Fabritius nanque per audacissimos prius milites, qualis quantusq; per ruinas aditus pateret, explorandum ratus, quum impetum fieri iuberet, quòd locus ruinis impeditior, & æquo ad inuadendum difficilior renunciaretur, importuna cunctatione serò pugnæ signũ proposuit, occasionemq; victoriæ corrupit, quum ab ea mora hostium cessationeq;, multi propugnatores redintegratis animis extruere introrsus aggerẽ, admirabili constantia atq; celeritate preparassent, Morgante præsertim Castellioneo ab ingentibus lacertis validissimo centurione, & Ioanne Broccardo paris animi Volaterrano ciue, rem administrantibus, nam in aggerem tumultuarium adiuuantibus maximè fœminis, oblata quæq;, & ex cœnobio abrepta, lectos, culcitras & cophinos pretiosissimis etiam rebus plenos infarciebant, vt munitio in iustam altitudinem educeretur, pro qua mox acerrimè decertatũ est, aucta siue propugnantium, quum Ferruccius lenito vulnere cũ valida fortissimorũ militum manu decurrisset, & Fabritius recenti submisso subsidio, sæpius instaurando pugnã multa vtrinque cæde edita, irrumpere esset conatus. Eo die inter Fabritianos multũ enituit Angeli Bastardi Viri Zacynthij origine Volaterrani virtus, quum

sæpius

sæpius certamen restituisset. Altera porrò in parte Vastius quanquam non adeò latè murum patefecerat, satis pro tempore animaduerla introitus conditione, prælium inire insistit, pugnatumq; aliquandiu ab Hispanis audacissimè. Sed eorum impetum ea animorum & corporum promptitudine defensores sustinuerunt, vt pulsi non paruo accepto incommodo repellerentur. Cæterùm Vastius nihil eo duplicis conatus detrimento permotus, paucos post dies, iterum geminam oppugnationẽ instituit, alteram ad sinistrum eiusdem Florentinæ portæ latus, quod Pinzianã respicit vallem, alterã iniquissimo loco contra fontẽ perennis aquæ, quæ Ducciola vocatur. Ibi ea forma mœnium est, vt & murus vtring; per deliue ductus ad infimum vallem, vbi fons est, in angulum se cõiungat. Proinde putabat Vastius eum locum, propter inæqualis loci difficultatem, acerrimè defendi, & ex aduerso illac facilè suos perrumpere posse, quũ in eam partem sedulò collibrari tormenta atque displodi iussisset. At Ferruccius vbi periculum posceret, noua opponebat munimenta, & supra fontem præcipuè aggerem erexit. Vnde collocatis tormentis, oppugnantes hostes desimatis ictibus peterentur. Sed quũ id opus noua munitionis feruere atq; exurgere ab hostibus cõspiceretur, in id iniecta columbina pila, insi-

gnis

gnis præfectus cognomento Scuccula interficitur, nec tamẽ intermitti opus Ferruccius imperat, nam paulò post in eo fulcon ex duos collocauit, quorũ ictibus, quatuor ex hostibus nati tormentorũ libratores abrepti sunt. Nec multò post ab Hispanis, cohortante Didaco Sarmento prælio est cœptũ tanta contentione, vt aliquot vexilla Hispanorũ impigrè summo in muro figerentur, instauratáq; sæpius admodum cruenta pugna certaretur, inter fortissimos Sarmẽto armis & eristæ cõspicuo, & secundũ eum Maricao Cantabro, qui castrorum erat magister, audaciſſimè subeuntibus. Verũ non diu post Sarmentus spectatæ eius virtuti inuidente Fortuna, glande traiectus occubuit, quũ longiore vita dignius videretur, & Maricaus pluribus confectus vulneribus propè exanimis retrahentibus suis ægerrimè seruatus est, irrumpentibus autẽ Hispanis maximè officiebãt dolia saxis plena, quæ per dejectus strata via magno strepitu deuoluebãtur, ita vt facile appareret vniuersos hostes angusto in loco, vel si omnes intrassent, ea doliorũ & lapidũ mole obrui potuisse. Nec feliciore euentu certatũ est in altera oppugnationẽ, nã tametsi prostratis mœnibus alacriter subirent Hispani admixti Italis, non longũ tamen certamẽ sed æquè cruentũ ac Ducciolanũ extitit. Vastiani quippe propiore accessu facilè loci

loci iniquitatẽ, propter hostium munitionem, & præsentẽ paratam, q. sim, reformidantes, nequaquã pertinaciſsimè expellentibus restiterunt, quum ab Strozã latere intra pomœriũ fossas perductas, & aggeres tormẽtis permunitos, & aduersus armatorũ aciem se irrupturos prospicerent, quando per id totũ etiam edendæ pugnæ spatium, ad insidias dissositi muricesq; et tabulæ peracutis cõfixæ clauis emmẽte cuspide cõspicerentur, quibus indui prius necesse esset, quã ad equites, qui in pedes desilierant, et suis grauibus protecti armis pugnã essent exceptur, peruenirent. His prælijs multi viri fortes desiderati sunt, et in primis ipse tormentorũ magister Appulus Calcella, quo nemo eius artificij peritior habebatur, vt qui Antonio Leuæ mirificam operã superioribus bellis nauasset. Interfectus etiã est Donatus Tranius, qui eius artis cõmendatione in Calcellæ locũ successerat. Constat Ferruccium aliquãto maiore detrimẽto hostes afficere potuisse, nisi summa sulphurei pulueris inopia laborasset, quòd eius paulò ante nõ modicã copiam Tedaldus, vt iracũdiæ suæ stultæq; ferotiæ impensius indulgeret, et vrbanis tectis maximè noceretur, intẽperanter absumpserat, qua de causa Ferruccius per turmas equitum, salis viri ad conficiendum pulueren aliquot pondere à Vadis vsque Volaterranis proximi li-

toris petere fuerit coactus, ita ut sportulis ad equorum clienes coaptatis, fallendo hostium custodias in Vrbem comportarentur. Ferunt Vastium à tanto irrito conatu summum concepisse mœrorem, ita ut nonnulli ad eum consolandum de Maramaldo ablocuerētur, quasille in prima oppugnatione propterea cessauisset, quòd indignaretur Vastium superuenisse, ut paratam sibi expugnatæ Vrbis gloriam eriperet. Quandoquidem ipsum nequaquam sentirium, sed uti postulabat, tormenta tantùm submissurum credidisset. Atq; ita Vastius adeò bile plenus ad Auranti castra redijt, ut Fortunam, quæ sibi paulò ante ad Monopolim aduersa atque infesta fuerat, contitosè & intemperanter incusaret. Maramaldus autem longo circuitu per Pisanum agrum paulo ante calendas Iulias Volaterras relinquens, versus Pistorium, combustis primùm Vineis, atque euersis operibus, est profectus. Florentini quanquam aliquanto maiore damno Empolim oppidum Vrbi propinquum, & ad subleuandam multarum rerum inopiam opportunum, amisisse censerentur, quàm Volaterras Vrbem longinquam insigni commodo recepissent, nihil tamen sustinendi belli curam vllis consilijs remiserunt, adoriendáque Germanorū castra statuerunt, authore Stephano Columna, qui non obscurè Malatesta

æmulus, & tentare ipse aliquid suo ingenio, & erecto animo dignum facinus aggredi cupiebat, ut ciuitatis animos redimeret, qui Venafrani tanquam bellicosissimi viri importunam eadem agrè tulisse videri poterant, nihil magis cupientes, quam ut præsidiarij milites frequētibus prælijs sese excercerent, subeūdoq; vel summi certaminis aleā satisfactis Reipub. extremis casibus subuenirent. Hæc res diu explorata à Stephano, delatáq; ad dictatorem, quum asciscēretur in eam consultationē dux Malatesta, ipso obliquè tantū contradicente, grauiterq; expendente totū id dubij periculi discrimen, quod subituri essent, in id tota deliberatio cecidit, ut ab omnibus probaretur, ipsoq; demū Malatesta in eo negotio collegam adiutoremq; Stephano fortia audenti sese offerret, quòd Lodronij castra non nisi magnis viribus & validissimo impetu inuadēda iudicaret. Quintiles iam Idus aderant, torrenteq; æstu Germani in vigilijs statimibusq; sese languidiores facti videbantur, sic ut eruptiones hostiū contemnere potius quàm timere consueissent. Castra eorū, ut diximus, cōmunita erant tempio cœnobioq; sacratarū virginum, quod diui Donati in Puluerosa nomen habet, eo ordine, ut septa quadratis aggeribus intra quos tendebant milites, hortos virginum perpetuo vallatos muro annexos con-

tinerent, & dux ipse Lodronius sacris ædificijs Veteretur, duobus q3 ad castrorum aggeres propugnaculis erectis, in quibus collocata erãt aliquot tormenta, Vtraq3 Vrbem, quæ ab Vrbe hinc Pratensi, illinc Fauentina porta ferebatur, respiceret. & perpetua statione ab omni hostilis impetu aptissimè defenderet. Itaq3 magno consensu, magnaq3 omnium expectatione, Stephanus & Malatesta copias instruũt partiuntur inter se munia impetus faciendi, & triplici egressu Veteranæ fermè omnes atque lectissimas cohortes educũt, ea ratione, Vt Florentini populi Vexilla, quæ in locũ decedentiũ militum in muri atq3 aggerum qui erant in monte, custodiam succederent, & si casus ferret, his in locis propugnãdo patriam defenderent donec milites re bene gestã ad solitã muri stationem reuerterẽtur. Ad confirmandos tamen armatæ iuuentutis animos Veterũ militum aliquot centurias interposuerũt, et quatuor cohortes conglobatas loco medio atque opportuno consistere iusserunt, ducibus Francisco Taruisio, & Barbarussa Bartholo, Vt commodè Vbi res posceret, ciuibus aduersus hostes opem ferrent. Media quoq3 in Vrbe simili ratione reliquarum tribuum Vexillæ constituerunt, quibus addebantur quaternæ cohortes, quæ fuerunt Pacerini Giometti Senensis, & Corsorum duæ ex Pasquinianis. Hes rebus aptè

aptè constitutis, Stephanus Pratensi porta milites eduxit, ad Vnum omnes candidis tunicis indutos, Vt inter se noscerentur, & ea specie per tenebras hostibus terrori essent. Malateſta autem ea Prati portula, quæ ad Arnum ducit, eo consilio egressus est, Vt secũdum flumen totum ripæ marginem equestribus & pedestribus præsidijs occuparet, Vt si forte è maioribus Aurantij castris hostes laborantibus Germanis opem ferre, & flumen trauare auderent, Vti accidit, circa Vada amnis inuaderentur. E Fauentina autem porta tertia manus erupit, eo consilio, Vt superiore circuitu ad Germanorum castra Verteretur, & diuerso metu illato, Germanos eo temporis momẽto distineret, quo eos Stephanus adoriretur. Pasquinus Corsus, cũ præmisisset expeditam suorũ centuriã, duos hostiũ vigiles extra munitionẽ excubantes ita oppressit, Vt altero occiso, alter quanquã sauciatus ad suos confugeret, qui adesse hostes semisopitis nũciauit, atq3 ita Pasquinus ad munitionẽ castrorũ impetum fecit, paulòq3 post cõclamãtibus iã ad arma Germanis, Stephanus gradũ intendẽs, Vt imparatos & incõpositos inuaderet, apprehẽsis & superatis munitionibus in castra transcendit, impigrè rem gerẽte Ioanne Taurino, qui inter Pasquinũ & Stephanũ ipsum aggerẽ adortus, iaculatusq3 grdẽtes tubas, Ger-

manos ita submouerat vt vndique frustra resistente hoste, Etrusci certatim in castra irrumperent, atque hos animosa Florentina iuuentutis cohors, Dante Castellino signifero audacter irrumpente, consequeretur, & primùm Germani Lodronij ducis superuentu adhortationéque componi & conglobari possent, fœdo incepto exituq; ad diripienda tabernacula discurrerent. Quo tumultu ingens non militum modò, sed fœminarum & lixarum numerus per tenebras trucidatus est, atque item multi ex eius nobis statione qui impetum irruentium numero atque animis impares sustinere nequierant. In ea rerum perturbatione Lodronius admirabili constantia, circiter duo millia hominum in recessu castrensis areæ conglobari, retineréque crebres neque vsquam ausos excedere iussit. Stephanus semparata victoria, nisi milites prædæ cupiditate adducti dissipatis viribus pugnam subissent, incepturæ reuocaréq; suos cenatus, in phalangem hostium densatum non semel impetu fecit sed postremò, quòd immota prætentis hastis egregiè resisteret, & mox inducente Lodronio in dispersos & imparibus pugnantes armis impressionem faceret, nonnullis vtrinque cadentibus, ipse Stephanus vehementer est vulneratus lancea cuspide, qua in os recepta ex dentes excussit, & inguine pudendisq; alabarda

barde mucrone ita transfixis, vt exturbatus è munitione in fossam deijceretur, multiq; simul vulnerarentur, atque in fossam concidèrent. Interfecto Virgilio Romano, qui diu Stephano comes repugnarat. Zagonèque viro ingenti proceritate corporis, atque animi vigore terribili, per femur transfixo & Ioanne Tauruno hastarum impulsu extra aggerem eiecto, Etrusci se receperunt, vel ob id præsertim nequaquam redintegrata pugna, quòd iam ab Oliuetano monte tormenta disploderentur. Vereturq; M. Malatesta, ne Aurantius è Giramonte suorum stationes inuaderet, quas discessu militum ciuili præsidio, si grauior pugna incideret, nequaquam fore firmissimas arbitrabatur. Id verò vti postea cognitum est, Malatestam magnoperè permouit, quòd equitatum è castris hostium signo tuba proposito, eductum, decurrere secundum Silteriorem Arni ripam senserat. Vt pote qui non temere timeret, nisi conglobato agmine humilioribus vadis tranarent, non facilè sustineri possent, quin ipsa erepta ab hoste receptus facultate, portæ vrbis excluderetur, & populus ipsis ambobus ducibus extra vrbem diuerso prælio occupatis, portaque intercluso, incumbente Aurantio aliquod graue vel summæ etiam calamitatis detrimentum acciperet. Nec tamen deerant, quæ Stephano laudem astruentes,

asserérent à Malatestâ receptus signum maturius datum fuisse, obtrectatione non dubia alieni decoris. Vt parem exitum, ac ipse nuper ad Catelinam portam fuisset expertus, inconsultæ audaciæ eruptio tulisse videretur apud cives, qui non æquè prudentiam cauti ducis, quam bellicosi audaciam è Republicæ esse iudicabant. Cæterùm ab hoc irrito conatu, Florentini in vniversum non obscuro dolore, neque inani conceptæ tristitiæ turbabantur propterea quòd ad extremam esculentarum rerum inopiam erat peruentum. nam neque equis, neque asinis, neque etiam felibus pepercerant. Nec defuere è plebeis, qui mures auidè consectaventur. Frumenti autem ea erat penuria, vt panes ex milio vetere, & panico, atque ea oliræ scandellæq; segete ad iumentæ in alium destinatæ confici vendiq; inciperent, & Sabgut ignobile ea nigri milij segete culmosa, aliàs dicata suibus, quàm Transpadani melicam, Etrusci verò ipsi saginam vocant, vescerentur. Vini nusquam erat copiæ nisi quæ sacrificijs atque ægris in medicinæ vsum seruaretur, potarent omnes aquam hilariter, sic vt ipsi cives frugi homines hæc à militibus incommoda tolerantissimè ferri mirarentur, laudarentque eos, quòd fidelli perseuerantia, nusquã excitato tumultu, suisq; contenti stipendijs, pro militari tantùm gloria alienæ libertatis

causam

causam aduersus exteras gentes generosè defenderent. Sed quum nullius belli exitus desperatus auxilijs, nisi valde lugubris atque durissimus prosiceretur, versabat iam multorũ animos cura ingens publicæ salutis, prudentioresq; iam planè ea ominabantur supplicia esse subeunda quæ Romani nuperr pertulissent si vinci armis quàm pactione se dedere mallent. Neque tamen quisquam reperiebatur, qui effari auderet adeò erat certum his, qui ferociam animi deditionis cogitatione remisissent, fœdæ mortis supplicium. Vt plerique tacitè animos desponderẽt, cum subituri casum, quem vel iniqua fors publicis rebus attulisset. Primus omnium Zanobius Bartholinus, qui dudum è tota ciuitate libertatis defensor, grauitate consilij, industria & vigilantia singulari, cum summo imperio legatus extiterat, simulato corporis morbo, neque aquam occultè concepta animi ægritudine, è curiæ limine se subduxit, quòd authoritate, ratioñeque multorum efferatorum ciuium insaniæ mederi posse desperaret, agitaretque animo, quanam ratione consilij affecta ciuitati prodesse posset, & quum nihil deditionis pactione vtilius, atque salubrius fore indicaret, sæpenumero de ea re in arcano cum Malatesta, & Stephano fuerat colloquutus per quem tentandum Auranti hostis animum esse statuebat, occasio

Verò eius tractandæ rei non semel petita est, cùm munera ad ducem in castra mitterentur. idoneus autem interpres erat Cencius Perusinus cognomento Strabo, astu atque prudentia militari insignis, propterea q̃ Malatestæ fidus. Is Aurantium reperiebat nequaquam abhorrentem ab honesta concordia, cum ille ducenta tantùm mihi aureorum nummorum ad persoluenda militi stipendia postularet, subindeque peteret Mediceam familiam seruato libertatis nomine, & si antea consueuissent, pristinæ dignitati restituendam, & obiter à Clemente Pontifice præteritarum offensionum oblitionem se impetraturum policeretur. In quas conditiones non Baucius modò Valorius, pro legato à Pontifice ab initio belli in castra missus, inclinabat, sed Aurantius ipse. Indeem tam prope mensium obsidionis tædio affectus, & quod maximè vrgebat, pecunia inopi, quòd multo lusu aleæ ingentem pecuniæ summ stipendijs destinatam, gemente Valorio legato, importunissimè perdidisset, et Conradus Hessius, Getus Germanorum dux, & Valde felix aleator, eam fermè totam absumpsisset, adeò importunè, vt quum Hispani atque Itali debita stipendia flagitarent, Aurantius pudendis circumuentus difficultatibus, nihil potius atque expeditius reperiret, quàm vt expressa vel nõ acerbis conditionibus deditione, arumnoso bello finem

lo finem imponeret. Ad ea persuadenda ipsius Valerij authoritas plurimum valebat. Quoniam ex arcanis mandatis à Pontifice de patriæ salute solicito etiam atque etiam admonebatur, ne expugnandæ per vim vrbis casum necessarium duceret, daret q̃ operam, vt sine sanguine victoria quæreretur, quòd nequaquam sibi data patria, sed incolumi opus esse prædicaret. Eadem etiã Pontifex perscribi ad reliquos duces, Ferdinandumq̃ in primis Gonzagam iubebat, ea conditione, vt his certis præmijs gratiã seruatæ patriæ relaturum polliceretur. Hæc vbi Cencius è castris rediens, Malatestæ renunciabat, cũ bona spe concordiæ Zanobio communicabantur, & per eum sedulò, & quantũ fieri poterat occultè, ad eos emanabat ciues, quos incolumis patriæ cura totius obstinatæ factionis oblituisci cogeret. Verùm rectæ salutariq̃ paucorũ prudentium, insana multitudo imperitorum popularium facilè superabat, ipso præsertim dictatore peruersissimis opinionibus imbuto, & rem ad extremum violenti conatus casum deducere cupiente, ita vt accersendum cum omnibus copijs Ferruccium, defensis Volaterris ingenti virtutis opinione à popularibus sublatum, & periclitari extremo conatu Etrusci imperij fortunam statueret. Itaque Ferruccius à senatusconsulto reuocatur, & quid fieri opor

oporteat ex præscriptis mãdatis docetur. Summa consilij hæc erat, vt per Pistoriensium montes ad vrbem Florentiam duceret, & decedens dextrorsum à Fesulis, ipso Malatesta erumpente, atque excipiente occasionem nobilis pugnæ edendæ, qua patria obsidione liberari posset, opportunissimè præberet. Ferruccius qui quassata mœnia reficiebat, acceptis à senatu literis, Marco Strozze, & Baptistæ Gondo, qui Florentiam missi fuerant, viris prætorijs, vrbis custodiam commẽdat, cum singulis militum centurijs attribuit Nicolaum & Gualterotum Strozzas, Alexandrúmque Monaldum. Imperat etiam Volaterranis decem obsides, qui castra subsequantur, captóque itinere secundum Cecinam amnem, ad Vada Volaterrana descendit, atque inde per Liburnũ antiquæ Labronæ turritum oppidum, Pisas contendit. Ibi aliquot consumpsit dies apparandis his rebus, quæ ad profectionem pertinerent, imperandisq; præsertim pecunijs, vt milites qui stipendia seditiosè flagitabant, tumultu à Corsorum cohortibus orto, præbita pecunia pacarentur. Eam autem viritim mercatoribus imperatam, vsque adeò impotenter extorquebat, vt quibusdam præsentem laquei mortem horribili voce interminaretur, alijs porrò in summa domus cœnacula contrusis, nisi pecuniam expedirent, fame pereundum esse

esse denunciaret. Quæ sæuitia acerbitatéque vsus sicuti Volaterranos afflixerat, ita à Pisanis magno fuerat impendio patrimonia distrahere coacti, tantam auri summam, quæ menstruo stipendio satisfieret, corrasit. Exinde Pisanos ad vnum omnes, qui arma ferre possent, tanquam veteris memores libertatis, propterea quòd ab iusto odio Florentinis suspectos, patria excedere iussit, quanquam Pisanorum optimates octoginta numero, obsidum nomine Florentiæ seruarentur. Adduxerat paulò ante Pisas aliquot exercitatorum militum cohortes. Paulus Ceres Rentij filius, dux impiger. Cum eo belli gerendi consilia Ferruccius communicat, cogitq; in vnum omnes copias producti. Is autem omnium vexillis, quum inspicerentur singulæ cohortes censa sunt tria millia peditum, galeatorum vero equitum numerus, & pileatorum Epiretici generis leuioris armaturæ, qui erant peltati quingentorum summã implebat. His præerat Nicolaus Masius è Nauplio Peloponesiaco vir egregiè fortis, cui Pulledro, Epirotica lingua cognomen fuit: Galeatos autem theracatosq; ducebant veteres ac clari nominis præfecti, Carolus Ciuitellæ regulus, & Amicus Arsula. Præter has copias solicitarat etiã montanos Pistorienses homines Cancellariæ factionis, qui sicuti promittebant, suis illæ iter

haben

habentibus prestò futuri sperabantur. Sarcinarijs autem iumentis multis vndique vicinto imperio contractis supra centum ligneas tubas, quæ sulphuream flammam euomerent, imposuit: atque item decem minora tormenta, quæ moschettos appellant, & ligneis canterijs impositæ subitaria in pugna ad confirmandas acies peditibus præsidio aduersus equites esse consueuerunt. Cum his copijs cognitis apparatu & cum aliquanto commeatus copia, biscoctijq; præsertim panis more nautico, quæ properantibus per nemora & syluas suffi ceret. Vel si nihil omnino paruti commeatus, montanorum agrestiumque hominum tenuitate nanciscereturreluctante genio, Lucensi porta signa eduxit, conuersusq; ad quosdam præfectos fatali proloquio: Fortissimi viri, inquit, ad subeundam durissimi euentus Fortunam ire iubemur; neque reformidanda est vlla periculi vis imminens, quum omnino senatui sit parendum, qui nos alit, & in dextris nostris suprema salutis suæ spem reponit. Apparebat enim eum quibusdam secus ac consuesset, parum alacriter loquutum fuisse, quasi diuinaret quæ sorte ad alienum arbitrium susceptæ expeditione esset pugnaturus. Reliquit autem in præsidio Pisanum, qui Odoardo Giachinotto prætori parerent, cum singulis cohortibus, Matthiam Varanium Camertem,

& Bet

& Bettum Ranuccinum Florentinum, Michaelem q; à Montopoli, & cum his Epirotica stirpis inquilinum cum ala equitum Musachinum, Musacchio Setere fortiq; equitum præfecto genitum. His rebus constitutis, per Lucensium agros, atque inde subter Pisciam, & Collodium oppida ita agmen duxit, vt signa sensim ad lauam in superiores montes erigeret confragosisq; & syluestribus locis rectà versus sancti Marcelli pagum progreditur. Interim Aurantius de consilio itineréque hostium per speculatores certior factus, communicatum cum pauris totius negotij consilium per hunc modum maturè explicat. Ferdinandum Gonzagam in obsidione relinquit, & cum eo fermè omnes Hispanos pedites, multóque maximam Italicarum cohortium partem. Vltra Arnum porrò suis in castris Lodronium consistere, obseruareque hostium motus, atque intentiones cuigilare iubet. Scribit autem ante omnia ad Fabritium Maramaldum, atque Vitellium, qui in agro Pisano circum oppida, Vicum, Sancta crucis, & Focensium pagos æstiuabant, vt coactis cohortibus ad præcidendum Ferruccio iter, vestigijsq; insistendo, quanta possent celeritate maturarent. Ea quoq; Hispanorum tyronum manus, quæ per aliquot mensis Clamerio duce dimagnata paragrum, & mutando loca rapto sese

alueare.

aluerat, tanquam edicto Cæsaris stipendijs castrisq; exclusa ad Altopassum consederat. Vitellianas cohortes est subsequutus, adhortante ipso Vitellio ad nauandam ea expeditione operam, qua omnem consternationis & diuturnæ secessionis noxam redimerent, & noua promereri stipendia properarẽt. Præmittit etiam è castris Roscium Martium Columnam, & Scalengum cum suis cohortibus atque item Roscij alarijs equitibus Theodorum Bischeimium Epirotarum equitum præfectum, adiungit. Hos subsequitur Veterum Germanorum legio, ipseq; postridie cum vniuerso leui armatura & cataphractorum equitatu è castris proficiscens, tranato flumine Arno versus Pistorium contendit. Noctu autem iter faciens peruenit ad locum, cui Lagoni nomen est, castaneis arboribus frequentem, quæ locus est fere medius inter Pistorium & Gabinianum oppidulum. Ibi aliquantisper subsistit, vt equos modica quiete, & milites leui cibariculo recrearet, atque interim nuncios opperiretur, qui de itinere hostium certiora referrent. Eo modo quiescenti supervenit cursu citato fessus sacerdos, qui Aurantium requirens, adesse Ferruccium eúmque sancti Marcelli oppidum intrasse direptumque incendisse, vnde ipse vix effugerit, anxiè nunciauit, subdens Ferruccianos in tergo à Cæsarianis premi, quod

quod ex multo sclopettorum strepitu, noscerentur. Ab hoc nuncio bonæ spei plenus Aurantius, cùm lagenas poposcisset, & vina latis pateris funderentur, circumiectisq; in coronam ducibus, Francisco Prateo, Rossalijs, Hispanis, & Zucero Epirotæ hilariter propinaret, densissimus repente calo dudum sereno imber effusus est, & sq; adeò largus, vt cunctos sub diuo perpotantes latè perfunderet, & ad omen a quibusdam verteretur. Arrisit ad id sublato latiore cachinno Aurantius, & commilitones, inquit (vti video) in hostes nequaquam tenuleto agmine prouehemur, postquam nobis superi vina coronantes pocula benignè propitieque diluunt. Hæc fuere suprema eius verba, continuò efferri signa iubentis, quum paulò ante ducibus sua munia in omnem eminentis pugnæ casum tam sobriè quàm opportunè per hunc modum dispensasset. Hos enim quos diximus duces, cum vniuerso leuis armaturæ equitatu præire iubebat, quibus præsidij causa addiderat Pompeium Farinam cum trecentis pernicibus sclopettarijs, monuerátque eos, vt passim si qua paulò angustiora in stimere reperirent loca, per quæ difficulter equitatus transire posset, idoneis tumulis certas sclopettariorum manus imponerent, vt quum hostes conspexissent, si fortè premerentur ad ea præsidia sensim se recipere possent. Quod si planiora occurrer

currerent loca quæ non inepta equestri prælio fore prospicerent, tandiu distinere hostes lento certamine niterentur, quoad ipse cataphractis superueniret. Vbi equites ad Gabinianum oppidum peruenerunt, & portas sibi pandi postularunt, oppidani non aliter eos se admissuros responderunt, nisi Aurantius fidem daret sine maleficio milites ingressuros. Erant Gabiniani aduersæ factionis, qui edocti de Ferruccij aduentu fallacibus, restantis temptus extrahebant, quorum consilium non multò post ab Aurantianis est intellectum, quum oppidani è sacra turre conspectis è longinquo Ferruccianorum vexillis, eorum scilicet, qui præcurrebant equitum, sacri campani æris sonitu adesse iam Cæsarianos hostes signficarent, atque eo modo dum expectatur Aurantius, qui fidem præsens oppidanis daret, quòd multum interesset ad victoriam parandam, eo opportuno plenóque commeatus oppido potiri, equites circumflectentes se subter mœnia versus sancti Marcelli oppidum excurrerunt, & cum antecursoribus hostium leues pugnas serere cœperunt. Siquidem Ferruccius sanctum Marcellum ingressus, paucis interfectis, & eorum domibus, qui erant aduersæ factionis, crudeliter incensis Gabinianum petere statuebat, ratus hostes nequaquam tanta celeritate occursuros. Dum oppido

oppido egrederetur, conspexerat turbam mulierum cum liberis rerum suarum onera capitibus portantium, quæ aduersa porta exijssent, in montes altissimos euadentem. Nonnulli propterea locorum periti milites, qui de aduentu hostium certius cognouerant, Ferruccium cohortari cœperunt, vt eodem montium dorso, quo ire pergerent mulieres, agmina educere vellet, quòd id montanum iter angustam viam, & vtrinque abruptissimos haberet deiectus sic vt hostes illac nõ facilè persequi possent ascendentem in ea Apœnini juga, qua demum æquiores quanquam longiores vias dextrorsum haberent, & per eas ad Scarpariam & Mugellanum agrum descendere possent. Paulus Rentij filius leuem putabat impedimentorum iacturam, modò incolumes elusis hostibus eò peruenirent, quò vocarentur. Sed Ferruccius elato spiritu id consilium quod timoris & fugæ indicium præbere posset, detestatus recta progredi cœpit. Præibant equites Carolo atque Arsula ducibus, & cùm non amplius duobus millibus passuum Gabinianum abesset, anteseguanæ cohortes, quas ductabat Bernardus Strozza, cui cognomentum Captiuantio fuit, ad Gabinianam portam applicarent, postremæ aciei vexilla ad portam sancti Marcelli adhuc erant. Iter non admodum erat

impeditum, sed paululum per accliuia descendere oportebat, quoniam sancti Marcelli oppidum in ima valle positum est, & perpetuis vndique montium iugis præcingi videtur. Iam Cæsariani, qui cum Roscio Theodoroque vt diximus, præmissi fuerant, insistentes vestigijs nouissimos carpebant: nam Roscius expeditam sclopettariorum manum, sublatis singulis in clunes equorum, aduexerat, quæ procursando displodendóque magnopere hostes vexabant. Maramaldus autem à Calamecha vico, vbi pridie hostes castra fecerant, eos sanctum Marcellum petere conspiciens, ad lauam fidis viaductibus vsus, per superiorum montium & syluestrium tramitum compendia ad Gabinianum peruenerat. Alio quoque breuiore itinere, quanquam aspero, Vitellius non procul ab oppido dudum consederat. Interea Ferruccius albo vectus equo districtum tenens gladium suos hortabatur, vt compositis ordinibus ad præoccupandum oppidum, quod erat in conspectu festinarent, propellerentque vrgentes hostium equites: nam Carolus & Arsula singulari virtute dimicantes non sustinebant modò, sed redintegrato sæpius vtrinque impetu per declines ripas aduersos, & terga vertentes hostes se recipere cogebant. Dum tumultuosissimè magnóque strepitu pugnaretur, quod è Ferrucciana acie certa sclopettariorũ manus emit-

mittebãtur & Pompeiani quos diximus, equitum præsidio missi, equestri prælio se immiscuerant, multique iam ceciderant, Maramaldus ab aduersa porta, & partim à facilè disiecta mœnium maceria oppidum est ingressus, Ferruccio iam ab anteriore porta signa inferente. Atque ita per oppidum atrox & cruenta editur pugna, sic vt in medio foro magna contentione certaretur: nam Ferruccius ingenti animo in pedes desiliens, abrepta pedestri lancea fortissimè rem gerebat. Nec suis deerat Maramaldus, quin magna vi facto cuneo, toto platea spatio potiretur. Interim ex Ferrucciano agmine pars secuta ducem, ingressaque oppidum operam nauabat, pars deflectens secundum murum, apud Castaneti ingentes arbores idoneum nacti locum, quo se aduersus insultantes equites tueretur, dissolutis sclopettis aduersa glandium procella hostes obruebat. Ab his vt postea compertum est, qui erant numero fermè quingenti, cum Aurantius adducto cataphractorum agmine, vt prælio interesset, per arduum ripæ callem eniteretur, vectus spadice equo, & gladium vibrans, gemina glande traiectus equo decidit, nec tamen statim est agnitus, cum argentea veste, & auratis armis carptim exueretur. Ferunt eum priusquàm vulneraretur cum Nicolao Mutio, qui prius occurrerat, singulari certamine col-

latis equis contendisse, cùm Græcus ferrea clauа et galeam pertunderet, ipse verò equestri mucrone ad eum perfodiendum iteratis ictibus vteretur. Sed Masium catzphractorum impetum veritum, ad castaneas refugisse, Aurantium autem audacius se prouehentem lethalia vulnera sustulisse. Eodem ferè tempore Vitellius in agmen secundæ hostium aciei quam Paulus Rentij filius ductabat, ex obliquo perpportunè inuectus, ad primam ferè impressionem ita perturbauit, atque discrecit, vt omnibus vexillis in vnum de more conglobatis petiretur, vel acerrimè resistente Paulo qui dimisso equo constantissimè pugnans, aciem componens, & pugnã instaurans, ad oppidum perrumpebat vt Ferruccio opem ferret. Caterùm vbi Aurantium cecidisse, & catzphractorum agmen fœdum visu, atque incredibile dictuque totum retro in fugam præceps dedisse vulgatum est. Ferrucciani sublato victoriæ clamore se conglobare, et perterritis insistere cœperunt, ac nisi Germani qui se nihil adhuc commouerant, sed phalangem suam instar arcis ad socionum receptum, non procul ab oppido in ordine continebant, in viam progressi, tumultuarios hostium procursus repressissent, proculdubio nemo equitum fugere destitisset, cum eorum pleriq;. & ante alios Rossales exemplum Antonij Hiscera, qui catzphractis præerat, se-

quutus

quutus, intenta fuga vsque ad Pistorij portas profugissent, tanta perturbatione, vt & in castris ad Gonzagam, et in vrbe ad dictatorem interfecti Aurantij, fusique exercitus fama deferretur. Eodem puncto temporis, Vitellius Pauli cohortes oppidum intrantes vrgendo, cadendóque aliquandiu persequutus, opportunè deflectens ad portam, qua Maramaldus intrarat, vt ei maturam opem ferret, signa intulit, & vsque adeò sauum certamen renouatum est, vt in plateam coacernatis cadaueribus impeditam penetrare vix posset. Sed Ferruccius & Paulus ex longa pugna, maximóque meridiani temporis feruore fatigati, in quandam editiorem domum se receperunt, atque inde sclopettis rem gerere perseuerarunt, donec ab equitatu leuis armaturæ, qui Rossalem fugientem præ pudore sequi noluerat, confertis turmis conglobato, hostium equites ad vnum omnes profligati deletique sunt, quum paulo antea cohortes, vel quæ oppidum ingredi nequierant, vel quæ Ferruccij iussu extra remanserant, Aurantiumque interfecerant, clauis vtendo ferreis, quibus galeæ quidem vix resistebant, prostratæ fuissent, neque ea die magnopere victis profuerunt præparatæ ad id tubæ sulphureum vomentes ignem, quum aliquot tantum in Germanos & equites iacere licuerit, nec direptis & perturbatis

turbatis impedimentis, moschetti expediri, aut canterijs uti sperassent, imponi nequiuerint. Ferruccius & Paulus aduersæ pugnæ exitum, atque infestam Florentino nomini Fortunam agnoscentes, quum ipsorum milites aut interfecti aut capti essent, expugnatisque atque direptis singulis oppidi domibus, Maramaldus certa victoria iam potiretur, se dediderunt, móxque Ferruccius, uti erat armatus ad Maramaldum perducitur. Tum verò Fabritius, An quum Volaterris tympanistam meum contra militia morem laqueo impiè suspendebas, te unquam ad manus meas peruenturum putaras? Tum ille, Hæc non iniqui semper Martis sors est, qua tibi bellum gerenti obuenire potest. Sed tu si me occidas, neque utilem, neque decoram ex mea nece laudem feres. Sed itidem obturgans, & ex mercatore ducem factum appellans, victor ei galeam, & thoracem detrahi iussit, gladiumque gutturi impegit, & militibus conficiendum reliquit. Erat Ferruccius excelso corpore, excelsoque animo, sed admodum superbo, tumidioreque facundia, ita ut non longo quidem belli usu edoctus, sed naturali quodam Etruscæ solertiæ vigore præditus, singula munia cum admiratione non ciuium modò suarum, sed militum implendo strenui militis & iusti penè ducis speciem præferret, sed qui adunco naso, pallóreque multo & oculis

oculis sanguineis insitam feroci ingenio crudelitatem fateretur. Audiui ego postea à Maramaldo, quum eius cædis damnaretur, se nequaquam ex priuata iniuria, sed quodam non impio pudore percitum eũ seruare noluisse, ne incolumis hostium dux, post quàm tantus imperator cecidisset, seruaretur. Quando sibi honestissimum fore duceret, si eum in gratiam militum, Germanorúmque præsertim, pro victima Aurantij manibus immolaret. Caterùm Aurantij cadauer iam armis omnique amictu nudatum sub ipsam cataphractorum fugam Tentauilla Gallus eius familiaris, agnitum collectúmque extra oculos militum asportauit, & stragula lanea vesti inuolutum in sacello collocauit, donec parta victoria suscepturus in ceruicem robustioris equi, brachijs & crinibus utrinque pendentibus, lugubri humanæ miseriæ spectaculo Pistorium est deuectus, non absimili fati sorte ac Borbonius fuerat creptus, quum uterque in limine victoria sua ceciderit. Ferunt in eo, qui nondum trigesimum ætatis excesserat annum, perillustres liberalis animi, & pugnacis ingenij virtutes, quibus studia militum, ut alibi diximus cum insigni gloria, & non obscuro quodam dolore Cæsaris promerebat, cum militibus defensi Neapolitani regni oppida, tanquam sua, quæ aliena erant, profusissimè largiretur, & ante

alios semper in acie conspicuus pugnam cieret. Ortus erat Salonia familia apud Sequanos illustri, præferebatq; indolē inclyti futuri ducis, nisi id summæ gloriæ decus intempestiua præuaricatione, qua temporis spatio atq; integra ætate pararetur, præseruidus affecta asset. Cecidere ea in pugna paulò minus duo millia hominum vtriusque partis. nam multi postea ex vulneribus perierunt. In his autem fuere acerrimè pugnantes Ferruccianorum cohortis præfecti, Capitaneus Borgensis, & duò è Corsorum gente, Paulus & Franciscus, atq; item Carolus Ciuitellæ comes, qui equestri prælio longè omnium promptissimè dimicarat, & Alfonsius Stipicianus Farnesia matre genitus ipsius Pauli Ceritis propinquus. Ex Fabritianis verò Ioannes Maius inter Brutiarum cohortium præfectos pugnacissimus, & tres cum eo signiferi occisi sunt. Amicus quoque Arsula Martio Columnæ pecunia redimēti traditus, necatúsque est, quò Scipionem Columnam patruelem suum, Malliana in pugna, ipsius Amici manu interfectū fuisse diceret, ignobilis hercle facinore, sed vsitato huius seculi Romanis, qui iniuriarum perpetuò memores, vindictas auidi, inimicorum sanguine propinquorūm suorum manibus auidissimè parentare consueuerunt. Masius verò à suæ gentis equitibus captus, aquo iure militia facilè se redemit. Captiuantius

uantius quoq; Strozza grauiter vulneratus, curatus q; apud hostes, mille aureorum nummum pretio dimissus est, cùm Paulus Ceres eadem militia lege aureis nummis quatuor millibus à Maramaldo libertatem impetrasset. At Florentini vel hoc aduerso Ferrucciana pugna euentu vehementer perculsi, nihil se animo demittebant nihilque obiter ad petenda pacis consilia flectebatur, nam populares insana contumacia & summa acerbitatis homines, quorum peruicacibus ingenijs Respub. regebatur, extrema supplicia à barbaro hoste perpeti, & capta conflagrantis q; patriæ interitum conspicere quam deditione se victos fateri malebant. quoniam suprema auxiliorum spe decidissent, deuenissent q; ad vltimam alimentorum inopiam, qua vna non ciuium modò & imbellium tanquam propinqua morte, sed militum vires atq; animi frangerentur, ad id extremi consilij decretum decurrebant, vt longè grauissimo impetu ad salutem, aut si non ita sors ferret, non indecorum commune exitum, in hostes erumpendum esse censerent ipso ante alios concitante dictatore, cuius mentem inueterato de prauatam odio, atque ipsa afflictarum rerum desperatione perturbatam, nec religio, neque erga patriam pietas, neque vlla demum prudentiorum consilia sanare poterant, quin in ipso honore magistratus, ipsoque iam prouiso peritura libertatis & cadentis vrbis su-

nere, mortẽ oppetendam decerneret. Huic diu insistentes consilio, per eos dies, quibus Ferrucium Pisis mouere iusserãt, à Malatesta Stephanoq; intentè & grauiter postulabant, vt in eandem committendæ pugnæ sententiam deuenirent, & fortibus explicatis consilijs, expeditisq; efficacibus armis secum adesse vellent, qui pro libertate salutẽq; patriæ, suprẽmi certaminis aleam subire statuissent. Ad ea duces, quod ita ex vsu salutẽque ciuitatis & sua dignitate rebantur esse, de scripto his verbis dictatori, decurionibusq; responderunt, vt eos iusta militiæ ratione à temerario exitiabilique decreto deterrerent. Vtpote qui honesta pactione, vt antea per Cencium Strabonem Aurantij sensus pertentassent, de deditione transigere, quàm rem ad periculosissimum prælij discrimen deducere, multò satius atque salubrius esse iudicabant. Quum sæpe alias accuratè deliberando, excelsi Reipublic. præsides, de eruptione consulturi semper nobis vna atq; eadem sententia fuit, vt id periculosæ aleæ discrimen tanquã funesti exitus, libero ore detestaremur. Nam pro disciplina cuncta bellicæ rationis momẽta diligenter expendentes, facilè prouidebamus, nos iniquissima locorum & rerum omnium conditione cum hostibus pugnaturos, quandoquidem numero virium inferiores, vti præclarè liquet, & vos omnes facto sapius periculo perspexistis, nisi temere & caco impetu hostem adoriri expugnaréque non possumus, munitissimis scilicet & distinctis vallatum castris, equitate loci fretum, & multo tormentorum apparatu instructum. Itaq; nihil à priore sententia discedimus, nostri nanque muneris atque existimationis est, ea afferre consilia, qua ciuitati tuta atq; salubria sint: ea verò, qua certum incommodum & luctũ, atque adeò summam calamitatem prænuncient, repudiare penitus atque damnare, nec mediocris subinde animis nostris bellici decoris cura insideat, ne si militiæ parũ peritis, quod syncere dictum vos æquo animo laturos scimus, temere atq; indulgenter obtemperemus, non obscuræ inscitiæ, tumentisq; arrogantiæ apud vniuersas gentes damnemur, & superos hoc tanto admisso piaculo grauiter offendamus inexpiabilemq; subeamus inuidiam si malè sano præcipitiq; nostro consilio, patriam vestram omniumq; florentissimam, et quod ad Italiæ publicum decus attinet auaritiæ atq; immanitati Hispanorum & Germanorũ occupandã atq; delendam, terrimo vrbis Romæ exẽplo, obijciamus. Sed postquàm à nobis nunc hoc vnum postulatis, vt quæ eruptionis via inter omnes maximè difficiles, tutior atq; aptior videri possit, demonstremus. Primum omnium scire vos oportet, castra hostium

stium ita perductis & coniunctis munitionibus esse permunitæ, vt nequaquam è montibus sicuti speculando deprehendimus, aliunde instructa acie descēdere liceat, quàm duabus omnino vijs, quarum altera est secundum Roscianam villam, & subter Margaritæ Monticiæ templum, qua ad ipsa Aurantij castra peruadere possumus, altera relinquitur per vallem, quæ ad Gallū, vbi Hispanorū sunt munitiones, perducit: nam vtrinq; aggeres aliquanto longius quàm alibi inter se distant, vt sine detrimento ad ipsas vsq; munitiones peruenire posse appareat. Neq; enim è Fridiana porta conseruatis ordinibus erumpere licet, quòd euadentibus tormētæ hostium Oliuetano in podio constitutæ & certius collibratæ immineant, quæ singulare incōmodum afferre posse facilè demonstrant, sic vt Germanos etiā è suis Pulueroſa castris, cognito nostrorum egressu, nihil moraturos credere par sit, quin à tergo vehementer atque celeriter incumbāt. Pari quoq; ratione, quo pacto Catelina porta tutò educi agmina possunt, non videmus, quū hostium munitiones adeò mœnibus sint propinquæ, vt intra teli iactū portā despiciant, egredientesq; non maioribus modò tormentis, sed ipsa sclopettorum procella obruere facilè possint, prius quàm componi atque instrui ordines queant. Quòd si sancti

Georg

Georgij portam respiciamus, liquidò nihil insanius & perniciosius accidere posse iudicandum est, quàm si illac erūpere conemur, quandoquidem in conspectu sit Barduccia castra propugnaculum, quod portæ opponitur, multitudine tormentorum vndiq; permunitum, quo petari potest & egressus ipse, & tota adimi instruendæ aciei facultas. Barduccio quoque coniuncti sunt perpetui aggeres, qui directa serie totius protracta munitionis ad Giramontem vsque pertinent, & vsque adeò vrbi proximi sint, vt aliunde quàm duobus ijs, quæ diximus, itineribus tentari eruptio nequeat. Cæterùm nos magnopere permouet, omnem q; audacioris consilij rationem & spem perturbat, dubitus & anceps qui proponitur, expugnandæ munitionis euētus. Sed esto quod impigrè aggeres conscendamus, atq; ipsa hostiū munitione victores potiamur, num idcirco spe randum est, vt Germani atque Hispani sibi desint? nec se colligendi instruendiq; spatium habeant? vt dispersos, & in expugnāda munitione fessos, inordinatosq; nostros confertæ acie nequaquā inuasuri credantur? An non Italicas cohortes, quæ & in tergo & dextrorsum sua minora separatim habent castra, intanto tumultu cessaturas, quin accurrant putabimus? Et non rectè suspicabimur Lodronianos Germanos è Pulueroſa castris & tyrones

rones quoque Hispanos superato Arno labe rantibus suis occursuros? Quòd si planioribus locis iuxta Arnum maiore circuitu, vt quibusdam videri potest, sit erumpendum, infelici certè audacia, atq; infausto cõsilio agmen nostrum per patentia loca perducetur, quum vniuersum hostium equitatum vestigijs extemplò insequuturũ, & pedestres copias equestri nudatas præsidio perrupturũ facilè ominari possimus, præterquàm quòd aliquanto minore cohortium nostrarũ numero, id iter sit tentandum, quum necessariò relinquẽdæ sint firmæ præsidia in munitionibus, quæ sunt ad sancti Miniati, sanctiq; Georgij colles, qua vrbem tueri valeant, si fortè hostes animaduerso neglectoq; longiore nostrorum itinere, non absurda occasione adducti, commodéque inuitati, montem inuadant & occupent, atq; inde vrbem vacuam militari præsidio confestim adoriantur. Proinde pensitatis vtrinque viribus rerumq; periculis, in hoc decretũ descendimus vt nos confirmare non pudeat, hostes vndiq; numero, viribus, æquitate loci, apparatuq; rerum omnium esse superiores, melioreq; ideo quàm nos Fortuna. Vti facto sæpius periculo omnino pugnaturos. Nihilo secius tamẽ profitemur, si imperabitis, nullum vel salutis vel existimationis nostræ discrimen reformidaturos, modò ea, quæ dictator in rem

rem opportuna sæpius promisit, egregiè præstet, ostendemus q; proculdubio, nec q; fide, nec q; industriam, nec q; si dicere fas sit, virtutẽ probis dignã ducibus nobis erga vos omnino defuisse. Hæc tradita decurionibus, et per omnes ordines lectitata, quanquam iniquis auribus atq; animis acciperentur, aliquos tamẽ de salute publica maximè solicitos impulerunt, vt in tanta negotij difficultate sententias à præfectorum primoribus separatim exquirendas censerent, vel ob id, quòd Malatesta & Stephanus de scripto significarant, se omnes cohortiũ præfectos pridie aduocasse, propositoq; pugnæ consilio, & quãnam parte quoue itinere, si ineundi prælij optio probaretur, erumpendum foret, affirmarant eam esse omnium sententiam, nisi iniquissima conditione prælio certari non posse, sic vt ciuitatẽ maximè euidenti supremæ calamitatis periculo obijci conflaret. Itaq; quum ab aliquibus probatæ virtutis & fidei præfectis sigillatim sententiæ exquirerentur, neminẽ fere reperiebant, qui tantæ rei difficultates audacioribus eleuaret verbis, aut vllis omnino prosperè edendi prælij spem promitteret, quanquã ad vnum omnes se dicto atq; imperio obtemperaturos, & fortem nauaturos operã pollicerentur. Sed vnus ante alios ætatis honore, & longo militiæ vsu facilè superior, Pasquinus Corsus, qui sub Io-

anne Medice ſpectata cum laude ordines dirigerat, quanquam inculta facundia, nõ inepta tamen, vſque adeò liberè commemoratis difficultatibus atq; periculis diſſeruiſſe viſus eſt, vt nihil ſtultius atque damnoſius fore teſtaretur, quàm li eruptione pugnandum ſtatuerent, propterea q; infenſis toruis q; oculis eum populares intuerentur, & nonnulli comprehendendum at q; extemplo capite puniendum dicerent. Quo rumore ad eius aures perlato, Paſquinius poſtea curiæ limine abſtinuit, nec niſi ſuorum cohortibus ſtipatus, in area verſari auſus eſt. Neq; propterea magiſtratus, quin obſtinatè in ſententia perſiſterent, perſuaderi vllo modo poterant, nam idemidem ſingulis diebus ab vtroque duce flagitabant, vt omnino ad erumpendũ corpora at q; animos & neceſſaria arma compararent. Quibus importunis expoſtulationibus, ducesita & de ſcripto ſemper reſpondebant, vt magnopere ea conſilia deteſtarentur, quãdo manifeſtum totius belli, ſummaq; rei diſcrimen agneſcerent, ideoq; pacis at q; concordiæ æquas rationes præferrent, ac obiter, poſtquã de conditione loqui cœpiſſent, poſtulabant, vt ſibi ad Aurantium duos legatos mittere liceret, quorum fideli induſtria eius introſpici exploriq; ſenſus omnes, atque referri certius poſſent, quoniam de eius voluntate poſtulatis q; diuer

diuerſa ab his quæ magiſtratus dicerent, audiebantur, nec ea quidem de cauſa, vt ipſis tractanda compoſitionis negotium eriperent, & ſibi vſurparent, quod publici magiſtratus muneris eſſe fiterentur, ſed vt exploratius, quæ tractarentur, agnoſcerent, ſibique vti deceret at q; æquũ eſſet, tempeſtiuè cauerent. Id verò præclarè confirmabant, ſi ſuperbus hoſtis honeſtas pacis conditiones repudiaret, & libertatis nomen reuellere, potiriq; ad arbitrium dedita ciuitate cõtenderet, aut ſi populus ab omni concordiæ mentione auerſus foret, pugnandum q; decerneret, ipſos non recuſaturos vel certiſſima mortis periculum, quin donec vitæ ſuppeteret, pro ſalute dignitateq; vrbis decertarent, quãdo ſe nuſquam aut nobilius aut honeſtius vitam morte commutaturos arbitrarentur. Sed id vnum præcipuè ab æquitate ſummi magiſtratus poſtulare, vt aduocato maiore populi conſilio, ipſis concionandi libera facultas daretur, ſcilicet, vt propoſitis inſtantium diſcriminũ difficultatibus, an eadem omnium foret, quæ tum decurionum eſſet, repudianda concordiæ atque appetendi præli voluntas, numeratis ſuffragijs explorarent. Quod ſi ex mora & prolixa cunctatione temporis beneficio ſrui poſſe confiderent, ſubindeq; remedium certũ aſſectis rebus alicunde afferri poſſe ſperarent,

sibi magnopere opportunum & planè necessarium videri, vrbem multitudine imbellium exonerasse, quo inopia leuaretur, quũ tam fames vrgeret: ipsos etenim certis præsidijs eam turbã in tuta loca mœnibus feliciter educturos, deceptis scilicet, aut si ita casus ferret, strenuè repulsis hostibus. Tũ verò se daturos operam, vt milites æquissimis animis obsoniorum omnium, viniq; inopiã ferrẽt, modò illis præsenti pecunia ad diem stipendia solueretur. & quando cuncta alia eos alimenta deficerent, pane etiã cibario atq; furfuraceo contentos fore. Interim dum senatus his grauissimis dissentientium ducum responsis, seueris q; obtestationibus angeretur, ferè vno tempore in curiam certius allatum est, Aurantiũ postridie Cal. Augusti cum delecta parte exercitus è castris, ad opprimẽdum Ferruccium contendisse, posteroq; die eo cuentu conflixisse ad Gabinianum, vt ipse in primo congressu caderet, & eius equites terrore concepto in fugã verterentur. Sed mox tanta vi à reliquis ducibus instauratã fuisse pugnã, vt Ferrucciana copiæ ipsarum duce interfecto, & Paulo Cerite capto, amissis vexillis funditus delerentur, nec tam vlla spes reparandi exercitus superesset. Quo atroci nuncio, quanquã in vniuersum ciuitas admonebatur, vt ad deditionis tractãdæ cõditiones tẽpestiuè decurreret, nihil tamen

tamen principes popularis factionis, qui erãt in magistratibus tanto cõmuni periculo permouebantur, sed magis ac magis duces vrgebant, ita vt ab his in ipsum committendæ pugnæ decretum præsentem operam exigerent, qua eorum virtutis simul & fidei in extremo Reipubli. discrimine periculũ facturi essent. Erat is peruicacium animorum habitus vsque adeò stabilis & confirmatus, vt Malatesta magnopere miraretur, cur Florẽtini præsides nihil omnino de priore sententiarum ferocia remitterent, quandoquidem res aduersæ aliàs comminuere vel insolẽtium spiritus solerent, ipsis autem adaucto periculo mirum in modum augerentur: sic vt hæc non ab insita animorũ fortitudine, sed à violentæ quadam rabie, desperationeque rerum proficisci prædicaret. His de causis fiebat, vt nonnulli ex primoribus popularium eam Malatestæ oris libertatem, & obsequendi contumaciam tanquam dubiæ fidei implicitã apertè calumniarentur, adijcerentq; non ideo illũ, qui natura pugnacis esset ingenij, reformidare prælij euentum, quòd hostium vires insuperabiles putaret, nec quòd vrbanas res æquo impensius propter annonæ inopiam afflictas arbitraretur, repugnare magistratuum voluntati, officióque suo deesse, sed eum prorsus Clementis promissis atque muneribus corru-

ptum, militiæ sacramentum neglexerè, ob idq; se dicto atque imperio audientem minimè fore statuisse. Nec defuit feroculus notus senator Andreolus Nicolinus, è decurionum numero, qui diceret Malatestam, quum veniret in curiam, comprehendendum esse, atq; extemplò Pauli Vitellij exemplo capite mulctandum. Quam atrocissimi de se iudicij cogitationem Malatesta facilè subodoratus, usque adeò grauiter tulit, vt quum inermis, & paucis à pedibus seruis, humili vectus mulâ, quòd esset tenuissima valetudine, ad decuriones consultandi causa ascendere consueisset, vir æquè ferox & suspicax, numeroso satellitum comitatu septus, eo die ad senatum accederet, ita dispositis in limine atque atrio curiæ scalis q3 & superiorum conclauium singulis foribus, armatorũ præsidijs, vt aduersum omnem intestinam, vim, quæ inferri posset, munitissimè se cõfirmaret, & libero ore in cõfessu quæreretur fidem suã in dubium à quibusdam contumeliosè reuocari, desperatiq; sua consilia, quæ de compositione protulisset, studio quidam propensissimo conseruandæ ciuitatis, postq; iam ipsis cuncta ommino aduersa, hostibus autem, si tot irritos conatus enumerarent, prospera atq; felicia prouenissẽt. Propterea se superos orare, vt eam mentem senatui darent. Vnde ipsorum consilia complecterentur

rentur, quæ Reipublicæ salutaria forent, postquàm eò esset deuentum vt minimè prolixa deliberatione opus esse iudicarent. Decuriones ad ea mitissimis verbis respondêrunt, diluerunt q3 adeò appositè totam eam suspitionem, vt ipsi & Stephano binos legatos ad Ferdinandum Gonzagam mittendi facultatem concederent, (ad eum siquidem, mortuo Aurantio, militari consensu summa imperij authoritas reciderat) quibus de compositione loqui referreq; liceret. Tum verò Malatesta discessit, & re cum Stephano communicata, legati confestim ad castra hostiũ missi sunt. Sequenti die dictator cũ decurionibus atq; decemuiris legatos adijt, qui eam esse mentem Cæsaris à Ferdinando referebant, vt incolumis libertas ciuitati seruaretur, & his quidem conditionibus, quæ neq; immodica, neq; ab vlla parte omnino spernendæ videri possent. Sed adeò malesana erat populorum voluntas, vt nihil sibi ex conditionibus detrahi vellent, quibus futurũ intelligebant, vt reductis Medicæis atque patritijs, popularis status forma mutaretur. Vnde ipsos, qui tum publica munia in lucro haberent, magna ex parte excludi apparebat. Nam plerique non ad decus Reipublicæ sed ad priuatũ quæstum, magistratuum honores renouabant, quibus mediocres & nonnulli ex fæce populi homines ditari consueuissent, postquàm

nobilitas perculsa populariũ metu in exilium abijsset. Itaque non multum inter se consultantes, propositæ concordiæ conditiones superbè repudiarunt, & ad pristinũ experiundæ prælij Fortunæ decretum redierunt, tantæ obstinati animi perseuerantia, vt Malatestæ eam esse senatus vltimam voluntatem significarent, ipsorum ducum consilijs vti nolle, sed ab his tantum fortem fidelemq; militiæ operam requirere. His acceptis mandatis, duces, vsque adeò intempestiuæ atq; execrabilem decurionũ dictatoriſq; præsertim pertinaciam stomachati, quòd ipsorum vel certissima rationis consilia nihil valerent, atq; improbè despicerentur ab his qui militiæ imperiti cornere, & secum in eandem ruinam extremæ calamitatis, patriam cæca libidine trahere mallent, quam necessario non iniquæ pactionis remedio sese suaq; omnia confirmare, his verbis per Cencium Strabonem de scripto responderunt. Postquàm vobis excelsi Reipublicæ præsides immota manet mens, ea penitus asservari cõsilia, quæ toties opportuna periculo quo premimur. Syncerè studioseq; protulimus, nunc tandem arbitrati sumus, sicuti viros militares & non obscuræ præditos dignitate decet, oportet q; cunctas scilicet militiæ rationes ad bellicum decus revocantes (id enim vnum ipsa vita carius esse debet) nobis maturè consulendum, ne vobiscum, si impio vestro imperio parendum putemus, in idem exitium cum inexpiabili existimationis nostræ infamia perdicamur: quandoquidẽ nihil turpius atq; ignominiosius nobis accidere possit, quàm si huic vrbi, quam vndecimũ iam mensem impigrè defendimus, volumusq; non modò incolumẽ, sed saluis etiam, quòd maximè optatis, liberæ ciuitatis legibus florentem, horribile supremi excidij periculum ab insania inauspicatæ pugnæ cupiditate procreemus. Proinde certum est interesse nolle, neq; nos duces præbere huic peruersæ, ideoq; exitiabili funestaq; eruptioni. Illud autem, vt hoc consilij susciperemus, vehementer impulit, quòd vniuersæ ciuitatis iudicium sequi iustum honestumq; sit, quum multo maximæ partis ciuium voluntates ad deditionem proclinatas intelligamus, & idcirco ciuibus maius consilium, vti poposcimus, denegatum fuisse suspicemur, quo non dubiè, aduersis suffragijs pertinacia vestra frangeretur. Hæc scripta quum à decurionibus legerentur, Cencius militari libertate insolentes quosdam sermones, quibus magistratuum offendebantur animi, ita serere cœpit, vt ex transuerso decurionum obtutu non obscurus omnino metus ei incuteretur. Itaque vim apparitorum veritus, ille celeriter se explicuit scalasq; magnis passibus descendit. Quum ea ducum re-

sponsa

sponsa verbaq; Strabonis aliena prorsus ab eorum mentibus & planè contumeliosa viderentur, decemuiri cum decurionibus dictatoreq; in vnum coeuntes, vtpote qui elati atq; seueri aduersa vel acerba audire nunquã antea didicissent, raptim Malatestam ipso honore militaris imperij abdicandum censuerunt, solenniq; diplomate cum summa verborum lenitate perscripto, quo se dimitti perspiceret, ad eum extemplò duos senatores, qui ea in re magistratuũ decreta certius referrent, miserunt. Hi fuere Andreas Nicolinus, legatione, dum Bononiæ esset, apud Pontificẽ functus, & Franciscus Zattus, ambo populares, auersiq; penitus à concordia studio saluteq; ciuitatis. Habitabat eo tempore Malatesta trans Arnũ Binianis in ædibus, Catelinæ portæ propinquis expectabatq; vt magistratuũ mitescerẽt animi, & ad meliora consilia verterentur. Proinde admissis legatis, atq; his mandata, quæ habebant, referentibus, vbi q; adeò vehementer conturbatus iracundiaq; correptus est, vt Nicolinum districto pugione repetitis ictibus, sed dextra tamen debili vulneraret, quòd arrogantius quàm deceret, proloquutus videretur, vixq; illum astantes milites, vt legatis parceret, obnixè deprecantes, lenita ducis iracundia morte subtraherent, ipse verò Zattus grauissimo metu perfunderetur. Eius à Malatesta editi

editi facinoris perinde atrocis atq; superbi fama celerrimè peruasit in curiam, & incondítum totæ vrbe tumultum ita excitauit, vt eodem propè momento temporis cum ciues ipse, tũ milites ad arma decurrerent, & tota area singularum tribuum vexillis compleretur. Hic armorum strepitus ad id Malatestam impulit, vt occupandæ Catelinæ portæ consilium caperet, & Marguttem Perusinæ cohortis præfectum eò euolare iuberet, à quo fores refringerentur, & tormenta quæ in propugnaculo erant in hostes obuersa, ad terrorem atq; perniciem ciuium, si quid hostile auderent, illico conuerterentur. Tum verò dictator è fenestra armatas tribus prospectans, & subitæ exardens iracundia, quòd Malatesta perfidiosè atque insolenter legatos violasset, tantæ animi perturbatione casum est indignatus, vt sibi omnino in hostes, armato consequente populo erumpendum, ideoq; honestè cadendũ esse statueret, sibiq; instratum equum dictatorijs opertis exornatum, adduci iuberet, iamq; desumpta lorica dictatoria potestatis paludamẽtum, quod paulò ante in hos vsus confici curarat, superinduceret, & singularis amentiæ quodã furore percitus, spumeis labris & dentibus infrendens descendere pararet. Sic vt eum plerique ex populari factione, qui desperata venia plurimum de salute dubitabãt, si aduersarijs succes-

succubuissent, dictatorem laudando, quantiendoq; arma, magnopere concitarent. Eoq; die profectò lugubre ciuitatis spectaculũ Raphael furibundo similis edidisset, nisi constantissimi probiq; animi vetustissimæ familiæ ciuis Cecottus Tosinghus efferuescentis animi motum, in dictatore grauis dehortatione mitigasset. Ie enim propius accedens, patere, inquit, dictator, vt voce liberi ciuis vtar, & te non importunè tui muneris, tuæq; dignitatis, & publicæ omnium salutis admoneam. Nihil enim incommodius & pestilentius in magnis consilijs præcipiti iracundia esse potest. Proinde compescenda est hæc tua ardentis animi vis impotens, eaq; omnis ad rationẽ salubreq; consiliũ omnino conuertenda videtur ne cuncti, si eadẽ impetu cum externo atq; intestino hoste pro dignitate tuæ imperij dimicaturum subsequamur, vel non inulti miserrimè tamen barbarico gladio pereamus. Nam esto, quòd duces ad sanitatem redeant & milites dicto audientes esse velint, non video tamen, qua via nobis sit erumpendũ, nisi mœnia demoliamur vt egressuris latus aditus paretur. Neque enim quatuor horarum spatio, tot armatæ cohortes Catelinæ portæ educi posse constat, sic, vt si sensim educantur, nõ ante instrui queant, quàm hostilium tormentorum non dubia atq; ineuitabilis procella consternantur. Hos Tosinghi sermones nequa

nequaquam conuitiosè prolatos, ita nonnulli alij æquè prudentes exceperũt, quòd Tosinghus magni in re militari vsus haberetur, nam ab adolescentia Pisano bello præclara cum laude ordines duxerat. vt in dictatore impetus omnis conceptæ iracundiæ deferueret, & sese reprehendi ciuili modestia pateretur, omnesq; prope qui aderant, vt ex vultu singulorũ agnosci poterat, petendam pacem potius, quàm experiunda arma iudicarent. Accidit autem vt eadẽ hora trans Arnũ magna multitudo ciuium in aream templi Sancti Spiritus conueniret, & Malatestæ causam, factiq; ipsius nomen, quanquã violato ciue, non magnopere improbaret, detestareturq; palàm magistratuũ acerbitatem, qui vel honestæ concordiæ conditiones abnuerent. Decurtones autem offensi iracũdia atq; alienatione Malatestæ ne Rempublicam in summum discrimen adducerent, dissimulata iniuria Nicolini, Zanobium Bartholinum, quem tanquam amicissimum Malatestæ maximè idoneum iudicabant, ad eum inter duos supremi magistratus viatores miserunt, vt molliendo exorandoq; operã daret, ne ex eius perturbatione Respublica detrimentum pateretur. Is facilè placato Malatesta vti optimus ciuis, & publicæ salutis amãtissimus, rogauit etiã eũ priuato nomine, vt in negotio impetrandæ cõcordiæ, sicuti cæperat, satagere vellet

vellet, quando iniquissimum esset atq; miserrimum, vniuersam ciuitatem extremæ labis calamitatem subire, si paucis perditæ obstinationis, desperatisq; hominibus assentiretur, qui improbi atq; impij sui exitus famam ab excidio deletæ patriæ quærere properarēt. Excusauit Malatesta paucis verbis iustæ iracundiæ suæ impetum, quem in Nicolinum effuderat, Centumq; Strabonē paulò post in castra ad hostes misit. Is Ferdinandū aliquanto molliorē reperit, quòd eū Valorius de salute patriæ solicitus, magnis precibus Pontificis nomine, diligenter atq; vehementer obsecrasset, vt de concordia transigere maturaret, ne paucorum pertinacia, & sua cunctatione, vrbs nobilissima in periculum supremi casus deuocaretur. Iam enim excitati in vrbe tumultus fama, strepitusq; in castra peruenerat, exindeq; alacres fiebant milites, qui opulentissimā vrbem prædæ suæ destinassent. Nec multò post magistratuū peruicacia, melioriū impulsu, atq; ipsa prorsus necessitate superata, ex senatusconsulto quatuor legati ad Ferdinandū decreti missiq; sunt. Hi fuere Bardus Altouitus, Laurentius Strozza, Petrus Franciscus Portinarius, & Iacobus Morellius, qui apud Ferdinandū atq; Valorium summa Cæsaris atq; Pontificis authoritatis nomen præferentes, his conditionibus de cōpositione pepigerūt. Ante omnia

constituendæ atq; ordinandæ Reipublicæ facultas arbitrio Cæsaris permittitur, sic tamen, vt incolumi libertate Florētini suis antiqui iuris legibus vtantur. Ciuitas mulctæ nomine octogintæ aureorū nummūm millia, vt stipendia militibus præberi possint, quadragintæ in præsens, reliqua intra sex mēses persoluito, de promissa verò pecunia obsidibus caueto, & quos imperet Ferdinandus numero quinquagintæ ciues nominatim traditor, qui in castris custodiantur, donec pecunia repræsentetur. Florentini his vrbibus & oppidis atq; arcibus, quæ præsidijs obtineāt, confestim excedūto, & quos in carceribus, Florentiæ, Volaterris, & Pisis custodirent, extemplò dimittantor. Malatesta & Stephanus, militiæ sacramentū, quod antea populo Florentino dixerint, solenni renuntiatione facta statim eiurato, obligatoq; fide Balanzoni Belzæ Cæsaris cubiculario promittunto, se tandiu in custodia vrbis cū his copijs, quas satis esse putauerint, permansuros, donec concordiæ conditionibus planè sit satisfactum, alimentaq; ciuitati omnis generis commeatus à Cæsarianis interea præbentor. Ipsius verò Malatestæ officij atq; muneris sit, tandiu, quā Cæsariana copia dimittantur Florentia permanere, atq; ipse demum vrbe excedito, quō id facere Pontificis imperia iubebitur. Cunctis autem Florentini nominis ciuibus, liberæ

migrandi Romã facultas esto, & quibuscunque locis placeret, domicilium figere, habitareq; impune potestas conceditor, cunctiq; vel Etrusca vel cuiusuis gentis milites, qui Florentinorum stipendia fecissent, & propterea vel exilio, vel pecunia & bonis à Pontifice mulctati essent, ea noxa pœnaque liberantor. Mediceorum animis acceptæ offensiones, iniuriaq; sinceræ fide deterguntor. Hæc verò præscripta tractataque sunt in castris ad Monticiam Villam, quarto Idus Augusti. Anno à partu Virginis trigesimo supra millesimum & quingentesimum, ea lege, vt Ferdinandus Gonzaga, & Baucius Valorius prolixè pollicerentur, se intra spatium duorum mensium curaturos, vt Carolus Cæsar & Clemens Pontifex cuncta ex formula æquissimi iuris comprobarent. Per hunc modum compositis rebus milites vtrinque commeare cœperunt, introijtq; vrbem ipse Valorius magna frequentia gratulationeq; populi susceptus, dimissiq; sunt omnes qui erant in custodijs & traditi obsides, quos Valorius iudicio suo nominatim eligẽdos perscripserat, ex eorum numero, qui Mediceo nomini inimicissimi fuisse dicerentur. Sed hi non multò post, persoluta pecunia, vti fuerat constitutum in vrbem redierunt, primi autem omnium Germani veteres, quos Aurantius adduxerat, acceptis stipendijs missionem impetra

petrarunt. Secundum eos Hispani, vltimo loco Itali. Cæterùm vix dum compositis rebus, Florentini longè grauissimum salutis suæ discrimen è seditione militari subierunt. Forte accidit, vt ex Pyrrhi cohortibus, duo noti nominis milites apud Hispanorum præsidia in rem suam euntes, quòd ditiore cultu essent, non simultatis, sed latrocinij causa interficerentur, atque eorum cadauera, vti posteà ab exuuijs cognitum est, ad occultandum facinus in puteum deijcerentur. Qua crudeli iniuria offensus Pyrrhus, pares insidias idoneo in loco tendens, bis totidem deprehensos, quos patratæ cædis conscios putarat, occiderat, exinde creuere odia & vtrinque accensis ad vindictam animis, captis repentè armis concursum est, tanta vi, vt tumultuario prælio certaretur, dirimerétúrque tamen authoritate atque intercessione ducum, sed nondum pacatis Hispanis, qui demum confirmatis viribus, eo animorum impetu Italos quosq; depositis armis, nihilq; tale expectantes adorti sunt, vt multos interficerent. Tum verò Martij Columnæ, Castalijq; & nonnulla ex Roscianis cohortes sese in vnum conglobarunt, & cum irruentibus Hispanis vehementissimè conflixerunt, quòd Italici nominis decus aduersus Hispanos, qui superioribus annis hisdem de causis seditiones miscuissent, defendẽdum putarent,

promittentibus præsertim Germanis neutri opem laturos. Verùm quum tyrones Hispani, qui erant trans Arnum, non longè à Lodronianis castris, cognito suorum periculo, instructa acie ut veteranis essent auxilio, supervenissent: subindéque Italis creuissent præsidia, atrox certamen contractum est, eoq; Hispani iam perducti erant, ut non dubiam cladem accepturi crederentur, nisi Ferdinandus in eo valde assero exitiabili q; tumultu, quod nihil deprecando deterrendoq; authoritate Salueratus, Tamisium monuisset, ut Germanorum plus largem promoueret, Hispanis q; se applicaret, quod Itali propter vetera in externos odia deletis se semel Hispanis, nequaquam ipsis Germanis parsuri crederentur: ob id q; præsertim, quòd euulgatum esset Malatestam, ex conclaue, ut Italiam, excusso penitus externa gentis iugo, seruitute liberaret, urbe copias suas educturum. Eo inexpectato promota phalangis aspectu, Italicæ cohortes commotæ, sese recipere cœperunt, tanquam impares et insolenter prementibus Hispanis terga vertere coactæ sunt, tanta perturbatione, ut suis castris atque tentoriis pellerentur, & dum Hispani direptione tabernaculorum occupati essent, neque Sabellus è Rosciana villa se commoueret, ut pulsis opem ferret, Arnum transierunt, quum tam trina Malatestæ vexilla conspicerentur, atque eo modo

eo modo exuta impedimentis sub Fesulanis collibus dispersim per villas consederunt. In eo tumultu ferunt amplius trecentos utrinque fuisse desideratos, sauciatos autem bis totidem, sed Italicas cohortes maius accepisse incommodum, quòd rerum suarum iacturam fecissent. Hisdem diebus Maramaldus, & Vitellius, atque item Zuccerus, cum maiore parte equitum leuis armaturæ, in Pisanum agrum à Ferrucciana victoria descenderunt, positis q; binis castris in utraque superiore Arni ripa, & impetratis à Lucensibus muralibus tormentis, urbem intercepto multo peccore, obsidere cœperunt: quum verò Vitelliani usque ad sancti Marci portam excurrerent, Michael è Montopoli, quem Pyrrho singulare detrimentum intulisse diximus, contineri non potuit, quin adaperta porta prosiliret, et cum hostibus leue certamen contraheret quo ipse audacius pugnans occubuit. Nec multo post Odoardo Giachinotto prætori, à Florentinis inita concordia cum tesseru nuncius est missus, à quo Aloysius Guicciardinus in eius locum successurus statim est introductus, cui Pisani extemplo sacramentum dixere. Ipse verò Odoardus traditis iam arcibus, non multò post à Guicciardino comprehensus est, diúque tortus, quòd paulo ante Pisis Iacobo Corsio, eiusque filio Florentinis ciuibus summa crudelitate ex leuissima suspi-

cione ceruices abscidisset, pari supplicio affectus est. Maramaldus autem atque Vitellius Pisano agro excedentes, hic per Elsæ Vallis pagos ad Florentinum castellum, ille verò per Neuolæ Vallis vicos ad Montecatinum oppidum concesserunt, donec persoluto militi stipendio cohortes dimitterentur. Recepta patria, & è sententia compositis Etruriæ rebus Clemens Vsque adeò incredibili lætitia affectus est, vt eam totum id comitiale gaudium, quo Pontifex fuerat renunciatus, superasse fateretur, diceretque Vrbem aliàs de religione benemeritã, accuratis sanctissimarum Virginum piorumque hominum precibus, incolumẽ proculdubio fuisse conseruatam, quando Dij superi imminentem cladem præclara miseratione depulissent. Eo autẽ impensius exhilarari videbatur, quòd Aurantius, cuius ingenti merito nequaquam facile satis facere posse iudicaret, in ipso victoriæ limine cecidisset. Is nanque non obscura fama ferebatur, Catharinã ipsius Pontificis neptem, suis destinasse nuptijs, vt ex ea Medicea domus legitima hæreditate in Etruria dominatum conderet, instante eum ad id quorundam præfectorum turba, qui ab Aurantij potius liberali comitate, quàm à præduro parumque munifico Pontifice, amplissima præmia se laturos sperabant. Iam enim Francisco Ruscio quodam Aretino impellente, Vrbem

Aretium

Aretium ditionis suæ facere cogitarat, Aretinorum studio non absurdè comparato quum arcem eorum à Florentinis ædificatam gemente Valorio funditus euertisset. Caterum Pontifex quod suæ existimationis pietatisque fore existimabat, tueri nomen quod sibi desumpserat, moderata vtens vltione, paucissimorum pœna contentus fuit. Duodecimuiratum creari iussit, cuius magistratus authoritate ciuitatis status regeretur. Is constabat ex lectissimis ciuibus, qui omnibus temporibus Mediceo nomini mirificè studuissent, & tum ante alios Sua rerum ciuilique prudentia laudem ferebant. In his fuit princeps ipse Baccius Valorius, in quem Pontifex omnem arcani consilij summam contulerat, & secundum eum Zanobius Bartholinus, Matthæusque Nicolinus, & Armannoctius Detus ambo iureconsulti, Aloysius item Stufa, equestris dignitatis, Antonius Gualterottus, Andreas Minerbettus, Leonardus Ridulfus, Philippus Machiauellus, Octauianus Medices, & ipse quoque Raphael Hieronymus dudum dictator, et aduersarum partium princeps, postremo autem loco Nicolaus Troscia popularis ordinis. Ab his creati sunt noui decuriones et reliqui ex priore formula magistratus, Raphaelque ipse duodecimuirali honore contentus, abdicarat se dictatura, sufferturq; fuerat in eius locum Ioan-

nes Corsius optimis instructus literis, & Medicea familiæ multis nominibus addictus. Exinde creati sunt octouiri qui vitæ & necis traditam à decurionibus habent potestatem. Ab his aliquanto post in curia comprehensi reiq; facti maiestatis, capitali supplicio damnati sunt Baptista Ceus, & Aloysius Soderinus, & secundum hos aliquot post dies Bernardus Castellioneus, Iacobus Gerardus, & Franciscus ipse Carducius, qui acerbissimus popularium partium fuerat dictator. Hi pro multis debitas peruersis ipsorum moribus pœnas dederunt priuatis quidem criminum nominibus in quæstione conuicti. Non enim eo nomine damnabantur, quòd Medicæo nomini infensissimi hostes fuissent, & pertinacissimè protuenda libertate propugnassent, id si quidem non honestum modo, sed valde etiam decorum putabatur libertatis nomen constantissimè defendisse, quanquam id esset inane imperitis scilicet et sæuis ciuibus, principatum impotentem tyrannidique proximum sæuissimè exercentibus. Ceus ante alios acerba malignitatis ciuis, vti è singulorum confessione tormentis per octouiros expressa, descriptáque publicis in tabulis rerum capitalium, ad memoriam eius legitimi iudicij sempiternam constat, perpetuo sua sententia tenore concordiam detestatus, supremum inundæ pugnæ consilium tanquàm

quàm salubre vehementer extollebat, vsque adeò assiduus, vt Malatestum quòd dicto audiens non esset neque antea ad Pulueroſam Stephano Germanorum castra inuadenti maturam opem tulisset, capite plectendum apud decemuiros decurionesque censuisset. Neptem porrò Pontificis nouennem puellam, quæ claustris Vestalium virginum seruaretur, in ipsa muri corona inter duas pinnas collocandam, obiiciendámque hostium tormentis suasisset, atque item vt Mediceorum domus vrbis ornamentum decreto publico excinderetur, quod vt certius à senatu impetrari posset sapius ac sapius cum Foiano egit vt inter sacras conciones, in eam sententiam populum perducere conaretur. Soderinus autem ex legatione Bononiensi, impudenti mendacio retulerat, infirmissimas esse Cæsaris vires, atque adeò exhaustum Pontificis ærarium, vt non diu ali continerique exercitus eorum posse periti rerum homines existimarent, consternatos esse Germanos, nec procul abesse à seditione, frustra vtique expectatis stipendijs. Hispanos autem ducibus nequaquam parentes, rapto viuere diuagarique per Etruriam manipulatim. Quibus falsis euulgatis rumoribus populum ab omni concordiæ consilio deterreri retardarique posse sperauisset, propterea que Foianum cucullatum acerbissimas in templis habentem conciones,

Vt eadem populo nunciaret, hortatus fuisset. Bernardus Castellioneus insanæ prope truculentiæ, vti efferato ingenio vir, cum antea Aurantio bellatorum dona detulisset, Vastio cohortanti, vt Pontifici alias optimo ciui, nec nominis sui clementiæ defuturo, patriam concedendam curaret, superbè respondérat, sublata atque ostentata argentea pelui, quam habebat in manibus, exclamans non alio modo Florentinos, quàm in cineres redactam patriam ea pelui reddituros. Dixerat quoque sæpius in aduersarum partium ciues inuectus, si hi vnam tantùm haberent ceruicem se illam cupidissimè vno dextræ suæ ictu, districta latere sica, detruncaturum. Confessus etiam est se perpetuis sententijs in patritium ordinem, ipsósque Mediceos tanquam tyrannos inimicissimè fuisse proloquutum, adeò vt neptem Pontificis nunquam reddēdam esse, sed quum adolesceret, contrudendam in Marmaricos fornices, vbi tum fœdissimum erat lupanar, inuerecundè censuisset. Sempérque in senatu à sententia quarenda concordiæ procul abfuisset, incitasséque iuuentutem per Donatum fratris filium, notæ ferociæ apud turbidos ducem, vt nullam aliam, quàm in armis internitione néque inimicorum salutis spem esse putarent, & obiter in aduersam factionem effusè grassarentur. Hæc tamen dira vel malesanæ voluntatis

luntatis crimina, nequaquam ab ipso reo confessa, sed ab inimicis malignè affixa, impositáque fuisse plerique crediderunt, scilicet, vt inuisus, effuséque terribilis, & indomiti animi senex è republica tolleretur. Gerardus autem, quòd semper maledicentissimè de Cæsare atque Pontifice fuisset obloquutus, seuáque malignitate Caponium probè & sapienter Rempublic. administrantem, temulentæ accusatione in discrimen capitis adductum, dictaturæ spoliasset, & in senatu ad contumeliam sacrosancti Pontificis, petenda esse auxilia ab immanibus Turcis pro tuenda libertate censuisset, turbidúmque se & perniciosum in omni actione ciuem præbuisset, promeruit, vt ab amicis Caponij immitioribus tormentis torqueretur, & ab octouiris cupidissimè damnaretur. At Carduccius sicuti recentis dictaturæ honore cæteris superior, ita cùm acerbius à Norijs torqueretur, grauiora confessus est: arguebatur enim non obscuræ in Rempublic. perfidiæ, quòd literas à Balthasare Carduccio apud Galliæ regem legato missas, pro concione legi ad populum vetuisset, inuertique demum eas nefaria interpretatione per Donatum Giannottum scribam iussisset, scilicet, vt postquam ille nihil certæ opis ab eo rege, qui amicitiam Cæsaris commodo suo appeteret, populo Florentino nequaquam expectandam significasset,

ciuium animi tota sustinendi belli spe decide-
rent, & ad parandam pacem verterentur,
scelestóque demum hortatu suo seorsum iuuen
tutem concitasset, vt in villas suburbanas Me-
diceæ gentis, & Iacobi item Saluiati crudeli-
bus incendijs desæuirent, vt propter eam bar-
barici maleficij atrocitatem ciuitas omnis de-
speratæ venia à cogitatione concordiæ penitus
auerteretur, sed multo maximè eius famam
prægrauabat, quòd dictator inconsultis decu-
rionibus atq; decemuiris, ad Antonium Fran
ciscum Albitium Aretij tum legatum, vt co-
pias omnes in vrbem adduceret, malignè per-
scripsisset, vt ciuitatem imparatam & ob id
de concordia cogitantem, ad gerendum bel-
lum erigeret, contra Rempublic. enim feciſſe
censebatur, quòd eius rei consilium magistra-
tibus nequaquam communicandum existi-
masset. His tamen omnibus concessum est, vt
maiorum sepulchris inferrentur. Zanobio au-
tem Bartholino, Malatesta, Raphaelique Hie-
ronymo, Ferdinandus Gonzaga salutem im-
petrarunt. Dantem Castelioneum Stephanus
Columna, impositæ sacrificuli cucullæ, secum
abduxit tanquam virum egregiè fortem qui
singulari certamine pro dignitate patriæ di-
micasset. Cæterùm Raphael in Pisanum carce
re relegatus est, nam erumpente publico odio,
summa deflagrabat inuidia, quòd in tormen-

tis coniectus esset feciſſe aduersus Remp. quum
è Genuensi legatione rediens, atque ante colle-
gas præcurrens, confirmandis ciuium animis
& ad gerendum bellum incitandis, Cæsarem
atque Pontificem vsque adeò imparatos esse,
atq; adeò rei nummariæ inopia pressos dixis-
set, vt prius omnino eos decoctures quàm Flo-
rentinorum mœnium, vel vnam tantùm pin-
nam caperent, vanissimè testaretur. Quo men
dacio tantùm diuturni belli detrimentum pa
tria attulisse credebatur. Primis quoq; inchoan
tis dictaturæ suæ diebus, cùm se à cõcordia mi-
nimè abhorrentem fingeret, deq; mittendis le-
gatis, maiore populi aduocato consilio ageretur,
ac ideo collectis suffragijs manifestè pacem ab
omnibus ferè peti animaduerteret nullo ea de
re facto decreto, nõ modò optimos quosq; ciues,
sed ipsos etiam populares ex conscientia animi
peroses belli incommoda, tam improbè, quàm
impudenter decepisset. Pontifex autem eo ani-
mo fuit, vt Raphaeli parceret, nisi ille ex im-
portuna verborum contentione cum præfecto
arcis, indignabundus non dubia libertatis be-
neficium festinata morte præuenisset. Effudit
autem Pontifex totum contumeliæ suæ odium
in Foianum cucullatum, qui eum illoto ore
in sacris concionibus intemperantissimè lace-
rasset. Coniectus siquidem in baratrum mo-
lis Hadriani, totius insanæ facundiæ suæ pœ-

nas

nus fœda morte persoluit. Nobis compertum est damnatos euadere, & longè è castris primò, & ex Vrbe demum profugere potuisse, quòd post ipsam deditionem antequàm caperentur, & de his ferretur capitalis sententia, duorum ferè mensium spatium intercesserit, quum interim Raphael literis Nicolai Scombergi antistitis Campani, amicissimi hominis admoneretur vt si pacatū sibi vellet Pontificem, continuò ad eius pedes supplex ire maturaret. Sed is ita hærebat curiæ, vt ambitiosa quadam ingenij vanitate, quòd esset lectus inter duodecim viros, non dubia noui honoris cupiditate teneretur, & qualis dudū fuisset, summæ potestatis obliuisci non posset, quin sibi peramplū in ea Republi. qualiscunq; futura esset, locum destinaret. Fit enim aut imbecillitate aut superbia humani ingenij, vt non facilè quisquam vbi peccauerit, vel secū ex conscientia se deliquisse fateri velit, nec ideo alienæ seueritatis & maliguitatis impetum magnoperè formidet. Carducciū angusta domi res, quòd auaritia incorruptus ex dictatura abstinentissimas manus retulisset, necessitate quadam in Vrbe retinebat, quòd ad opimam alicuius Vrbis præfecturam aspiraret, quæ dictatorijs et consularibus viris vetere cōsuetudine deberetur, vsqueadeò vt ea spe vir alioqui peracutus et callidus seipsum depraua-

ingenio

ingenio stultè deciperet, arbitraretur q; dictaturæ suæ actiones ad duodecim virale iudiciū deuocari non debere. Audiui ego à Philippo Nerlio patritio, qui actionū Vrbanarum diurnales cōmentarios scripsit, à Carducciō fuisse rogatū, vt pro se Volaterranam præfecturam sibi paulò ante è senatus cōsulto destinatā impetraret ipsū verò eo respondisse vultu sermone q;, vt id petere ausum castigaret, qui præmia ab his, quibus magnopere nocuisset, promereri posse ineptissimè speraret, ideo q; se saperet ad tutiora cōsilia verteretur. Eo autem die, quo in curia custodia traditus est, quum duodecimuir ali imperio vocaretur in curiam, nec statim ire vellet, postulauit ab Antonio Alberto sibi ex cognatione amicissimo, vt pro se in curiā ad magistratus ascēdere minimè grauaretur, diceret q; suo nomine Carducciū quidē paratū venire, sed timere inimicorum insidias, ne sibi in itinere vim inferrent. Scilicet vt Albertus ex vultu verbis q;, qualis esset erga se magistratuū voluntas exploraret. Officium præstitit Albertus renūciauit q; nullum aliud à duodecimuiris responsum retulisse, quā vt diceret Carducciū satis prudentem existimari, quo responso nō obscurè admoneri videbatur, vt sibi caueret. Sed nō multò post eo ambigente hærente q; aduenit è curia ostium pulsans publicus viator, qui eum argenteā præferens

ferens clauam in curiam deduxit, atque inde custodia traditus est. Quibus argumentis, & ex multis quoq; sermonibus ipsius Pontificis, coniectari licuit, eum ad clementiam, vti personæ memorem decebat, procliuem futurum, si amici eius cives, recentium offensionum obliuiscì, quàm ciuili sanguine manus imbuere maluissent. Non defuere siquidem ex ciuibus, qui priuato incitati odio Pontificem ad exercendam crudelitatem impellere conarentur, sed is cunctis in rebus, quæ pœnam aut præmium respicerent, vel supra æquum temperatus, importunam vindictæ libidinem moderatissimè contriuit, vt pote, qui incendiarios, maleficosq; extremæ pernicaciæ homines, exilio mulctasse contentus fuerit, quùm aduersarum partium principes, Thomam Soderinum, & Alfonsum Strozzam honoris causa, in villas ipsorum voluptatibus dicatas relegasset, reliquâ verò turbam publico damnatam iudicio, eodemq; nomine relegatam, per Italiæ oppida disseminasset, ea conditione vt pro merito nonnulli efferatos spiritus retinentes, insalubribus locis, sicuti Grauiscis, Centũcellis, Terracinæ, & ad superum item mare Senogallia, Pisauri, & Rhauennæ sedem sortirentur. Per hunc modum temperata seueritatis vrbe perniciosis ciuibus repurgata, aduenère ab Augusta Vindelica decreti Cæsaris

saris diplomata, solennibus latæ membranæ codicillis perscripta, obsignataq; aureo sigillo, quibus Cæsar disertè explicabat, se idcirco ab Hispania venisse in Italiam, vt sublatis bellis certam atque optimam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, partaq; cum omnibus, quibuscum antea armis contendisset, concordia sacrum bellum contra barbaros Turcas indiceret, quo nihil sibi antiquius atq; nobilius, vel Reipub. Christianæ vtilius fore existimaret: Vnos omnium verò repertos esse Florẽtinos, qui pacis et tranquillitatis nomen odissent, animos feroces iniquissimè retinerent, & cùm priuato tum publico commodo obstinatius aduersarentur, vtpote, qui antea rebelles animos induerint, Mediceam familiam, à qua priuatim & publicè commoda atque ornamenta ingentia omnibus temporibus accepissent patria pepulerint, oblitiq; prorsus beneficiorum & immunitatum, quas superiorum Cæsarum indulgentia liberalitateq; retulissent, ab ipsius demũ authoritate discesserint, aduentantiq; exercitui suo portas occluserint. Quas multiplicis iniuriæ contumelias, quũ pati non posset, & suæ dignitatis esse statuere rebellem ciuitatẽ perdomare, coactum fuisse inferre arma, postquàm tentata sæpe concordia, atque aquissimis oblatis cõditionibus, vel vitio temporum, vel

Vel pertinacium quorūdam ciuium malignitate corrupta, à pace se prorsus alienam ostendisset, propterea q̄ integrum ferè annum obsederit: Se tamen quum armis fameque perdomitam, iure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere posset, nihilo secius Cæsareæ clementiæ nunquam oblitum, populi resipiscentis pœnitentia fuisse contentum, atque ipsum Pontificis maximè precibus adductum, conseruare voluisse. Quum verò, sicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipsius Augustæ potestatis, imperatoriq; arbitrij sit leges condere, & Rempublicam ordinare, ideo optimū fore existimabat, quod perpetuam ciuitatis tranquillitatem respicere videatur, Mediceam familiam reduci, atque restitui in pristinam dignitatem. Et quoniam præclarè manifesteq; constat, in liberis ciuitatibus nunquam vigere concordiam propter diuersa dissidentium facilè ciuium studia, easq; improsperè semper atq; infeliciter regi, nisi stabili perpetuoq; Reipublicæ capite gubernentur, declarat Alexandrum Medicem, quem sibi generum asciuerit, Reipublicæ caput, cuius singuli magistratus authoritatem sequantur, eaq; dignitas ad liberos eius legitimos pertineat, atque his deficientibus, ad proximiores Mediceæ stirpis totius eius præeminentia & dignitatis iura deuoluantur

tur subindeq; Cæsar cuncta veterum beneficiorum, atque immunitatum priuilegia, quæ aliàs promeruerint, syncero affectu confirmat. Hæc, vt perpetuò seruentur, imperat, & his qui violauerint, decem myriadum puri auri mulctam indicit. Huius diplomatis sententias, quæ Latinè perscriptæ erant, Italica loquutus lingua, vt ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgauit Antonius Musettola Neapolitanus iureconsultus, qui tum Cæsaris legati munere fungebatur, membranam explicatam, aureoq; sigillo & manu Cæsaris subscriptam sæpe ostendens, & legendā his qui vellent, libentissimè præbens. Ipso autem Musettola perorante, assurrexit dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterrana turris carcere, in quem antea populares relegarant, is iuxta assidebat, his q̄ verbis respondit. Grata nobis atque letissima erit hodierna diei recordatio in omnem aui posteritatisque memoriam: quandoquidem præclaro magni numinis munere, & inuictissimi Cæsaris beneficio, optimè constitutæ Reipublicæ ac duraturæ tranquillitatis initiū aspicamur. Quod igitur felix faustumque sit Florentino populo, leges nobis latas à Cæsare, ad non dubium huius rectè atque appositè ordinati status incremētum suscipio, veneror q̄, seruaturumq; polliceor, ac pari studio atque

obsequio magistratus, cunctiq; ciuitatis ordines, qui præsentes adsunt, suscipient, atque optima fide seruabunt. Tum verò ad dictatorem, legatumque simul à dextris assidentem, singuli magistratus viritim accesserunt, tactoque diplomate, atque honoris causa inclinatis capitibus, quæ dixerat dictator, approbarunt. Primi fuere decuriones, octouiri & decemuiri, qui ab integritate iudicij, famæq; probitatis, bonuiri vocantur. Ad hos tres Guelpharum partium duces defensorcique, qui magistratus in vrbe vetustissimus habetur, itémque octouiri, qui belli & pacis negotio præsunt, ideóque practici nuncupantur. Hos subsequuti sunt octouiri, qui summam vitæ & necis habent potestatem. Cum his tiere quinqueuiri qui ærario præsunt, itémque septemuiri, conseruatores legum appellati. Post hos triumuiri fisco præpositi & secundum hos mercaturæ sextumuiratus, & quartumuiri vrbis muniendæ curatores. Postremò duodecimuiri, quibus ab initio ordinandæ Reipub, munus fuerat demandatum. His accesserunt ex Mediceorum amicissimis viginti & septem primores. Ita vt in vniuersum centum & viginti primatium ciuium numerum implerent. Eo die videre subnotareq; licuit diuersissimos eorum ciuium vultus, qui ordinatim ad tribunal ascendentes, non obscuræ

scuræ iurisiurandi significatione, vt in sententiam dictatoris pedibus ibant, atq; his, quas dixisset Cæsar, legibus obtemperaturos confirmabant. Nam quum multi præ gaudio plorarent, quòd se in posterum incolumi & pacata patria, intestinæq; dissensionis & turbulentiæ omnis malo vacua liberataq; potituros prospiciebant, diuerso animorum habitu, pleriq; alij tristes atq; demissos vultus certi doloris indicia præferebant, vsq; adeò procul à dissimulatione positi, vt emigrantis & erepræ libertatis exequijs interesse viderētur. Ea siquidem die, quæ Iulias Nonas antecessit, anni trigesimi primi supra millesimū & quingentesimum, dictaturæ simul & decurionum nomen, antiquata veterū magistratuum forma, sublatum est, & principatus ex decreto Cæsaris, in ciuitate vel nō planè libero ciuium assensu feliciter introductus sic vt Alexander Medices è Belgio rediens, vbi tum agebat apud Cæsarē, inaugurareturet, et Reipub. Florentinæ, dux quæ vox hodie dynastā & principē exprimit, gratulantibus penè omnibus appellaretur. Eiusdem anni principio, quo hæc Florentiæ confecto bello transacta sunt, extremæ terrarum in Belgis regiones, quæ Gessoriaco litori incumbunt, repentina atq; inusitata prorumpentis Oceani inundatione summam cladem subierunt, quæ nobiles paulò ante vr-

bes, frequentissimaq; oppida, superfundente sese mari, perière. Vsq; adeò miserabili calamitate, vt infinita propè mortalium multitudo, intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nã horribili prodigioso q; (sicuti conjectari licuit) terræmotu concussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, vt institutos antiquitus, & perpetua custodia diligentia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quibus submoueri arceriq; æstuantis maris fluctus consueuerat concitato quodam & vehementissimo incursu perrumperet, interioris q; plagæ terris altissimarum & reciprocãtium vndarum pelagus per transcensos margines effunderet, animantiaq; subinde omnis generis irrito receptus cursu, in aridas litoris partes perfugere conantia, ocissimè mergerentur, quibus longo natatu fessis & fame morientibus, marinæ belluæ non dubio pauore attonitæ, impulsaq; fluctibus conterritorum piscium agmina succedebant. Pranunciarant hanc cladem, triduo ante densissimi imbres, diraq; tonitrua scintillantis aeris, & crebra motatio telluris, perpetuoq; biduo concursantium inter se ventorum diuersi turbines, ita horribili pauore concussis mortalium mentibus, vt quum tecta nutarent, & ingruente ineuitabili aquarum mole, colluctantibus scilicet elementis, tota vniuersi orbis cõpages resoluta, in antiquum chaos

chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas longè maxima incidit Caneniphatum, & Batauorum insulis, quæ Selandæ & Holandæ à nostris hodie nuncupantur. Nam præter eas, quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersæ fuerant Alendebucha quoq; & Harles, & Exclusæ clara oppida, ita fluctibus oppressa deuorataque sunt, vt vix sacrarum turrium & templorum fastigia extarent, qua horribilis aquè & sæpe metuenda excidij memoria cladem testarentur. Sed Nonæ Nouembres tantis malis finem attulerunt, quum postridie Calendas, sereno (quod mirum fuit) cælo, sed mox portentosum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se ventorum procella commutato, dira ea tempestas accidisset, tanta admiratione mortalium, vt nulla ab orbe condito maior & grauior vllis gentibus clades, post diluuium Mosaycis literis celebratum, incidisse crederetur. Nec multò post sequenti mensè Ianuario, par propè exitij clades Lusitanis, in ipsis proculdubio visceribus terræ, furente debacchantéque Aeolo, illata est, cuius impetu vrbs Vlyssipo in primis incomparabile detrimentum sensit, & post eam Coloniam, Sanctæarenæ, & Azembugeræ, Almerinique vrbium publica priuataq; ædificia, inusitato terræmotu cõquassata

proscissaq; magnam vim mortalium ruinis oppresserè, & nonnulla etiam nauigia turbulento instati maris hiatu absorpta sunt, sic, vt Tagus insanis allidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in vtranque ripam suis vndis, sicca in medio vada obstupentibus cunctis ostenderet, nemóque iam tota prope Lusitania tectis suis confideret, subsultante scilicet solo, ideóque non cito desituram terræmotus vim itu præmonstrante, vt regis & reginæ exemplum sequuti vniuersi fere incolæ, tabernacula apertis in locis castrensi more erigere cogerentur, neque in his tamen soluti metu pernoctarent, quum repentinum aliquem terræ hiatum quo absorberi possent, non temerè extimescendum arbitrarentur. His dem quoque diebus, Ferdinandus Caroli Imperatoris germanus frater, Cæsar est appellatus, susceptique eius noua dignitatis ornamenta apud Belgas opulentiore atque augustiore apparatu, ad Aquisgranum vrbem, Caroli magni olim sede sepulchróque clarissimam, qua antiquis Nuogerra fuit, quum superiore biennio Bohemici regni diadema apud Pragam suscepisset. Nam sicuti Marcomannorum, qui hodie Morani sunt, & Bohemorũ, qui Hercynio saltu circumdantur, & Silesiarum, qui Sarmaticos attingunt fines, frequentiam & cultum Germani authoritate atque opibus superio

ribus facilè superabant, ita vtriusque pompa spectacula, cùm ipsius Caroli Imperatoris præsentia, tum opulentissimorum procerũ, & antistitum admirabilis comitatus incomparabilem illustrium hominum conuentum representasse censebatur. Nihil enim vel pretiosius, vel operosius excogitari potuit apparatu atq; instrumento vtriusque aulæ, quum in eum totius Europæ ad exornandum triumphum lectissima opes, insigni studio certantium inter se gentium, collatas fuisse appareret: sacris nanque cerimoniis, & ludis equestribus, geminatoq; præsertim epulo, totius eius pompæ apparatus constitit, in quo accumulati luxus exquisitissima & copiosissima dapes alendis etiã plebeis hominibus superfuerunt. Imperator ipse & sus eo prægrandi ense, quo Carolus ille Magnus omnibus sacri belli præliis vti consueuisse fama erat, quanquam esset a multo vetustatis situ eruginosus, clarissimum quemque Germanorum & Belgarum, leuiter contactis humeris, equestri dignitate nobilitauit, dimissisq; conuentibus vni ei curæ institit, vt consentientibus Christianorum gentium regibus, pia arma in Solymanum nimio plus immodicas vires extendentem verterentur. Nanque tum constans apud pios mortales fama erat, quorundam etiam vatum oraculis comprobatum, nullis quàm Austrianorum fratrum certissi

tissimis auspicijs, barbarorum vires malo nostro in immensum sese attollentes posse superari, quod existimare credereque fas erat postquam & his, Ferdinãdus à matura iam indole summa pietatis atque virtutis Pannonia atque Bohemiæ regna bellicosissimarum gentium paterno Austriæ imperio dudum adiecisset, & fraterna demum amplitudinis, imperatoriæq; dignitatis successor & hæres esset designatus, Carolus verò augustiore maximarum virtutum & opum concursu exaggeratus, undique victor inusitata felicitate ad Occidentem per Oceanum auriferis regionibus potitus, Christiani imperij terminos ad Antipodas usque protulisset.

* * *

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXX.

ARMORVM maximè ingentem terra mariq; apparatum, & qualem nulla maiorum atas viderit, aut litera meminerint, ad admirationem posteris traditurus, paulò altius belli causas repetam, vt magis illustria sint, quæ mox dicentur. Pacata Italia, Cæsar è Belgis, apud quos alterum iam annum egerat, aduerso Rheno profectus, Ratisponam ad Danubium venit, vbi totius Germaniæ concilium multis de causis, & sanandis præsertim Lutheranorum mentibus, erat indictum. Eo enim tempore celeberrimis in vrbibus vehementer conuulsa erat Christiana religio, ob idq; in partes diducti plerique populi, inter se bello contendebant, adeò vt Germania armis, opibus, ac ingenijs florens, dum insanis erroribus seruit, sublato consensu, atque interrupta

religionis authoritate, grauissimum vulnus acceptura videretur. Vuillermus quoque Boiariæ regulus, qui multis præclaris cùm familiæ tum virtutis subsidijs fretus, ad imperium aspirarat, aquo animo ferre non poterat Ferdinandum superioribus comitijs, veluti adoptante fratre, Cæsarem appellatum, querebatúrque Romanum imperium vna in Austria domo, tanquam hæreditarium, perpetua quatuor Cæsarum successione confirmari, adeò vt eum vitio creatum diceret, & noua subinde comitia, veluti prioribus ambitu largitionéque corruptis, flagitaret. Angebat etiam Vuillermum genus suum à prælata stirpe repetentem ignominia repulsæ, quam tulerat in petitione regni Bohemorum, superante suffragijs Ferdinando, quanquam ipse Bernesthenij & Cauphonis procerum, qui authoritate maximè valebant, amicitia & studio plurimum niteretur. Quibus de causis fiebat, vt Cæsar nequaquam eorum syncera fide aut egregia voluntate vteretur, qui vel piè sanctéque de sacris potestatéque Pontificis sentirent, propterea q; minus facilem eius causæ cognitionem iudicaret. Dum hæc exploratis procerum animis pertractant, & profani iuris controuersias finiunt, certis rumoribus asseritur, Solymanum innumerabilibus instructum copijs, è Byzantio in Mysiam peruenisse, eadem

dem confirmant Clementis, Venetorúmque literæ, magnus timor Germanis incutitur, Noricisq; præsertim, qui proximis barbarorum incursionibus abacta pecora, raptos in seruitutem liberos cum vxoribus, & fratres trucidatos, incensaq; ædificia, repentina belli clade conspexerant. Fama erat ea de causa redire in Pannoniam Solymanum, vt Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulò ante fortiter repulsus, cum ignominia discessisset, aut si Germani duce Carolo Cæsare contra prodirent in aciem, de totius ferè terrarum orbis imperio decertaret: ipsum enim se vnum esse, ad quem Romanorum imperium legitimo iure pertineret, dicere solitum ferebant. Quoniam magni Constantini, qui vniuersi orbis Augustus imperator extitisset, sedem, & sceptrum atque vrbes eius imperij teneret, vti profanus Mahometes, expugnata Constantinopoli, & Constantino supremo Græcorum imperatore superato occisoq;, hac omnia iure belli capta Othomanicis regnis adiecisset. Propterea quòd de Carolo sermones inciderent, vel literæ scriberentur, eum non Cæsarem, sed Hispaniæ regem superba dissimulatione vocare consueuerat. Elatus enim tot suis maiorumq; suorum victorijs, quibus à Mæotide ad Erythræi Indici q; maris angustias, & ab extremis Illyrici finibus ad Armenia terminos imperium

protu

protulissent, decorum maximè & nominis sui fama dignum putabat, in Germaniam penetrare, terrorem, cades, incendia circumferre, ostentaréque aciem, vt Carolum acerbissimis suorum cladibus permotum, ad pugnam prouocaret: sperabat enim eum nequaquam vniuerso prælio certaturum, quòd Germanos per causam Lutheranæ superstitionis inter se dissentire didicisset, vnde sibi non dubiam, erecto trophæo ex aliena infamia, laudem pararet, quòd si eo animo esset Cæsar vt prodire non dubitaret, & patentibus campis Christiana signa committeret, tum verò ipse suæ occasioni ad optimam spem exploratæ victoriæ cesseretur, quando pedestres magna ex parte nostrorum copias circumducto innumerabili equitatu, fame enecare. Spe prælij latè frustrari, ac demum funesta necessitate cedentes & dissolutos in fuga proterere facilè posse videreturi. Caterùm sua dignitatis esse statuebat, Ioannis iniurias defendere, quem ipse in Pannonia regem constituisset. Is, quanquam Ferdinandum maiore semper animo, quàm viribus, contra se bellum gerentem contemnere poterat, Caroli tamen potentiam veritus, qui ex propinquo copijs, pecunia, authoritateque fratri opem laturus esset, à Turcis auxilia petere cogebatur. Fuere qui crederent Solymanum inuito Ioanne in Pannoniam venisse, Polonorum

rum scilicet & Gallorum cohortantibus inductum quoniam hi Cæsarem, qui bella gerere per legatos singulari felicitate consuesset, grauissimo bello periculosisq; prælijs implicitum videre percuperent: illi verò Ioannem vti affinitate Sigismundo regi coniunctum, in Pannoniæ regno conspicere mallent, quàm Ferdinandum, vti grauem aliquando è tribus regnis hostem Sarmatiæ futurum. Sed de hoc quum nihil pro vero sit compertum, haud temere censuerim hos magnos pios q; reges, tanta infamia liberandos, adeò vt arbitrer Solymanum non magnopere his de causis & pretibus permotum, tantum itineris suscepisse, sed veterem potius suum, Othomannorumque principum morem secutum, qui exercendo militi bella ex bellis serere, nihil è vetere disciplina segni ab otio corrumpi sinere, & finitimos quosque tanquam veros hostes, præda, victoria ac laudis materiam putare consuessent. Quo instituto alternis annis vniuersas copias educendo, omnibus gentibus, cum quibus collatis signis sint congressi, præter vnos Scythas, bello superatis, supra viginti Asiæ atque Europæ regna imperio suo adiecerint. Ferdinandus, vbi fit certior Solymanum prima agmina per Thraciam extendisse, ad eum cum muneribus & aquissimis de pace fœdere q; mandatis, tres legatos mittit, quorum princeps

erat Leonardus Negarola, nobilis Vicentinus literarum & multarum linguarum peritia insignis: ij in Triballorum finibus obuiã fatis Solymano, humaniterq; suscepti, nihil plus retulerunt, quàm vt castra sequerẽtur. His Ratisponæ nunciatis, Cæsar Germania procerest, legatosq; liberarum ciuitatum alloquitur, docet in eo communi & grauissima rerum periculo nihil tutius esse consensu, nihil dissensione calamitosius: proinde excitarentur ad id classicũ, quo sanus & barbarus hostis cunctis catenas & compedes, & templis ac vrbibus vastitatem denunciaret, se constantissimo animo paratum esse contra hostes proficisci, ad tuendam religionis causam, ac nominis sui dignitatẽ, si ipsi fortiter & alacriter coactis copijs, Christi vexilla & victrices aquilas sequerentur, atq; vnà more maiorũ, pro salute omniũ & vetere gentis gloria bellum susciperent, acciturum se confestim Hispanorum & Italorũ expeditas cohortes, magni roboris auxilia, quibus Germanorum stataria legiones firmarentur, Clementémque Pontificem in hos apparatus magnam auri vim collaturum, vt esset pollicitus, si hæc gnauiter parari & egregia fide administrari didicisset. Ad ea principes legatiq; propensissimis animis respondernnt, in animo esse Germanis omnibus, vt ab antiquissimis temporibus fuerant meminissent,

salutem publicam & communem omnium, imperijq; præsertim existimationem tueri, propulsare iniurias, & Christiana religionis hostes bello persequi. Cæsarem verò prolixè collaudare, qui se eo bello imperatorem futurum profiteretur, & externa item auxilia defendendis adiuuandisq; Germanis esset adiuturus. Ideirco ipse, fratérque Ferdinandus darent sedulo operã, vt ea quæ sui essent, maturè & diligenter expedirent, ipsos enim ex vetere formula tabularum Romani Imperij, vti esset descriptum, æstimato prouinciarum atq; vrbiũ censu, delecturos milites & ad conuictum Viennã vndiq; in vna castra transmissuros. Itaq; fit decretũ è summa concilij, vt in aliud tẽpus Lutherana causæ cognitio differatur, cæterisq; cõtrouersijs & rebus omnibus postpositis, omnes in vnum belli apparatũ animos intendant. Igitur Cæsar Alfonso Vastio in Italiam perscribit, vt veteres præfectos aduocet, & per eos cohortes conscribat & quãtum maximè potest, sclopetariorum numerum paret simulq; Hispanos omnes Tridentinis Alpibus ad se celeriter in Noricum adducat. Andrea quoq; Auria iniungit, vt pari studio triremes ac plures onerarias militariter exornet & aduersus Turcarum classem in Graciam traijciat. Accersit etiã è Belgio, Burgundia q; grauis armaturæ ornatissimũ equitatũ, et ab

Hispaniæ complures nobiles veteranósque milites, & sibi quoque priuatim, cohortium prætorianarum nomine, duodecim millia Germanorum, ex his qui in Italia plura stipendia meruissent, mercede conduxit, quibus præficiuntur Maximilianus Heberstheneus atque Tamisius Italico bello clari duces. Vni Gallo multis de causis, quas suo loco memorabimus, nihil huic bello sese miscuerunt, rexq; Britannus ab infami repudio legitimæ vxoris, quæ Cæsaris erat matertera, vti planè hostis, deprauatum & penitus alienum ab amicitia & religione animum ostendit. Interea Clemens dabat operam vt pecuniæ à quæstoribus vndiq; cogerentur: volebat enim in tanto rerum discrimine, vti communē omnium parentem decebat, erga remp. præclarum pietatis studium ostendere, conciliandis præsertim Lutheranorum animis, quò eo beneficio atque ea liberalitate ad sanitatem reduci posse viderentur. Erat ærarium Pontificij imperij penitus exhaustum, superiorū temporum calamitate, recentibusq; iacturis ac impendijs: nam Etrusco bello decies centena millia aureorū nummum expendisse ferebatur. Quamobrem in senatu decretum est, vt quinq; decuma sacerdotijs imponerentur, quæ res, minores sacerdotes, sacraq; virgines, & sacras hospitales domus vehementer afflixit: nam exactores cū imperio in pro

in prouincias emissi, dum priuato quæstui studerent, incredibili acerbitate humana & diuina omnia perturbabant, adeò vt plerig; sacerdotes templa desererent, & passim sacrata vasa et antiqua donaria conflarentur: erant & qui prædia dicata altaribus venditarent, vt decumæ soluerentur, neque honestissimus sacri belli prætextus, ac extrema propè necessitas inuidiam leniebat, quoniam Cardinales qui opima sacerdotia possiderent, immunes etiam seruarant, quasi illis ad tuendam Romanæ aulæ amplitudinem, de solito vitæ splendore nihil remittere moderarique liceret, quum ex aduerso plerisque egentibus vltima vitæ alimenta raperentur. Per hunc modum coacta pecunia, Hippolytus Medices Cardinalis, qui bello interfit, Legatus effictur, vt in summa nobilitatis excelsique animi Legato, summa authoritas & dignitas emineret, eoq; pignore tradito, Clemens propensissimam voluntatem erga Cæsarem præclarè testaretur. Intuitum iuuenem alterum & vigesimum agentem annum natura fortunaque certatim maxima dona congesserant, specie formaque corporis ac ingenij rara felicitate insignis erat & super hæc spectacula edendo, donandoque, liberalis famam consecutus, adeò studia populi commouerat, vt suggillatæ Clementis auari-

ritia, quadam naturæ similitudine, Leonis patrui memoriam reuocaret, et opes tam vel insanis ipsius sumptibus pares esse cæperant: nam ei Clemens Pompeio Columna, ad Neapolim vita defuncto, eius sacerdotia ac officia, quæ erant amplissima, contulerat, quanquam esset ætatis ac ingenij vigore ad tractanda arma, quàm ad obeunda sacra paratior: propterea quum ex lectissimis hominibus comitatum instrueret, aliquanto plures milites, quàm togati viri ac antistites proficiscentem sunt secuti. Eius aduentus Ratisponæ cùm à Cæsare, Ferdinandóque rege, tum à Germanis lætanter exceptus est: nam ingentem pecuniam multósque viros fortes, & notos centuriones, ac militares equos adduxerat, & super hæc sive vllo fastu Cardinei cultus, oris habitum ingenuæ promptæq; virtutis plenum præferebat. Igitur consilijs cum Campegio communicatis, atque eo in Italiam dimisso, quod tum maximè neruorum doloribus laboraret, magnam auri partem effudit, conducendis octo millibus equitum Hungarorum, quos se habiturum Ferdinandus promittebat, si ad eos in finibus Pannoniæ dispersos, atque operam aduersus Turcas nauare cupientes stipendia mitterentur, transierant enim ad Ferdinandum duo supra cæteros duces Valentinus Thuracus, & Bachithius Paulus, hic Triballus erat, ille Hunga

Hungarus, admiranda virtutis homines, sed fide instabili: nam Gerque apud Solymanum in honore habiti, diu in Turcarum castris antea militarant, ac demum non ignobili transfugio ad Ioannem atque inde commutata voluntate in Germaniam venerant. His Hippolytus legatus singula vexilla honoris causa de manu tradidit, in queis picta erant imagines crucifixi Seruatoris nostri, ad commouendam vel in ferreis pectoribus pietatem, addidit etiam vestes ex auro purpuráque militares, & sicas Italicas, aureósque torques, nec se passi sunt eorum ingentes animi liberalitate superari, quum paulò post & equum insignem cursu & gladios more gentis incuruas, aquato munere rependerint. Iam prima Turcarum agmina Samandriam peruenerant, cum Ioannes arma expedit, Gritto negotium dat, vt Strigonij arcem tormentis expugnet. Situm est Strigonium in ripa Danubij, triginta passuum millibus ab vrbe Buda, eius arx egregiè munita, Ferdinandi præsidio tenebatur. Igitur Grittus terrestribus atque naualibus copijs diu antea obsessam, admotis muralibus tormentis aggreditur, cuniculi aguntur, per quos suppositis ignibus ab imo totus corruat murus, atque extremæ in propugnaculis pinnæ ferreis pilis decutiuntur, consistunt tamen fortiter in muro Germani seq; acerrime for-

tissimèque defendunt, sed cùm rerum prope omnium inopia laborarent, & minus salubri aqua vterentur, pluréque morbus planè sanus inuaderet, desperata salute à Posoniensis auxilia, vexillo & fumo interdiu, & nocturnis ignibus petere cœperunt. Erant Posonij Thomas Agriensis Episcopus, & Vulcanus iureconsultus, Cæsaris Ferdinandique legatus: ij cognito Strigoniensium periculo, ad Viennam profectum conscribunt, hortantúrque, vt priusquam Solymanus suum traijciat, deductis è Vienna præsidijs, & demissa grauiori classe, terra simul fluminéque Danubio obsessis opem ferre maturarent. Grittus enim inconditam multitudinem Hungarorum et Seruianorum, admixtis Turcis, in castra contraxerat, nequaquam ideneam sustinendo prælio, si à peritis ordinum atq; militia in subitum pugnæ discrimen adducerentur. Præerat Viennensi præsidio cunctisque Ferdinandi copijs Catianer, quem superiore bello aduersus Turcas egregia cum laude Viennæ mœnia defendisse memoratuimus. Erat Catianer sicuti in conserenda pugna fortis et impiger, ita non semper sobrius, et turbidus in suscipiendis consilijs, alacritate quadam inanis et perulcax, siue quòd Turcas putabat ad oppugnandum Viennam, vti arcem belli protinus adulaturos, & propterea eam vrbem nulla ex parte præsidio nudandam

dandam iudicabat, siue quòd satis virium in sola classe futurum arbitrabatur, terrestri itinere nihil tentare constituit, prætermittens quòd facilè patrandæ rei occasionem, Posoniensis reseripsit, vt Nasadias quantas haberent, propugnatoribus instruerent, pollicetur vero se paulò post grauiora nauigia maioribus tormentis referta, atque exornata more maritimarum triremium, vt Nasadijs præsidio essent, continuò submissurum. Hungari Nasadias vocant nauigia oblonga remorum ordine valde expedita, biremibus prædatorijs quæ in mari nostro visuntur, disciplina celeritateque simillima: eius generis ad sexaginta in statione erāt circa Posonium, quas vir Germanus, cui Corporano cognomen fuit, rei nauali præpositus, vti Catianer præscripserat, deducit, ac remige militéque & minoribus tormentis completeo consilio, vt in Comaria insula, quam paulò infra Posonium Danubius efficit, desertum quoddam castellum occuparet, atque inde, quum grauiora nauigia à naualibus Viennæ demissa applicassent, in hostium classem inueheretur. Ea erat in obsidione Strigonij distributa in stationes, vt flumine nihil omnino obsessis importari pateretur. Dum hæc ad Posonium parantur, Grittus per speculatores de hostium consilio fit certior, erant enim permulti Hungari in partibus Ferdinandi, qui non valde

turpe ducebant, vti libido ferret, hac & illac transire: gens enim efferæ, præsentis tantum gnara commodi, atque euentuum spectatrix, studiorum commutatione magnopere gaudebat, adeò vt nemo ferè in partibus Ioannis esset paulò notior atque nobilior eques, qui non aliquādo cum Ferdinando rege militasset, nec satis firma etiam fides erat apud sacratos antistites qui non semel animos atq; opes alterna fortunæ successibus applicassent. Igitur Gritus celeriter consilium capit præoccupandi hostis conserendæq; pugnæ, priusquàm grauiora hostiū nauigia Nasadijs coniungantur. Erant ei Nasadiæ numero Posonianis fermè pares gubernatorum verò scientia & militum virtute aliquāto inferiores, quamobrem in has complures sagittarios & sclopettarios Turcas distribuit, proponit præmia singulis, qui spectatum facinus ediderint, atque omnes ad præstandam gnauiter atque celeriter operam cohortatur: nec mora aduersō amne per noctem ad hostes magno silentio proceduntur. At Posoniani, qui iam ad Comariam peruenerant, vbi ex pulsu remorum, renunciantibus speculatorijs nauigijs, de aduentu hostium cognoscunt, vehementer perturbantur, vt ij plerunque solent, quibus præoccupari deprehendique contingit, dum insidias hosti moliuntur. Erat præpositus quinque Nasadijs Pestanus senex, negotij

negotij naualis ad modum peritus, is Corporanum monet, vt congressum deuitet, atque sese Posonium recipiat, ipsum à postremo agmine totius classis terga validissimis Nasadijs esse defensurum, non esse credendum hostes nisi magna de causa et certa cum spe, veluti rebus exploratis, aduerso amne subijsse, proculdubio totius consilij decretum per Hungaros hostibus esse delatum, profectionem q; proditam, satis honestum videri posse eum receptum omnibus militiæ non ignaris, post quàm grauiores naues nondum aduenerint, quas etiam Catsianer expectandas esse præceperit. Corporanus ingenio ferox, nihil de Pestani monitis ad aures admittit, siue quòd flagitiosum putaret non expectare hostem vltrò subeuntem, prælium q; poscentem, siue quòd suorum virtuti nimium confisus aduersariorum vires magnopere despiceret, ergo prælij signum præponitur, diuiditur classis in acies tres, Pestanus omnium primus prorumpit, profluentis q; secundo cursu cōcitatus hostes adoritur, eo impetu quatuor eorum Nasadias perfringit, primum agmen perturbat, magnam victoriæ spem sequentibus præbet. At Turcæ consertis nauigijs vim atq; impetum inuadentium constanter excipiunt, fit prælium atrox, omittunt plerique remos, contis & gladijs rem gerunt, tormentorum sonitu ac fumo, & dissono clamore tot gentium, omnis

oculorum atque aurium vsus eripitur adhæ nebulæ crassior. Vt fit ortæ diluculo, ita amnem totum & classes intexerat, vt nauium magistri non planè perspicerent, quam nam in partem flectendi remi & proræ essent incitandæ. Erat Turcis fluminis impetus maximè grauis & aduersus, sed ea iniquitas coniunctæ inter se eorum naugia maximè confirmabat, adeò vt contra, veluti æquata conditione, Posoniano rum oculi aduersis orientis solis radijs feriren tur: tum verò Turcæ discussa nebula tantam vim sagittarum aduersis nauibus superfuderunt. Vt propugnatores simul & remiges hi confixi, sclopettorúmque glandibus traiecti in fugam verterentur. In eo tumultu Pestanus egregiè pugnans interficitur, Corporanus cum tredecim omnino Nasadijs, quæ celeritate reliquas anteibant, aduerso flumine profugit, reliquæ aut demerguntur, aut desilientibus in proximas ripas militibus atque remigibus, vacuæ capiuntur. ex mille & septingentis hominibus, qui in Posoniana fuerant classe ferè quarta pars interijt, cæteri terrestri itinere euaserunt, nonnulli etiam capti dimissiq; ab hostibus, non multò post Posonium sunt reuersi. Post id prælium Grittus quòd cuniculis nihil profecerat, & duo muralia tormenta ab crebro vsu, vti accidit, feruefacto metallo disrupta fuerant, arcis oppugnationem intermisit

misit, ratus circumuallatum hostem, non diu obsidionis incommoda, tãquam desperatis post naualem victoriam auxilijs esse toleraturum. Sub id fermè tempus Hispani qui in agris vrbium Aemiliæ vias stationa habuerant, fertilissimique tractus incolas circa Scultennam & Gabellum amnes ad Padum vsq; magnis detrimentis afflixerant, ad Alpes peruenerunt. Erant in eorum castris supra xx. millia hominum, sed tertia fermè pars inutilis turbæ quæ tantùm septem millia veteranorum peditum censerentur, cum multis enim impedimentis et iumentis onusti vetere prædæ secum fortunas suas omnino deferendas esse iudicabant, adeò vt nec scortæ et voluptatum instrumenta relinquerent. Hanc militum licentiam ac luxuriem, quum Vastius præcipuè commeatus inopiam veritus, castigando iubendoq; cohibere, sarcinarumq; numerum præscribere vellet, ad Atheſim militaris seditio exarsit. Nonnulli enim centuriones opulenti, quibus adeò longinquæ & periculosæ militiæ labor erat ingratus, concitare vulgus militum, et stipendia flagitare cæperunt, adeò vt non excessuri Italiæ viderentur, nisi consternatis & in vnum animi decretum consentientibus pecunia solueretur. Vastius qui ad minuendam ipsius existimationem, a paucis inimicis aduersum se exagitari multitudinem haud obscurè intelli-

gebat, dissimulandum in præsens ratus, quædam tempori necessitatiq; tribuit, donatiuum que pollicitus, quũ ad Cæsarem peruenissent, menstrui stipendij pecunia cohortes pacauit, et in Germaniam sublatis signis est profectus, nec multò post Italicæ cohortes sunt sequutæ. Tanta enim alacritate in Cisalpina atque togata Gallia, Piceno, Vmbria, totáque passim Etruria milites bello assueti nomina dederũt, vt duplicatum signorum numerum qui sq; præfectus adduceret. & Vastius nonnullos nobiles Circumpadanos opibus insignes, quos præfecturis honestarat, et in magnos bellici apparatus sumptus adegerat, superante militum multitudine, cum magna inuidia repudiare atq; relinquere cogeretur: non enim Italos tum primùm lætæ pace perfruentes, tanta promptitudine virtute q; animi eam ancipitem duramq; militiã subituros crediderat, vt præcipuè Germanis opẽ ferrent, à quibus tot clades accepissent, propterea potentes opulentosq; rogarat, prolixe q; inuitarat ad capessendam laudem, quibus clientes atq; oppidanos minimè ad sequenda signa defuturos iudicasset. Id antè inuitus fecit, quoniam ei certum militum numerũ Cæsar præfinierat, iusserat q; vt cæteris reiectis signa & cohortes vni tantùm spectatæ virtutis & fidei veterũ præfectorũ cõmendaret. Ii fuere Martius Coluna, Petrus Maria Rubeus, Philippus Torniellus, Ioannes Baptista Castalius, Fabritius Maramaldus, & qui nouissimè omnium Alpes transiere, Pyrrhus Stipicianus & Camillus Columna, Martij frater patruelis, veteres præfecti omnes, & bellica virtute, & studio erga Cæsarem admodum illustres, in his cohortibus fuere amplius quatuordecim millia delectorum peditum, præter voluntarios, qui vndique Viennam postea confluxerunt. Sequutus est legiones Ferdinandus Gonzaga cum duobus circiter millibus galeatorum equitum, in quibus fuit ala ab Alfonso Atestino missa, & trecenti veteres Hispani equites, & Græcorum aliquot turmæ accessere, et his plerique è tota Italia sine stipendio nobiles strenuiq; equites, qui antea ordines duxerãt: existimabant enim se ignominia notatos iri, si vti desides & parum pij, sacro bello minimè interfuissent. Hac tanta multitudo ad Halam salinis celebre oppidum, nauigijs imposita, secundo amne Oeno ad Boiodurum, quod hodie Patauia dicitur, Danubiũ intrauit. Sub id quoq; tempus Cæsar inspectis Sequanorum & Belgarum alis, quæ erant mirifica, tormentisq; maioribus, quæ Nurimbergæ præsenti pecunia compararat, ratibus impositis, à Ratispona Lintium deuehitur. Nunquam tot nauium totq; militum à Romanis vsque temporibus Danubius tulit

tulit. Erant maximi lintres, ad effigiem terrestris ædificij cum cubiculis & porticibus fabrefacti, visebantur latissimæ rates equorum agmina deferentes, erant nauigia tabulatis contecta, plena commeatibus, præter hæc, innumerabilis nauicularũ multitudo intermixta maioribus nauigijs sequebatur, undique audire erat cõsalutantiũ acclamationes, tympanorumq; & cornuum ac tubarum concentus, & cum nauigia defuissent, etiã ripæ fondosis arboribus conuestitæ sinuosi peramœnique fluminis, ad iucundissimum quoddam spectaculum equestribus atq; pedestribus copijs complebantur. Interea Solymanus, qui sextus & quinquagesimis castris Belgradũ peruenerat, Sauo amne multis simul pontibus cõstrato, innumerabilem equitũ multitudinẽ in Pannoniam effudit, relicto in dextra Danubio, paululum ad lauã deflectens, ut intacta superiore bello regionis copijs vteretur, & in Valeriam prouinciam latè fertilem, & Norico ad meridiem coniunctam, quæ Stirta hodie dicitur, rectà contenderet. In eo itinere Guintium occurrit, quod Nicolizza vir fortis domestico potius quàm externo præsidio tuebatur. Id est oppidum non longè ab vrbe Sabaria, in plano positum, quadrato nec magno ambitu & modicis quidem mœnibus cinctum, tenue opibus, & prorsus ignobile, nisi ab ignominia Turcarum

carum claritatem accepisset. Igitur Nicolizza refectis propugnaculis, repurgata fossa, oppidanis & paucis militibus animo confirmatis, vel ob id præcipuè, quòd in Turcarum castris nulla essent tormenta muralia, sires minasq; tanti hostis contemnere, seq; ad extremum rerum exitum tueri constituit, vt inde bellicæ virtutis & constantiæ habiturus famam, aut si cum oppido cadendũ foret, Pannoniorum fidei & fortitudinis præclarã speciem editurus. Habraimus ipse Bassarũ princeps, cui Solymanus, quòd nemini vnquam ab Ottomannis datum mẽminerant, suprem imperij potestatẽ communicarat, ad Guintium profectus, Nicolizzæ fidem promissis & minis pertentat: nouerat enim hominem Habraimus, dum ille Byzantij legationis munere fungeretur, eumq; veluti virum fortem ac industrium sibi & Solymano conseruare, quàm omnino perdere cupiebat, sed quia Nicolizza nihil pacatum, nihilq; demissum responderet, copiæ innumerabiles in coronã mœnibus admouentur, aguntur tribus in locis cuniculi, vt subditis ignibus mœnia ab imo disruptæ frangerentur. Cæterùm quum discisso & prorumpente muro, Guintiani præsentibus animis introrsus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter, vel à fœminis obuiam iretur, ac in statione vbi periculum posceret,

audacter consisterent, & multi utrinque tormentarijs glandibus peterentur, Habraimus agmina Asaporum, atque item Ianizeros prætorianos, ad eam muri partem conuertit, qua Meridiem spectat: à Septentrionibus verò, vbi multi passim colles exurgunt oppidóque imminent, curulia tormenta perducit eo consilio, vt terga propugnantium hostium, ab excelsioribus locis intercedente oppido verberaret. Ea res non statim animaduersa, magnum Guintianis attulit detrimentum, quum eodem tempore aduersi sclopettariorum, & sagittariorum multitudinem vix ferre possent, auersi verò plumbeis pilis sternerentur, erant ea tormenta non diruendis muris, sed ad campestres pugnas idonea, lenitate & breuitate expedita, ita vt commodè subductis rotis singula camelis singulis veherentur. At Nicolizza, quanquam suorum clade perculsus, sese non deserit, sublatáque ex ædificijs magna tabulatorum atque asserum multitudine, perpetuam munitionem introrsus à muro, pedes duodecim erigit, qua milites protecti atque occultati commeando & propugnando, consistere possent, eo subitario opere perfecto, Turcæ incertis demum ictibus tabulata petebant, ita vt paucis, & casu quidem interirent. Sed quotidie non paruus numerus fœminarum puerorum

rorum & senum vulnerabatur, qui conclusi domibus cùm parandis alimentis, tum suarum curandis vacabant, quòd in ligneas domos frequentes pila terebratis repentè tabulatis in nihil tale expectantes inciderent. Interim ducenti fermè equites Turcæ è castris speculabundi prædabundíq; vltra Neostadium excursionem fecerunt, qui quum diu vagati ad Leopoldium vicum peruenissent, incidere in insidias, sic vt inter amniculum, qui illac perseptis ripis perlabitur, & mediam vici regionem, qua publicum iter præbet, intercluſi ferè omnes ab Hungaris equitibus cæderentur aut caperentur. Leopoldenses enim ingenti stipite prælonga arboris ita militarem clauserant viam, vt cùm his stipes in ligneæ tricubitali columna ad libramentum suspensus esset, & in axe verteretur, facile quum vellent in directum extenso stipite à læua dextráque aditum aperirent, vel eo contraria ratione reducto per obliquii, leui momento præcluderent. Ea enim erat agrestis machinæforma, quòd esset vndiq; armata præacutis ramorum truncis latè prominentibus, vt Turcæ equites, qui nec artificium moliendi nouerant, nec quin infestis ingentibus stimulis induerentur, transilire audebant, tanquam indagine clausi caperentur. Præfectus alæ Pauli Bachitij, cui à vitio

dissor

distorti cruris Claudio cognomen erat, de truncata humeris hostium capita Viennam detulit, & ad omen victoriæ, spectaculumq; coeuntium vndiq; militum in mœnibus præfixit. Tum verò ex captiuis certius est cognitum, duplo ampliores copias, quàm quisquam rex Ottomannus ad bellum eduxerit, & ob id ferè innumerabiles esse in castris, ipsumq; Solymanum sine muralibus tormētis aduentare, vt quamprimum collatis signis cum Cæsare confligat, aut si hostis armatus non occurrat, ferro ac incendijs cuncta obuia deuastet. Eadem quoque legati Ferdinandi retulerunt, quos serica talari veste & singulis argenteis pateris donatos à Guintio dimiserat, vt literas ad Ferdinandum Cæsarem q; deferrent, eas nos tum vidimus in oblongo & peranguste dentata charta volumine aureis atque ceruleis literis Arabicè scriptas obsignatásque aureo sigillo, & sacculo purpureo inclusas vt pote quæ tantis inuolueris barbari vanissimique regis superbiam præferrent. In his enim vsurpatis multorum regum titulis tumidissimè se terrarum propè omnium & gentium dominum ac imperatorem præscribebat sed summa hæc erat se vindicandis iniurijs, quas Ioanni regi beneficiario atque amico suo intulissent, domo profectū in Pannoniam venisse, processurumq; infesto exercitu

titu in ipsorum prouincias, ac si quis contrà resisteret, prælio certaturum sæuissimis auspicijs Dei optimi maximi, & Mahometis, qui pro iustissima causa stare cōsuessent. Proinde si regij nominis memores esse vellent, & armati progrederentur, vno prælio finiri posse controuersiam atq; ipsos totius orbis imperiū in præmium victoriæ, aut daturos protinus, aut accepturos. Caterùm legati, vti ex captiuis variis percunctationibus fuerat expressum, multitudinem quinquaginta myriadū in castris esse referebant, & tormenta ænea curulia circiter trecenta, è quibus longè maxima vix anserini oui qui magnitudine pilam emitterent, castra plena esse omnis opulentiæ, securitatis, silentij disciplinæ, Solymanum ipsum, si superstitionē demeres, ab æquitate, continentia, liberalitate, magnitudineq; animi tantæ fortunæ dignum videri, staturæ esse supra mediocrem, habitu gracliore, cervice oblonga, ore candido & exangui, ac osseo prope modum naso, atq; eo plurimum aduncо, raros patere ad prætorium aditus, sed eum cunctis benignitatis officia per Habraimum humaniter implere, lautitiam sibi castrensi more largè præbitam fuisse, nihilq; sibi extra vini desiderium defuisse vnquam, vniuersum exercitum egregiè ali veruecinis carnibus atque oriza, nullum panis esse vsum, nisi subcri-

 neritij

neritij & tumultuarij, equos in vniuersum campestri pabulo cõtentos esse, cuius magnam copiam ea regiones ferant: nã pratu nequaquam detonsa falcibus, quòd sponte tulerint prealtè adultum & planè siccatum prebentium esse in castris Habraimum, ad quẽ vetuti ex aquatu cum Solymano militaris imperij potestate, rerum omnium summa resplendet, eum esse ingenio excelso, graui, expedito, & ad virtutem exornandam maximè proclivi & liberali, penes hunc maximarum & secretissimarũ rerum arcana recondi, adeò vt Solymanus in eius viri consilio, fide, ac vigilantia securè conquiescat ab eo proximam dignitatem tenere Aracem, & Cassimum magistros equitum, quos Bellerbecos vocant, huic Asiaticorum, illi Europeorum Sanzachos parere, secundum hos Michalogli. Mustaphæ nomen celebrari, qui voluntarijs equitibus præsit. Ii sunt eorum lingua Acanzi, qui longè latéq; præcurrere, regiones explorare, demorari distinere q; hostes, atq; omnia ferro atq; igne vastare soliti sint, hunc esse Turcica stirpe ortum Ottomannis vetustate originis parem, militari prudentia clarum, antecedere eum castra duorum dierum itinere, vt sicuti superiore bello feciſſet, ante alios cum centum millibus equitum intra proximos Austriæ fines esse præcursuros. Interim Habraimus

cùm plures dies irrito conatu in oppugnatione Guintij contriuisset, quòd abscedere incepto, neque Solymani neque suæ dignitatis esse statuebat, duo muniti a magnitudinis propugnacula, ante fossam erexit, hæc non murum modò, verum & turrim, quæ erat in angulo ad Austrianum portum altitudine superabant, ea etiam ratione muri angulum complexus, vt ex primo quod erat latius & excelsius, frontem hostium verberaret & ex secundo per obliquum ipsorum latera peterentur. Ea continenti totius exercitus labore, quatuor omnino diebus fuere constituta, & in summam edicta altitudinem, vt hinc etiam Turcarum altitudinẽ æstimare liceat, Imperatum enim fuerat singulis propè equitibus, omnibus q; sarcinarijs lumentis, vt casum Asaporum securibus materiam è proximis syluis in castra conucherent. Scapos enim ramorum magnorum, aut discissarum arborum decisis frondibus, æquali, & ea quidem trium bitali longitudine ita collocabant, vt alternis ordinibus modò recta, et modò obliqua serie alteri scilicet alteris impositi ingentẽ lignoriũ struem efficerent, ad effigiem latissimæ turris, è qua non modò qui in muro consisterent sed & qui intra oppidũ vagari vellent, à sclopettarijs & sagittarijs conficerentur. Eo opere incredibili celeritate perfecto, re-

pletaq; fossa, & compluribus muro occisis & vulneratis, Turcæ, quà murum cuniculo disruptum diximus, in oppidum impetum fecerunt, quibus irrumpentibus Nicolizza quantas habebat copias, vti in extremo conatu necesse erat, haud cunctanter opposuit. Sed cùm iam prope intra murum peruaderent prætoriani, tantus sublatus est clamor cum eiulatu ab imbelli puerorum, & fœminarum multitudine, vt stupefacti potius quàm territi impetum repressérint. Ea cunctatio sicuti subeuntes tardauit, ita animos propugnantibus in immensum adauxit. Natura enim sit, vt homines tum maximè audeant, cùm repentè commutata fortuna timere desierint. Eo modo quum præfecti cohortium milites castigando atque item verberando nihil proficeissent, pugna finis est impositus. Referebant Turcæ se integri erumpentis ab arce præsidij strepitum clamoremq; putasse, equitemq; districto gladio ipsis subeuntibus comminantem in aëre conspexisse, eã proculdubio extitisse diui Martini speciem, qui Sabrienses omnibus dubijs temporibus certò tutelari numine conseruasset. Cæterùm eius miraculi fides apud Nicolizzam relinquetur, à quo demum obsidione liberato, Viennæ eam rẽ longa percunctatione didicimus. Porrò Habraimus pudore atque ira vehementissimè conturbatus, dum vi Nicolizzæ

olizzæ animum peruincere nequit, honestissimis oblatis cõditionibus expugnat, data enim fide publica euocatum ad se in castra cum summo honore, verborum eius virtutem commendare cæpit, rogauitq; vt fortunæ periculum facere desineret, oppidum in eius potestate se relicturum, si in verba Solymani iuraret, & in speciem præsidij aliquot Turcæ veluti tradito oppido reciperentur. Nicolizza, qui ex octingentis strenuus defensoribus vix tertiam partem, atque eam confectam vigilijs, & vulneribus debilitatam, sibi superesse meminerat, omnino transigendum existimauit. Quid enim optatius accidere poterat, quàm ipsum cum præclara fide, virtutisque laude retinere oppidum? & cum sola verborum inanium tractura tantum suorum multitudinem supremo metu atque periculo liberare? Quum in colloquio nullum timorem præferret, & præsidij vires effusè mentiendo adaugeret, affirmauit se anteà oppidum dedere, paratum fuisse ob amicitiam Byzantij initam, sed semper fuisse prohibitum, quominus votum impleret, à Germanis & Hispanis feris violentisq; hominibus, qui in præsidio essent eos quoque tum vel exorantibus pueris ac fœminis, vt ipse exiret, agerrimè permisisse. Itaque se polliceri Turcis omnibus, qui illuc transirent, amicum fore, eisq;

quos pesset commeatus ex copia attrita regionis prabiturum liberaliter, & Ottomanicum vexillum in summa turre prafixurum, id verò quod ad Turcas introducendos pertineret, vt dediti oppidi, acceptiq; præsidij specie præberetur se præstare omnino cupere, sed plurimum vereri ne à Germanis ac Hispanis qui Turcicum sanguinem inducti religionibus maximè sitirent, tumultu facto discerperentur, vt demum violato iure gentium, & corrupta spe deditionis, ad funesti belli discrimina sit redeundum, debere eum, qui maximis eo bello rebus gerendis immineret, vt se inde explicaret, sponte dediti, & in veterem amicitiam recepti voluntate & fide contentum esse, sicuti ipse cum oppido exiret, vti securus de salute ac reditu, sese nunquàm antea explorata fidei commisisset. Ad extremum Habraimus, virtute atque astu. Nicolizzæ superatus, id tantum impetrauit, vt Ianizzerorum decuriam intra portæ limen admitteret, quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum vinum, cuius ea gens est auida, comiter inuitatis, & sibi & Habraymo cumulatissimè satisfecit, cùm neque Germanos neq; Hispanos in præsidio habuisset. Nec multò post Habraymus, & ipse, qui non longè subsederat, Solymanus à Guintio discedunt, & in Carinthia fines ad Muram amnem feruntur, in lo-

uam longè à Danubio vertentes agmina, & penitus à nostris discedentes, qui tam magna ex parte trinis circa Viennam positis castris consenerant, ac aduentum hostium alacriter expectabant. Erat enim opinio orta primò à præfectis, vti fit, ac demum edita in vulgus, Solymanum in Neostadsanos & Viennenses campos à Guintio statim esse progressurum. vt equitatu, qua parte virium erat superior, vndiq; præmisso, aciem ostentaret & si nostri obuiam irent, iusto prælio congrederetur. Sed ab ea ratione alienum id iter adeò timorem antea de Turcis non ab re conceptum, ex animis omnium deterfit, vt qui tanta mole virûm incubuisset, tanta arrogantia & tanti fastus imperator existimatione & dignitate spoliatus profugere crederetur. Turcasq; iam nostri milites vt ignaros rudesq; militiæ munitionumque præsertim & operum, penitus irriderent, postquàm oppidulum tantis circumsessum copijs, & tantis operibus oppugnatum vi ginti triû dierum spatio capere nequiuissent. Cæterùm tribus de causis id iter Solymanum tenuisse postea à captiuis compertum est, primò, sicuti ipsi iactabant, vt ad Cæsarem breuiore compendio contenderent, quem nondum à Ratispona Lintium peruenisse, cunctanterque Viennam deuehi cognouissent, secundo, quòd Neostadiû, vti paludibus cinctum, ma-

gnoq; tormentorum apparatu & valido militum præsidio firmatum, neq; aquam sibi tentandum esse decreuissent, quo ab hostibus infesso, atq; in tergo relicto, ad Viennam sanis hominibus minimè fuerit procedendum: tertio, vt tutissimo fertilissimóque itinere, inter Drauum Sauumq; suscepto, quū æstas in exitum præceps & grauis imbribus autumnus suaderent, ad Belgradum reuerteretur. Non potius credimus Solymanum perspecta totius Germaniæ ad id bellum alacritate, cognitoq; Itzlorum atq; Hispanorum aduentu, de quorum numero ad eū ampliora et maiora vero, à speculatoribus veteribusq; amicis deferebātur, repressisse animi ferocia, & tuto euastare prouinciam quàm ancipiti euentu nostrorum vires collatis signis experiri maluisse. Sub id fermè tēpus quo Nicolizza Guinitij maximè laborabat, Vienna militaris seditio exarsit, nō modò propinquitate hostium periculosa & penè exitialis, sed disiunctione animorū & disciplinæ conturbatione grauissima, nisi dij immortales celerem atq; inexpectatam opem rebus propè perditis attulissent. Rochandolfus enim regiæ familiæ magister, quum in aduentum Cæsaris totq; regulorū & legatorum hospitia præpararet, Hispanos, qui in Pannonia militarāt vrbe excedere, & in proximis campis extra tendere iusserat, illi id se facturos perne-

pernegabant, nisi meritæ stipendia præberentur, quòd Viennensiū hospitijs assueti, omni castrensi supellectile pecuniaq; carerent: in hos Rochandolphus contumacius hærentes impetum fecit, excitisq; more militiæ ad arma Germanis & Viennensibus tormēta curulia prouexit, nec se deserunt Hispani quanquam numero inferiores, & in oblongam regionem conglobati sensim pedes referunt, portamq; occupant, qua in castra deferebat, admissuri in auxilium Hispanos, qui dudum ab Italia venissent, atque item Italos qui vt in aliena terra, viribus essent firmiores, antea cum Hispanis cohortante Vastio priuatum fœdus inierant. Res eò perducta est, vt quū Rochandolfus, vir admodum iracundus & ferox, armatus in equo vehementius vrgeret, & tormenta producerentur, contraq; Hispani obuersa sclopetariorum cohorte consisterent penè crudeli prælio certaretur, tantus erat vtrinq; furentium ardor ad conserendas manus, vt deprecantibus summis ducibus qui aderant, nō modò nō parerent, sed promiscuè omnibus minarētur, adeò vt Vastius, & Antonius Leua, Hippolytusq; legatus, qui eò ad visendum belli apparatum à Ratispona decurrerat, cū deprecando orandóque nihil valerent, sese intra proximam domū recludere cogerentur. Dum arma quatiunt, atq; ignes tormētis imminent, haud

dubiè cæleste aliquod numen Christianis rebus adfuisit. Spōte etenim, veluti exaquato Strinque periculo, milites arma depressere humi. Rochandulfo ira deferbuit, adcurrere duces dicta sunt conditiones, atq; aquis auribus acceptæ promissa itē stipendia in pacandis Strinque animis. Antonij Leux qui in sella humeris hominum inter armatos illatus ora conuerterat, authoritas plurimum enituit. Vastio præsertim legatoq; & Ludouico Lotronio inter armatos iratosq; tam depositio metu sese miscentibus. Paulò ante ad Cremētium, quod est oppidum in vlteriore Danubij ripa inter Lintium & Viennam Hispani authore Hieronymo Leua, seditionem mouerunt. Iusserat Cæsar, vt milites nominatim per manipulos atq; centurias recenserentur: nam amuli atq; inimici ipsius Vastij, vt eius dignitatem & gratiā conuellerent, Cæsari detulerant, falsum ab eo in cohortibus numerū militum referri, ob id Petrum Consaluum Mendocium triclinij præfectum Crementium miserat, vt milites exspicoret diligenter, & descriptis sigillatim stipendiū numerari curaret: antea siquidem præfectis cohortium vniuersa pecunia dabatur: vt illi iudicio suo in ea diuidenda vterentur, quū discretæ cohortes in templum instituto ordine à quæstoribus citatæ essent, & vnicuique militi stipendium de quæstoris manu

soluere

solueretur. Militibus nouum morem approbantibus, vni omniū ex Leuaniana cohorte reclamare, tumultumq; miscere cœperunt. Hac vbi videt Vastites, quū initia seditionū audacter opprimenda esse didicerat, districto gladio in medios irrupit, duos, qui seditiosius commilitones incitarant, ex conscientia sceleris è templo profugere conantes, vinciri iubet, ex his quæstione habita. Mendocius cognouit seditionis authorem esse Hieronymum Leuā, qui ad Athesim eius consternationis, quam diximus, princeps extitisset. Itaq; Mendocius, re ad Cæsarē per tabellarios delata, breui mandata recipit, damnatusq; Hieronymus Macicao castrorū magistro traditur, atq; ita ad minorē ignominiā in tabernaculo ingulatur. Vir egregiè fortis, ingenio validus, eloquentia seuo & vultu antiquis ducibus comparandus. Ferunt Mendocium aliquanto libentius atq; maturius de reo supplicium sumpsisse, propter simultatem Mediolani conceptā, quū Hieronymus in tradenda arce ipsi Mendocio Cæsaris literas asserēti, parere recusasset. Leua sublato, cæteri in officio permansere, retulitq; Mendocius se plenissimas optimis militibus cohortes reperisse, adeò vt ea res ab inuidis conficta malignēq; delata, ipsi Vastio apud Cæsarem gratium ac beneuolentiam magnopere confirmarit. Dum hæc fiunt, Michaloglus iubente Solymano

ex Ga

ex voluntarijs prædatoriam manum emisit, duce Casono, qui superiore bello vastabundus ad Lintium vsque præcurrerat, huic præcipit, vt iter non intermittat, longè latéque totam eam regionem peruagetur, quæ est inter Danubium & Alpes, vt de Cæsare hostiúmque copijs certius cognoscat. ac demum id præstet, vt maximè funestam & luctuosam Germanis aduentus sui memoriam relinquat. Erat per se Casonus vir impiger, & prædæ auidus, sed eo etiam promptiorem operam pollicebatur, quòd superiore incursione se maximè illustrē atque opulentum euasisse meminerat. Igitur in tres alas ad quindecim millia equitum, modicis tamē interuallis diuiduntur in agrū latè, pagisq; præsertim, & in fuga plena timoris atque tumultus, magnam mortalium omnis sexus & ætatis multitudinem improuisi repentiniq; opprimunt, senes inualidi fœminæq; catenis & laqueis tracti, equorum cursum adæquare coguntur, ædificia item & in his infantes pueros, barbara feritate succendunt, adeò vt per centum & quinquaginta ferè milliaria, rectis et transuersis itineribus cuncta ex continenti fumo, flammis atque ignibus collucerent. Casonus ad Lintium vsq; prouectus, cùm ad Anasum amnem tertio ab vrbe lapide peruenisset, tantum terrorem intulit Lintianis, vt rex Ferdinandus, quòd ibi nullum

nullum esset militum præsidium, ab Hippolyto legato cohortem Italicam poscceret, cuius præsidio Anasipontem tueretur. Is primus omniū à Crementio rediens, conspectis ab aduersa ripa Turcis, de eorum aduentu nuncium attulerat, itaque eò consessim mittuntur viri fortes, Sforția Baleonus, atq; Otho Montacutius cum valida sclopettariorum manu. Hi contractis aliquot ligneis dolijs ad caput pontis subitariam munitionem erigunt, continuóque reuocant Hispanicam equitum alam, quæ in prima trepidatione, Rosale veterano duce, quin Danubium transiret, retineri nequierat. Sed Casonus siue ponte non animaduerso, quòd frondosæ arbores prospectum impedirent, siue vado superius improsperè tentato, siue vt credè par est, quòd non vsq; adeò audendum putaret, vt ad oppidi portam pregrederetur, ad lęuam deflexit, nec ibi rex Ferdinandus vti oppido diffisus diu constitit sed ad Acilią vrbem, quæ Strabinga dicitur, ad Cæsarem vt copias pararet, ea nocte cōtendit. At Casonus coacta ingenti præda, euastataq; vniuersa regione, cū paganos ad arma concurrentes passim caderet aut eluderet, eodem ferè itinere regredi tur, Solymanū ratus aut Gueintÿ. aut in proximis supra Neostadium campis esse repertu rū. Sed is iam promotis castris ad vrbem Gratium, Stiriæ Metropolim, qua est ad Muram amnem

amnem iter intenderat: id Vie consilium ex falsa opinione susceptum, Casonum importunè decepit, atq; ei pariter supremum prope attulit calamitatem: nam Vbi ex frequentibus incendijs cognitum est Turcas ad Limitium & eam regionem Latissimè & crudelissimè populari, ex omnibus castris copiæ sese effuderunt, vt transeuntibus occurrerent. Germani enim ad recuperandam prædam, vindicandasq; iniurias vehementer excitabantur, & quisq; ex priuatum sibi consilium desumebat, quum vniuersum consulendi & coeundi, & tempus exiguum, & hostium inaudita celeritas, omnem facultatem eriperent, non enim prædatorias tantùm alas eu igari, sed adesse robora equitatus, atq; ipsum etiam Solymanum aduentare crediderant. Itaq; Vastius à Crementio Danubium traijcit, & per nemora versus diui Hippolyti oppidum ad hostes fertur. Fredericus Palatinus omnium auxiliorum, quæ Germania cõtulerat, imperator, ad Viennam superato Danubio castra mouet. Austriani duces Sigismundus Prandeser, & Ricianus a Neostadio copias educunt, Ludouicus Lodronius alio opportuno loco castra constituit, idem Bohemi, Moraui, equites, & ipsi ante alios Hungari impigrè faciunt, loca ad tendendas insidias quæritant, per quæ transituros hostes arbitrantur. Vastius frustra sylvas & nemora tri-

ua triduo peruagatus cũ & commeatus deficeret, & Turcæ retro conuersi, longè abessent, iam senescente in his locis eorum fama, Crementium & mox Viennam copias reduxit. Secant medium Austriam Norici perpetui montes, qui ab Alpibus Rhæticis oriuntur sese q; mollioribus sensim iugis ad Danubium & q; demittunt, adeò vt in ripa fluminis perangustum iter equis, nonnunquam & curribus relinquat. Ea montium congeries & q; ad Vindelicos fines pertinere dicitur, castellis satis frequens, multis amnibus irrigua, pecoris abundans. In hac regione multæ atque latissimæ sunt conualles, partim aratris cultæ & pascuis fertiles, partim sylvis atque nemoribus impeditæ, ea ad exitus fauces habent, pertinentes ad eam planitiem, qua Noricum à Pannonia citeriore disterminat & ad Sabariam Vesprimiumque perducit. Ad hos conuallium exitus nostri duces, vti quisq; ab oppidis fumo, & sclopis significatione facta, de Turcarum aduentu cognouerat, distinctis locis copias admouerunt, intentè expectantes, vtrum hostes essent eruptur, qui in quadam conualle circa fimentarias molas ad amniculum Casonus aquationis cõmoditate inductus consedisset. Neostadienses de aduentu hostium certiores facti, vtpote qui in propinquo erant, primi omnium cum quinq; millibus peditum ad

occur-

occupandas fauces aduolarũt. Erat despectus in Gallem ab edito collium iugo, ita vt nostri conspectis hostium castris, vt eo declui molliq; descensu, quin continuo decurrerent, contineri nequiuerint: erant ea cohortes quatuor expeditæ Hispanorum atque Itælorum sub Ludouico Coueio nobili atque impigro, sed ea die nimis præcipiti atque præpropero duce. Nam qui modicis passibus, & silenti agmine descendere debuerant effuso cursu & clamore edito, præcipites ierunt, adeò vt cùm fatigati & cursu & armorum pondere peruenirent, excitatis iam ad arma Turcis, numero & viribus impares essent, ita occisis paucis frondatoribus, qui obuij primò fuerant, adcurrentium mox equitum vim ferre nequiuerunt. Cecidere in prima fronte ingentibus gladijs obtruncati, Ferdinandus Gabreria præfecti Sardiniæ filius & Franciscus Rocha centurio, Villazanesque signifer, & Martinus Gorea nobilis Turraconensis, milites magna ex parte sunt cæsi, nonnulli in paludem profugientes vmbilico tenus totam noctem latuerũt, cæteri agiliores conscensis montibus euasere: ipse Ludouicus Gallum rusticana area concitato equo saltu superauit, & ad Germanos est reuersus: vj Sigismundo & Ricciano ducibus, quum ab alto sociorum cædem fugamque conspicerent, vti instructa acie descendere atque opem laborantibus ferre vellent, nulla ratione adduci potuerunt. At Casonus ne sibi in valle & palustri impedito que in loco, vbi diluceseceret, cum pedestribus hostium copijs esset dimicandum, captiuos quatuor millium numero, ne oneri essent barbara feritate ad vnum omnes interfecit, & intempesta nocte duobus factis agminibus castra mouit, alterũ Ferisio duce, ad meridiem perrexit, succiso nemore, & patefacto exitu, quod mirabile fuit, equitum securibus, nullo accepto incommodo ad Solymanum peruenit, alterum ipso Casono duce per Storambergi oppidi vallem erumpens, in Palatinum incidit. Is ad Leopoldum vicum, cum xij. millibus peditum, & duobus equitum grauis armaturæ, tormentisque viginti curulibus in acie constiterat: fortè tum exorta erat ex proxima palude nebula densior, qua mutuum vtrisq; aspectum omni ex parte sustulerat, qua demum dilabente, in aduersos Palatinus tormenta disploditi, his vehementer Turcæ perterrentur, & cùm deflectere paululum volunt, vt pilas euitent, in paludem proximam equos imprudenter adigunt, ibi multi tenaci in voragine impliciti perierunt, nonnulli equis longo curſu debilitatis & macie consumptis, cùm extricare sese nequirent, pedites euaserunt, multo maxima tamen eorum pars ad nostrorum acies se conuertit,

M solio

solis peltis protecti, & districtos gladios in humero deferentes, adeò intrepidè, vt ante densissimam hastatorum phalangem decurrerent spectantibus & conseruantibus locum atque ordinem non modò peditibus, sed ipsis etiam equitum alis, nihil se in prætereuntes euadentésque incitantibus. Tum Palatinus conuersus ad suos spectatores, Ergo, inquit, non bellatores erimus commilitones? si vt sese vltro hostes nostris cuspidibus induant, expectamus, incitate acriter equos atque hastas intendite, vt prætereuntium agmina perrumpamus. nec mora signo tuba dato, armati equites in latera densatis cuneis incurrunt, magna equorum atque hominum strages editur, postremum Turcarum agmen intercluſum à primis vndique vrgentibus cataphractis caditur & profligatur, pauci euadunt sternitur eorum vexillum, & ad Palatinum defertur, cecidit & ibi Casonus vti impigrum ducem decuit, supremo virtutis opere edito. Nam à nouissimo agmine vt suis spatium ad euadendum præberet, diu acerrimè ferrea ingenti claua dimicans restiterat. Erat enim inter omnes insigni crista conspicuus, ea fuit ab aurea vagina in fronte exurgens ala vulturis, quæ vt ab omnibus nosceretur appensi, atque ideo volitantis plumei veli mappulam trahebat, ea demum Cæsari dono data, occiso eo prælio

Casoni

Casoni fidem fecit. Caterùm Turcæ amisso duce vexilloque & tertia ferè suorum parte desideratâ, cùm in patentes campos euasissent, vix emensi iter septem millium passuum, in Lodroniana copias inciderunt. Lodronius enim vbi tormentorum boatum audiuit, ratus quod erat, Palatinum cum Turcis prælio congressum esse, eò signa conuerterat, vnde cauæ per anfractus valles iterato repercussu, acceptum armorum strepitum reddebant. Nec mora Turcæ conspiciuntur, & ante alios ferè trecenti, qui amissis equis in nostros pedibus tanta vi tantáque alacritate impetum fecerunt, vt sese lanceis induere & offerre tormentis minimè dubitarent, modò nostros vel semiuiui traiectique vulnerarent, tantus inerat aut desperatis, aut deuotis animis, mortis contemptus, his celeriter interfectis, assuére equitum agmina, modò confertis, modò dissipatis ordinibus. In hac Lodronius tormenta emitti vetuit, ne nostri qui terga fugientium cædendo, è Palatini castris subsecuti fuerant, vti erant hostibus permixti, temerè sterneretur, ita Lodronius omissis tormentis magnum spatium directa peditum acie complexus, atque item pari consilio Ioachimus Brandeburgensis cum duobus millibus equitum lunatæ acie venientes excepère, ibi vecordia siue temeritas hostium debitas inuenit pœnas: nam

sicuti intermittere fugam, atque etiam feruida ora conuertere cœperant, vt dextras conferrent, & se minimè animis fractos ostenderent, ita vt atque impressione nostrorum perturbati pecorum modo cædebantur: nullæ enim eis loricæ aut galeæ, rari arcus, hastæ rarissimæ, vtpote quas per nemora diuersis casibus effregissent, nec deerant qui cædis satietate aliquos caperent vt ostentari possent, & demum sacri belli iure pro seruis venderentur, tanto accepto incommodo, Turcæ vti sese è nostrorum manibus explicabant, agminatim in patentes campos efferebantur. Equi enim eorum quanquam continenti tot dierum labore & inedia confecti, natura tamen agiles & in extrema necessitate vehementer incitati, facilè Germanos qui grauioribus armis & equis vtebantur vel in modico spatio reflexi in gyros eludebant, eo modo profligatos nequicquam persequentibus Germanis latissima planities excepit, ea vtrinque parua habet nemora, solo herbido & raritate arborum adeò peramœna, vt equestribus prælijs tota Europa nulla commodior esse videatur. Hæc exitum habet ad Neocrichum oppidum, cuius mœnia abluit modicus amnis, virentibus ripis & aquarum salubritate ponendis castris opportunus. Ibi dum Turcæ veluti superatis omnibus eius diei difficultatibus conquiescere parant, & equi virique promiscuè summa lassitudine defessi è profluente bibunt, & tenuis alimenti, ex salita carne atque ea siccata in puluerem, reliquias expediunt, nouorum hostium superuentu perturbantur. Cutianer enim ipse, & Turianus equitum magister cum tribus millibus equitum diu quæritando hostes euagati, acceptæ demum vt diximus per manus ex fumo et tormentorum bombis significatione, Neocrichum decurrerant, ita tumultuarium prælium exoritur, multi Turcæ vti in gramine strati deprehensique, dum equos frænant, ephippiaque substringunt, latè cæduntur, mox ita æquatur pugna, vt cùm fortissimi quique validioribus vtentes equis in tergo constantissimè dimicarent, reliqui capto mora spatio ad euadendum antecederent, & sæpe conuersi ac demum auersi, certamen redintegrarent, nostri tamen omnibus rebus ac animis præsertim superiores ita perturbatis, fessis, vulneratisque instabant, vt passim per amplum eorum numerum prosternerent, reliqui tamen magna ex parte euasuri viderentur, nisi quod summam Turcis attulit calamitatem, & feroces adhuc eorum animos latè perfregit, nequaquam ante expectati Hungari superuenissent. Valentinus enim & Paulus, itemque Balthasar Pamphilus, & Claudius è montibus decurrentes, cum singulis alis in transuer-

sos impetum fecere, atque eos adæquato equorum cursu per sexaginta amplius stadia terga cædentes sunt persecuti. Erant enim equorum pernicitate, & armorum genere, & pugnandi disciplina Turcis simillimi, & eo terribiliores, quòd recentibus equis aduenerant, & Turcica lingua ad eos perterrendos, dum fugam increpitant & superbè insultant, feris ululatibus strebantur. Ea die cum à tribus exercitibus tribus in locis esset pugnatum summa virtutis laus penes Hungaros fuit, eo tamen æquiore conditione, quòd tribus iam prælijs profligatos, & in fugam coniectos, neque postremò paratos ad prælium deprehendissent. Vni Austriani Sigismundo & Riciano ducibus, qui biduo ante commilitonum cædem ab excelso loco despectarant & se demum in Neostadium urbem recreandorum corporum causa se receperant, tantæ victoriæ participes esse noluerunt: eos enim somno vinóque sepultos in tanta occasione, Rauber Labecensis antistes vir grauissimus & arma caperent, & oppido exirent, excitare non potuit. Quum Hungari insequendi finem fecissent, Turcis effugium patuit, solitudines syluarum petentibus, sed ij demum pars ad Ferreocastrum, pars ad Vesprinium & Balatonem lacum, in manus effusorum ad prædam populorum deuenerunt, adeò vt ex octo millibus vix pauci ad Belgradum

dum, nulli verò ad Solymanum in castra peruenerint. Porrò Cæsar vbi Solymanum didicit ad Gratiam contendisse, Lintiana in arce duces ad consilium vocat, sententias exquirit, an breui & recto itinere ad hostem sit properandum, vt Stiria maturam opem ferat. Gratia, Lintium, & Vienna urbes, ita inter se sitæ sunt, vt æqualium ferè laterum trianguli figuram efficiant, sed à Lintio Gratiam iter vel expedito equiti trium dierum maximè asperum, & conuehendis præcipuè curulibus tormentis impeditum: id enim quum à Danubio recesseris, per Velsienium fines & Salisburgam, qua antiquitus Iuuauia dicebatur, perpetui montes, & abruptæ valles excipiunt. Erant qui dicerent cum Turcis æquiore conditione posse confligi, si in regione montosa & peranguста per expeditos pedites bellum gerendo, equitatus hostium, quo illi maxime valerent, inutilis redderetur. Id consilium quanquam maximas haberet difficultates, quòd ab ore strenuorum ducum proficisci videbatur, eò Cæsarem adduxit, vt Apontius Hispanus, qui apud Antonium Leuam castrorum præfectus fuerat, ad explorandum iter mitteretur, sed is paulò post, quum deserta passim omnia incolarum pauore et fuga comperisset, pauca atque ea incerta de hostium itinere speculatus, Lintium rediit. Tum verò ex omnium

sententiæ pronunciatum est, vt Vienna peteretur, ibi enim conuenisse totius Germaniæ copias, ibi prouisa re frumentaria commoditati tanti fluminis, tantisque minorum amnium, qui ab vtraque ripa in id influerent, rerum omnium deuectionibus, non defuturos commeatus, & denique ibi recensendum lustrandumque vniuersum exercitum, & si hostis regrederetur, ante vrbis mœnia collatis signis esse confligendum. Non defuere tamen, qui pretenda Vienna consilium, vti diuersum ab hoste, & à gerendo bello penitus alienum, haud obscurè damnarent, quasi hostis in ea calamitate prouinciæ à Cæsare omnino fuerit persequendus, sed aliam inferentis bellum, aliam propulsantis rationem esse constabat, adeò vt dignitate integra Cæsar prætorio in Viennensibus campis semel posito, ignobiles hostium motus excursionesque spectare, & inanem strepitum superbi hostis à multo terrarum spatio prouocantis simul & recedentis, irridere posse videretur. Itaque Cæsar Viennam classe deuectus, Hispanos atque Italos decurrentes more militiæ, & pugnæ simulachrum edentes cum summa admiratione ac voluptate inspexit. Antecedebat Vastius cum pedestri fraxineo conto, auratis armis, & sua insigni proceritate conspicuus. Is densando & celeriter explicando cohortes, ad varias acierum effigies, quanta

quanta arte superioribus bellis pugnatum esse edocebat. Sequenti die Cæsar Germanos inuisit ferina pelle contectus, vt vel ea militari comitate, quale esset erga eos studium, vsurpato gentis habitu testaretur. Tum Federicus Palatinus, virtute animi atque oris habitu antiquis Germanorum ducibus, qui quondam Romana arma exercuere, persimilis iuxta peditum phalanges, dissolutis miro ordine tormentis, quadrata equitum agmina traduxit. Ibi videre erat prægrandes equos ferreis bardis protectos, ingentia virorum corpora longè pulcherrimis munita armis, omnibus intorta & rutilantes barbæ, atque ora bellicum vigorem spirantia, quales antiqui Theutones Cimbrique fuissent, ex literarum memoria referebant. Neque enim gregarios equites tot reguli, totque liberæ ciuitates, sed maximè generosos, aut fortibus factis illustres, dum certatim studio atque opibus excellere cuperent, ad id bellum miserant. Nam quicquid in Germanico nomine, aut exquisiti roboris, aut delecti floris fuit, à Vistula amne ad Rhenum tam latè quam litora lambit Oceanus, & Rhæticis Iuliisque alpibus, ac Hercynia sylua concluditur, id totum aut iussu principum nomina dederat, aut sponte conscriptis adhæserat, quando nihil tale vnquam à maiorum suorum vel annalium recordatione contigisset, vt consen-

su Vno Germaniæ omnis pro publica salute ac dignitate arma capere cogeretur, præsertim aduersus eas gentes, quæ ab vltimis Asiæ Syriæq;, & Aegypti finibus venissent, vt Germanos Romanorum armis indomitos, & vetere militiæ gloria, & præsenti libertate spoliarent, quibus maximè rebus supra cæteras gentes, omnibus seculis absque vlla dubitatione floruissent. Nec Bohemorum castra longè aberant, Slesitarum & Moranorum copijs adaucta, quas gentium inclyti duces Hardechius, & Bernesthenius adduxerant. Præerat omnibus Bohemis Sedislaus Lippa summi magistratus honore insignis. Ea gens cum lingua, qua Illyrica est, tum castrorum disciplina, & armorum genere plurimum à Germanis differt, curribus castra vallantur, ingentiumq; scutorum ordine firmantur acies, equites peditesque peritissimè sclopettis vtuntur. Mos est & genti in Hercynio saltu latrocinijs assueta parnas è chalybe secures, ad certissimos ictus eiaculari, ferreas item clauas cubitales, catena hastilibus appensas, ambabus regere manibus atque his armatos magnis ictibus prosternere. Hi populi regiones ad Albim in Hercynia tenent, quas olim Marcomanni et Hermanduri tenuerunt. Ferdinando regi parent, cùm regem nequaquam è populatibus, sed ab externis nationibus, quem

virtute atq; iustitia potiorem putauerint, vetere instituto sibi deligant: ita vt modò Hungaris, modò Polonis, et vti hodie videmus non nunquam Germanis, Bohemiæ regnum deferatur graui & contentiosa ambitione principum. Nam qui Bohemorum rex euaserit, in creando demum Cæsare septimi suffragij prærogatiua & potens & insignis efficitur, adeò vt quum Germani sex proceres, ad quos comitiorum ius potestasque pertinent, ex pari numero vtrinque terni dissideant, addito demum, vtri libuerit, suffragio suo Bohemus cum magna gloria Cæsarem pronunciet. Nec defuere aliquot Polonorum turmæ, non publico sed priuato consilio bellum secutæ conniuente ad ea Sigismundo rege, qui sicuti non temere cauebat, ne inducias violaret, quæ sibi cum Solymano erant, ita ne Christiana causæ deesset, fortissimis viris ostendendæ virtuti locũ præclara dissimulatione relinquebat. Quum tantarum copiarum numerus iniretur, reperiebamus Cæsarem, non deductis vrbium præsidijs, nonaginta descriptorum peditum, et triginta armatorum equitum millia in aciem esse producturum, nequaquam adnumeratis peditum atq; equitum ministris, qui seruorum loco sibi labores officiaq; resperceres, æstimari poterãt si vero ætatis ingenia, equi atq; arma cõferentur, nemo esset militiæ peritus, qui eos putaret vel

robore

robore, vel usu, vel ipsa spe, veris militibus inferiores. Erat enim tum ad Viennā, coniunctū in castris supra ducētæ et sexaginta millia hominū, quibus Ariouistus Vilermi Baioarij frater, Patauiensis Episcopus, cōmeatū in tres mēses se præbiturum, certa pactione receperat. Neq; enim vnquā ab vlla memoria tantum insignium ducum, lectorumq; militum vllis in castris coiuisse crediderim, si singularum gentium nobilitatem, ac famam assiduus quæsitam bellis, & priuatæ virtutis decora, animo reputemus. Nam cohortes ferè integræ ex his constabant, qui paulo ante centuriones signiferiq; fuissent, & turmæ refertæ erant veteribus præfectis, aut ijs qui egregiè pugnando & præclarum nomen, & militaria dona, torques aureos, & aurata calcaria meruissent. Porrò in quota parte virium censebitur curulium tormentorū apparatus? qui in veterum castris, aut certè nullus fuit, aut qualiscunq; fuerit, is omnino ætate nostra sit deriuēdus, cùm operosas è materia turres & machinas tremenda effigie, & asperis suis tantū nominibus terribiles, maiores nostros timuisse videamus: ea tum apud Cæsarem tot erant egregiè fabrefacta, vt perpetua eorū corona, instructæ acies præcingi, & latè muniri ad non dubiam victoriā facilè posse viderentur. Omnium enim ducū id fuerat decretū, nihil

à flumine

à flumine Viennaq; discedere, nihil omnino progredi in apertos campos, ne hostiū equitatus sua multitudine atq; audacia à latere insinuatus, ab vrbe demū Danubioq; interclusis nostris, omnē supportandi cōmeatus facultatem eriperet, hoc verò ordine exercitus noster expectare hostē paratos, non procul à mœnibus amplissimo in loco statuebatur. Tres peditum hastatorū quadratæ phalanges, latis inter se distinctæ spatijs pari & æquata fronte cōtra hostes sic locabātur, vt ipsis medijs interuallis equitatus omnis bipartitus reciperetur: neq; enim putabant numero exiguum, aperto in loco extra pedites trecentis fermè Turcarum equitū milibus esse obijciendū. Dextrum cornu equitū Cæsar, leuum Ferdinandus eo modo desumpserāt, vt leuis armatura sclopettariorū, quæ viginti millium numerum efficiebat, vndiq; hastatæ quæ diximus agmina, relicto triginta passuum spatio coronaret, horum acies longior, & rarior erat, & quinis tantum militū ordinibus in latitudine constabat, vt expediti, & nihil inculcati, habili manu, dum primi sclopettos emittunt, & secunda implēt, alternātibus eo modo ordinibus, perpetuā glandium procellam effunderēt: neq; enim multum referebat, si tenuior esset, quoniam sclopettarijs omnibus, si vrgerentur, paratus erat ad proximos hastatos receptus.

Circund.

Circundabant ergo, & frontem, & latera atque etiam terga, continuata serie, quæ duabus tantùm in locis erat interrupta, vt egressus liber atq; expeditus, quum oporteret, equitibus densatis absq; vlla peditum perturbatione præberetur, ante verò leuem armaturam, constituta erant tormenta, ea ratione, vt postquàm diu emissa feruefactáque vsui esse desinerent, in valli morẽ firmissimo quodam munimento irrupturis hostibus opponerentur. Soli Hungari extra munimẽta se pugnaturos professi, à Valentino Paulo q; ducibus in ingentes alas expandebantur. Hæc ipsa spectantibus præ gaudio manabant lachrymæ, veluti conceptæ nõ sine ingenti spe de barbaris certa victoria si se audacius superbus hostis efferret, ac nostros totis copijs adoriretur. Cæterum Solymanus qui è sua vetere disciplina campos quærebat, in queis nostros expanso, & circundato equitatu, nunquam cominus oblata pugna fatigaret, vbi de apparatu consilijs q; Cæsaris certius cognouit, vltra Muram est profectus. Is amnis antiquis Sauaria fuit, effunditur in Drauum paulo infra Petouiam vrbem Romanorum castris & hybernis claram: eo superato Turcæ ad Murpurchum oppidũ delati, tumultuarijs pontibus effectis, Drauum transierunt, at q; ita Solymanus qui vniuersum prope terrarũ orbem eius susce-

susceptí belli fama commouerat, nulla memorabili re gesta, vndiq; repulsus, et casus Stiria excessit, & inter Drauum, & Sauũ directo itinere ad Belgradum est reuersus, passim sæuitia sua vestigia relinquens, & sæpe respectans, an Cæsar in tergo esset quando postrema agmina à paucis Illyrijs, et Coruatis equitibus cæderentur. Ferunt eum supra trigintæ millia Christianorum capitum in seruitutem abduxisse, & aliquot millia diuersis in locis, per Michalogli præsertim equites, trucidasse: nam dispersa agrestium armatorum manus, dum coire in vnum conarentur, à repentinis astutis q; equitibus passim ex insidijs circumuenti, facilè opprimebãtur. Cognito Solymani discessu, Cæsar omnium opinione celerius in Italiam rèdire constituit, deprecante Ferdinando, vt postquàm innumerabiles copiæ tanto sumptu tantoq; labore coiuissent, ea occasione atq; eo apparatu vterẽtur, aduersus Ioannem, quõ planè destitutũ. & in magno regionis spatio disiunctũ à Solymano. & Buda vrbe, & tota demum Pannonia facilè essent expulsuri: sed Cæsar quòd hyems suberat, & commodissimis itineribus sibi Alpes omnino transeundas iudicabat, in proposito discedendi perstitit. Inuitabat enim eum ad festinandam mira cæli serenitas, eo suspectior in reliquum tẽpus, quòd per plures dies æstiua potius

quàm

quàm autumnalis extitisset, eam tum, vt ex naturæ causis credi par est, in cælo per quindecim dies apparens crinitũ sidus, siccatis planè terris attulerat: pestilentia quoq; cõtagijs serpens, & in vrbe, & in castris, & in ipsa demum aula multos quotidie, & insignes quidem rapiebat, vt non modò Cæsarem, sed etiã const. antissimum & grauissimũ quemq; magnopere perterreret. Id verò Cæsar, & communi causæ, & fratris precibus dedit, vt Italicas cohortes omnes relinqueret quæ adiunctis Austrianis copijs in Pannonia cum Ioanne bellum gererent. ipse autem cum Hispanis, & Germanorũ Maximilianj atque Tamisij legionibus in Italiam proficisceretur. Del-Eius verò Italis dux est. Vastio efferente, Fabritius Maranaldus, nec de stipendijs quicquam est constitutũ, vt cohortes ad præstandam operam accenderẽt, ac in officio continueri possent. Ea res primò reliquorum præfectorum animos vehementissimè pupugit, quòd vnus cæteris omnibus, nõ sine aliorũ dignitatis offensione, præferretur. Vt verò in vulgus militum emanauit, centuriones & signiferi notiq; milites, veterũ præfectorũ suorum nomen & amicitiã secuti, se in Pannoniã non esse ituros testari, nisi rex Ferdinandus, aut ipse Vastius, aut Antonius Leua imperij militaris munus susciperẽt. gregarij verò milites palàm dicere missionẽ esse petitur

petituros, nisi trimestris pecunia solueretur. quam per se non multum pecunioso regi, & tum maximè exhausto, defuturam esse intelligebant. Oderant & pleriq; Maramaldum, vti violentum, & in exercẽda disciplina nimis seuerum, minimaq; erratæ militum, aut morte, aut inflictis vulneribus sapissime puniẽtẽ. Vastius non vno in loco ad milites verba fecit, cohortes monendo, vt sacramentũ militare respicerẽt, & decus, quod tanta alacritate & celeritate aduentus, sibi ipsis ac toti Italiæ peperissent, remanendi perseuerandiq; const. antia tueri vellent: ad eos enim recuperata Pannonia laudem & gloriam esse perueniturã, nec fortes viros vnquam equisse stipendijs, omnia virtute victoriáque parari, quæ certa atq; exploratæ videretur: quantum ad ducem pertineret, eum semper satis generosum & dignum videri, qui esset rei bellicæ peritus, & strenuè hostem ferire ac profligare didicisset: in Fabritio tamẽ non desiderari honestos natales, & excellere comitatẽ, et ipsum, quũ vi corporis ac ingenij vigore nemini cederet, etiã ætatis honore cæteros anteire. Sed in hoc præcipuè spectari debere iudicium Cæsaris, qui cum vti potiorẽ delegisset, & modestiam parendique obsequium in milite, ante omnia requirere, & maximè commendare esset solitus. His cohortationibus Vastius tantum pro-

fecit, vt stipendio prabito pacari atque inflectis posse viderentur, sed ad id Cæsar quæstorum malignitate durior est inuentus. Nondũ enim persoluendi stipendij dies aduenerat. Verum id æquitate quadam milites sibi deberi postulabant, quum nouo & longinquo bello sub hyeme illigari sine pecunia nollent, et arma quoque discedetes ab Italia stipendij nomine acceperant, quæ, quarto demum mense per partes leui cum incommodo, soluerentur, ita accidebat, vt quibus arma publicè diuẽdita fuissent, illi maximè in alimenta vitæ, pecunia carerent. Interim quum Vastius è castris in vrbem ad explicandas huiusmodi difficultates perrexisset, nox aduenit opportuna miscendæ seditionis, vtpote quæ incerta luce pudorem metumq; demeret, & ob id flagitio, & petulantia locus crescente licentia præberetur. Fortè allatus erat ex vrbe nigerrimus panis, planeq; mucidus, quem emptũ milites infixũ hastilibus ita commilitonibus ostentabant, vt cum insigni dolore bileq; Ferdinãdi regis nomen maledictis incesserent, qui in regno suo, ipsoq; belli initio, re frumẽtaria negligentissimè procurata, externos exercitus ad se præcipuè defendendum augendumq; venientes, ex corrupto, & ob id pestifero cibi genere, alendos putaret, & paulò ante insolentius etiam egerat gregarius Hispanus, qui prætorium

ingressus, similis pane ad Vastij pedes cum execratione duorum Cæsarum proiecto, magnas turbas exciuerat. Itaque milites ante tentoria in coronam coeuntes, dum aduersa atque aspera de stipendio, de commeatu, de Hungarici belli difficultatibus proloquuntur, ad signa Parmensium ex omnibus cohortibus plurimi confluxere. Ibi Titus Marconius Volaterranus, cæteris turbidior, & eloquentior, coacernatis iumentorũ clitellis impositus, seditiosissimo quoq; centurionum incitante, vt pro dignitate saluteq; omnium liberrimè disseret, ita locutus fertur. Ergo, inquit, commilitones, vti audistis, Hispani in Italiam ibunt, & nostro malo in vetera hyberna concedent, atq; etiam quod pudeat, præclari hostes cum vxoribus nostris cubabunt? nos verò exulabimus, & in Pannonia, hac hyeme, cum glacie, & niuibus bellum geremus? pugnaturi scilicet pro egentissimo rege, & eo quidem, si Hungaros spectemus, insititio & peregrino, contra indigenam acceptum suis popularibus, superq; cætera omnia Turcarum copijs ac opibus longe firmissimum, & quod fortibus viris maximè mouere stomachum possit, duce Maramaldo, qui sæpe cæcus ira, præcipiti crudelitate, ita latera nostra auidè gladio petere est solitus, vt non aliunde libentius, quàm ex nostra cæde & supplicio, ducis nomen vsur-

pet? Neque vos, quæ sæpe signiferi centuriones q3 fusistis, vsque adeò insaniisse crediderim, vt sine vlla spe stipendij, aut commeatus, aut victoriæ, aut denique reditus, sub gregario duce militetis. Profectò non tam me tuuat huc veniisse, pro laude Italici nominis, vel non plurumquàm triginta denarijs æstimatum, & si hactenus vndena stipendia meruerim, quàm hodie dispudet hunc fœdum ante finiti, quàm cœpti belli exitum spectare, sed in regia fortuna nullus est pudor, sicuti nec vlla æquitas in referenda militi gratia, militarem enim operâ hodie reges vna belli necessitate metiuntur: hæc vna inquâ nobis præmia expedit, amorem conciliat, auget dignitatẽ, quæ omnia demum post victoriâ parta pace, penitus obsolescunt. Ita vobis hodie euenit commilitones, Cæsar, & Ferdinãdus grauissimo belli metu liberati, vt hac nostra multitudine exonerentur, nos tanquã pecora, in Pannoniã detrudere cõtendunt, ita vt sperẽt nostro sanguine victoriam esse relaturos, aut in aduersa nostra fortuna nullã omnino iacturã facturos, si nos Turcæ, & Hungari, Danubij glacie, & Alpinis niuibus intercluſos fame & ferro penitus absumpserint. Verum hæc fortasse nõ agnoscitis, sicuti nec planè nouistis, quid hic dirus, et verè sanguineus cometes, euibratis in Italiã radijs, portendat. Certè hic nec Solymano nec

Cæsari fatalis adfulget, quum verius nobis calamitatem ac interitum mineturi: illi enim pari consilio securitatis atque prudentiæ pleno, viam fatis aperire noluerunt, dum in diuersa abeunt, at q3 omnes committendi prælij casus deuitant. Ergo si illis planè licuit, & salua quidem maiestate, egregiè cauisse, ne prælij aleam subirent quum trinq3 dimidius terrarum orbis præmium victoriæ spectaretur, nos minimè cauebimus? ne eò demittamur vnde nullus nisi funestus exitus esse videatur, quum id absq3 flagitio, & optimo quidem iure, nulla præsertim proposita mercede, facere possimus? Hoc modo valde præclarum tanto bello finem impositũ videtis, in quo vni omnium Itali pro laude & donatiuo contumeliam ferimus, & ob id fortasse in Pannoniam relegamur, vt in Italiam, hoc flore militum detracto longeq3 semoto, Hispanorum & Germanorũ colonia deducantur. Profectò nimis miserũ videtur, ablegari in solo barbarico, vbi omnia hostilia occurrent, nec vllus desertos & errabũdas omnino pacatus locus excipiat. Experiemur quoq3 vel inuiti, quã graue sit atq3 intolerandum corporibus simul atque animis, hyberni, & ancipitis belli arũnas pati, atque interim agro animo molestissima reputatione meminisse, quid domi ab Hispanis atq3 Germanis, liberi, fratres, consangui-

nei, & ipsæ denique uxores nostræ patiantur. Itaque hodie commilitones, pluris interest rectè sapere, quàm fortiter pugnare. Ad certam salutem, ad verum decus occasio, quæ se nobis præbet, in præcipiti vertitur, maturè facto opus est, & priusquàm Hispani vasa conclament, nobis est prouolandum, vt magno interuallo castra & prima agmina Cæsarii antecedentes, primi omnium Italiam intremuerint, si prolixè consultando, paululum cunctemur, & Vastius aderit, & ipsi præfecti nostri aduenient, Italici sanguinis proditores, qui nos suo quæstu, & malo nostro in has difficultates adduxerunt, scilicet deprecantes, & demq; fallacissimis artibus multa stipendia pollicentes. At vos si viri estis, eos tanquam publicos hostes à colloquijs arcebitis, atque etiam iure optimo, vt veterem scelerum pœnas pendant, interficietis: non deerunt in hac corona viri fortes, atq; etiam magnitudine animi, & vita innocentia illis multo meliores, qui nos educant, agmina subsidijs firmẽt, aciem instruant, & hac vestra virtute vestrisq; animis feliciter vtãtur. Vos si sapitis, expedito consilio corpora atque animos ad iter parate: Dij maturantibus vbiq; aderũt, nam facilè voti cõpotes euadũt, qui præoccupãt. Hæc dicentẽ excepere turbidissimi quiq; ex variis cohortibus laudando atq; approbando cuncta ordine,

ordine, vti Marconius perorarat, móxque fremitus tota concione est auditus, qualis apud consternatos ad arma esse consueuit, inde cuneata profectione, signa sunt reuulsa, & densato agmine ad Neostadiũ iter est directum, nec mora in agmine tribuni militares tumultuarijs suffragijs cum imperio creantur, nec his vbi nomen est recitatum, honoris recusandi facultas relinquitur. Hi fuere Montebellius Vmber, Nerius Tiphernas, Molearius Parmẽsis, Sanctiusq; Picens, & à Mediolano gemelli fratres Glussiani, qui ad octo millia hominum secum traxere: reliqui partim pudore, partim metu suspensi, apud Maramaldũ Torniellumque, in obsequio permanserunt. Eo modo profectos, Vastius præfectiq;, & plerique centuriones prouecti equis ad sextum fermè lapidem consequuntur, orant, vt consistere, nec tantum scelus admittere velint, parata esse stipendia docent, & precibus minas addunt. At illi ob audire, nihil morari, ira simul atque flagitio efferata ora conuertere, adeò vt in aduersos minora tormẽta disploderent. Ibi Vastius dum retentare agmen, & tribunos deterrere reuocareq; ad imperium conaretur, non mediocre vitæ periculum adijt. In ea interpellatione, Molearius, qui, vt sese expurgaret, atque operam sedandæ seditioni polliceretur, paulum extra agmen in colloquio hæserat, interceptus

à Castalio præfecto, iugulatur. Vulneratur & C. Anguillius Florentinus, caputque, vt eo indice seditionis authores quæstione habita noscerentur. Eo atroci facto, semel consternatis, ira in immensum accenditur, ita furentibus similes, multa millia progressi, ad Martis lucum perueniunt: id oppidum quod portas clauserat, succensis valuis expugnant, atque diripiunt, continuatisq; & maximè extentis itineribus cuncta obuia crudeli rabie populantur, omnia exempla scelerum passim edunt, auaritiæ, libidinis, immanitatis. His iniuriis Ferdinandus vehemētissimè commotus, quod recuperandæ Pannoniæ tota spe deciderat, & ab his, à quibus summum beneficium expectabat, inexpiabilis iniuriæ detrimenta pateretur, omnibus Stiriæ, Carinthiæq; populis scripsit, vt nemini Italico parceretur: id irati animi decretum, quanquam in supplicia meritos ederetur tamen aliquanto acerbius & atrocius est visum, & prorsus eo rege indignum, qui in omni actione antea pietatis ac humanitatis laudem ferre concupisset, quoniam neminem eo periculo eximeret: adeò vt tot reliqui milites, tot legati, totque sacrati antistites, atque ex omni Italia honestissimi viri, in id cædis discrimen cum sceleratis hominibus miscerentur. Ad hāc edicti famam decurrentibus vndiq; Germanis ad obsidendas itinerū angu

anguſtias, multa cædes facta, in dispersos præsertim & alimenta quærentes, sed vbi conglobatæ cohortes ad vestigia cædis, & ad ipsa cadauera perueniebant, tum verò animis ira ac dignitate percitis, in ædificia grassabantur, sic vt passim cubitalibus literis ex carbone incendiorum causam præscriberent, vt subsequentes id nequaquam temerè, sed vindicandis iniurijs factum scirent, cauerentque, ne ipsi pariter in saltibus impediti, Germanorum insidijs sternerentur. Interea Cæsar profecturus Viennæ edixerat, vt hoc ordine in Italiam iretur, ex primo agmine, cui ipse præesse volebat Ferdinandus Gonzaga cum leuis armaturæ equitibus antecederet, inde Vastius cum Hispanis, & prætoriani equites succederent, interposito autem biduo, subsequeretur Hippolytus legatus, cum toto legatorum sacerdotumq; & togatorum ordine, quorum omnium comitatus erat amplissimus, tertium & postremū agmen in quo Albanus regulus cum Hispanico equitatu erat, Germanorum legiones clauderent. Sed hunc ordinem militari consilio constitutū, Hippolytus abrupit, iuuenili quadam impatientia leuitateque, quum natura feruido & volucri ingenio vlla in re nullam morā ferret, & nulli, vti accidit in amplissima fortuna, parere didicisset, adulantibus præsertim clientibus nonnullis, & centurionibus, quos

incredibili sumptu sibi adsciuerat. Is enim ẽ insana libidine militare imperium affectantem, tanto exercitu dignum ad maximas res ingenti ausu gerendas dignũ esse dictitabant, ita optimo quoque familiarium frustra deprecante, relicta sacerdotali purpura, galeróque quem maximè fastidiebat, ferina pelle contectus cum paucis armatis equitibus præcurrit. Id factum, ad altioris consilij recessum pleriq; reuocabant ceu legatus in summa rerum opportunitate consternatos milites, ad patrandũ aliquod insigne facinus in Italiam stipendia præbito esset adducturus: sed intimi amicorũ, qui eius ingenium atatis voluptatibus occupatũ, & nullo adhuc stabili vel grauiore decreto satis firmatum sæpius excusserant, nihil tale verebantur, in eum tamen suspicionem adductus est Cæsar, vt eum, qui spiritu valeret, & Pontificia pecunia potiretur, ad occupandam Florentiã cõtendere iudicaret, allocutus enim milites fuerat, & secum adducebat Russium præfectum, à cuius cohortibus seditionis initia emanasse ferebant. Itaque præcurrentem Cæsar nec reuocantibus ipsius nuncijs obtemperantem, ad oppidum sancti Viti cum Russio comprehendi custodiriq; iubet, ne pax tanto sumptu, tantoq; labore omnium in Italia parta eius adolescentis audacia turbaretur. Verũ nõ multò post Cæsar, cum certiora de ea re dicisset,

dicisset, nec patrui Pontificis animũ acerbiore offensione exagitandum putaret, violatiq; sacrosancti legati infamia permoueretur, quinto die eum emisit, retento Russio, qui & ipse demum facilè impetrante Ferdinando Gonzaga affine, custodia est eductus, quòd eũ præclaro multorum significrorum, & centurionũ testimonio, culpa vacantem castrensis prætor absoluisset. Quum in itinere Cæsar esset, Paulum Iouium, qui h is conscripsit historias, in agmine adequitantem ad se vocauit, vt eius paulò durioris facti famam leniret. Nactus enim idoneum hominẽ, vti sibi notũ, ac Hippolyti familiarem, per quem cuncta ordine ad Clementem scriberentur, docuit, non voluntatis, quæ esset egregia erga Pontificem ipsumq; legatum, sed summæ necessitatis fuisse consilium, quid enim acerbius accidere potuisse, vel ipsi, vel Pontifici, si Italia, ipsaq; in primis Florẽtia seditiosorum militum incursione in discrimen noui belli fuisset adducta? scire se quatopere Clemẽs paci quietiq; studeret, qui iampridem graui iudicio & Alexandrum Etruria principatu, & Hippolytum senatoria dignitate contentos esse voluisset, vt diuersa & communicata in vnum consensum, diuersarũ vtriũ potentia, Medicea domui firma & diuturna felicitas pararetur. Bellorum initia sapientibus maximè esse pertimescenda, quæ cũ ab im

ab imperitis plerunque temere atque imprudenter serantur, vbi demũ creuerint, nisi grauissimo conatu periculoq; vix à maximis & prudentissimis regibus tolli vel opprimi possint, non debuisse Cardinalem, qui tanti muneris personam gereret, desumere sibi habitum militarem, vt seditiosos & castrorum atque militiæ desertores consequeretur, & cum ijs, quæcunque ea in exitu forent, consilia communicaret: nequaquam enim eum quieti vel moderati animi dedisse signa, cùm neque edicto, neque precibus audiens esse voluisset: quorsum enim eius dicta factáque tenderent, quis non insanus minime diuinaret? quum ille & sua & aliena dignitate vel improbè vel arroganter abuteretur? profectò eum, vti antea tentasset, Florentinæ ciuitatis otium conturbare cupiuisse, aut certè reliquisse præclaram eius importuni consilij suspicionem, quum nulla cũ spe vel laude totum castrensis disciplinæ rationem intempestiua excursione corrupisset. Caterum se ea & quidem propensissima voluntate, quæ semper fuisset, Cardinalem loco fratris habiturum satisfacturúmque ei molliore excusatione, cùm in Italia antecedentem foret consecutus, id verò se in summa testari, quicquid fieri iussisset, id non suo sed Clementis commodo factum fuisse, quum etiã publicam Italiæ quietem, vnius inquieti hominis amicitia

citia chariorẽ habuisset. Sibi verò pergratum fore, si id totum animi sui iudiciũ, vti ab æquitate præsentiúmque rerum ratione minime alienum, ad Pontificem accurata fide perscriberetur, quod mox Iouius diligentissimè fecit. & id quidem aquissimo animo tulit Clemẽs, quum & captum simul & dimissum Cardinalem vno tempore cognouisset, sæpe querens eius ingeniũ à deterrimis adulatoribus fuisse depraua tum: quãquam in ea re Cæsar se ipso suspicacior & asperior extitisse videretur. Erat enim in Cæsare, nisi naturam acerbiore facto exagitares, summa æquitas, rara modestia, patientia singularis, adeò vt in tanta fortuna nihil repentinum aut insolens, vel iudicio vel sermonibus eius excideret. At Hippolytus, vbi custodia est emissus, è sancti Viti oppido, quod Virunum nonnulli antiquitus fuisse putant, ingenti cursu Venetias contendit, bis cũ summo vitæ discrimine per insessos à Germanis saltus feliciter elapsus, quũ Mercadus Hispanus dux itineris, Germanica peritus lingua ostentatis cultu ipso regiæ aulæ insignibus, ea pericula depulisset. Porrò tribuni militares quum incredibili celeritate, continuatis die noctéque itineribus, ad Vacorium peruenissent, quod hodie Villacum dicitur, in ripa Draui amnis constiterunt: is amnis aquarum mole & suo rapido cursu concitatus, nequaquam vado

Vado superari poterat, pons verò sublicius quo iungebatur oppidi porta ita erat insituatus, vt per media oppidi regionem, ad aduersam portam via militaris extenderetur. Quū Vacorienses in muro essent, & in vlteriore ripa non exiguam equitum & peditū armatorum multitudinem ostentarent, tribuni in lunato ripæ tractu extensis ordinibus aciem instruxerunt, quæ aspectu ipso & genere armorum late splendentium, & sclopettariorum multitudine terribilis, nō rudibus modò populis, qui à multis annis armatos exercitus non vidissent, sed exercitatis etiam militibus terrorem incutere poterat. Pollicebantur Itali, si ponte transitus præberetur & venali commeatu iuuarentur, se continenti agmine sine maleficio eorum finibus excessuros, si id minimè concederetur, ipsos sua industria, & paruo quidem cum labore inuenturos viam, qua succisis proximis arboribus flumen transirent, subindeq; adnixuros, vt Vacorienses inhumanitatis & contumaciæ pœnas darent. Parati erant oppidani commeatum dare, ponte oppidóque recipere, sed per cohortes separatim, vt singulæ per oppidum, cæteris omnibus exclusis, sine periculo transmitterentur. Eam conditionem minimè probantibus Italis, quòd neque tuta esset, neq; ex dignitate videretur, oppidani qui fortunas suas cum desperatis minimè in periculum temere

mere deuocandas esse existimabant, ponticulum subitarij operis à proximo maioris pontis capite iuxta oppidi murum ad frumentarias molas celerrimè perfecerunt, atque ita ad mutuam securitatem, vtrisque integra existimatione præclarè atque opportunè consultū. Dranuo superato, quintis demum castris, & multo pacatioribus quā antea itineribus, ad Tiliauentum flumen est peruentum, atq; inde dissolutis cohortibus, milites vario itinere, vt quisque patriæ proximus cum execratione eius infaustæ militiæ domum sunt reuersi. Nec multò post Cæsar Italiam intrauit, singulari Veneti senatus studio liberalitateq; passim susceptus: eam verò pacati animi modestiam præ se tulit, vt Venetæ ditionis vrbes se minimè ingressurum esse testaretur. Nolebat enim qui validissimis copijs cinctus aduentabat, vllam omnino affectati Italiæ imperij suspicionem præbere: quum paulò ante ab diro bello tot vrbium excidia pertæsus, vt pacem adferret, ea quæ victricibus armis tenebat, incredibili æquitate magnitudineq; animi veteribus domi reddidisset.

***

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXXI.

ADVENTANTE In Italiam Cæsare, Andreas Auria cum triginta quinq; onerarijs & quadraginta octo rostratis nauibus Messanam venit, ibi cùm instrumenta bellica & nauticos præcipuè cõmeatus, nequaquam ingenti cura ac diligentia à præfecto Siciliæ, quem tum importunè morbus inuaserat, parata atque expedita reperisset, aliquanto serius quàm volebat, in Græciam traiecit. Audierat enim Himeralem, Ottomannica classis præfectum, in Ambracio sinu aliquandiu desedisse cum septuaginta triremibus, imperitè & nequaquam militariter instructis, vt pote quibus vsu periti nautæ gubernatoréque deessent, & remigum turba, magna ex parte ad naualem operam rudis, vti ex mediterraneis sæpe hominibus impotenti imperio in naues

ues cogi solita, vulgato per singulas triremes morbo laboraret, sic vt eum nullo prope negotio si maturasset, oppressurus fuisse crederetur. Erat tum ad Zacynthum insulam Venetæ classis, sexaginta triremium Vicentio Capellio præfecto, qui insulas & vrbes litoraque Veneti imperij vigili cura tuebatur, vtrique iure fœderis amicus & hostes, nulli socius, spectator tantùm, sed ex professo illis futurus hostis, qui subiectis Veneto nomini populis terra aut mari vim intulissent. Fuere qui crederent Venetos, vt neutris æquitate officij deesse viderentur, vno tempore & Auria de Turcarum classe per Corcyreos myoparenes significari insistisse, & monuisse item amicè atque opportunè Himeralem, vt Ambracio sinu quàm primum educta classe, Ionio mari excederet, ne ab Aurianis triremibus, quæ apparatu celeritate q; præstarent, dum parum salubri in statione moram inutilem trahit, deprehensus opprimeretur. Itaque Auria à Lacinio promontorio, quod hodie Columneum vocant, dimissis in altum onerarijs nauibus, vt rectà ad Peloponnesi insulas cursum dirigerent, Iapygium Salentinorum, legendo Magnæ Græciæ oram, tenuit, indéque Corcyram et Cephaleniam præterrectus, Zacynthum venit. Constiterat in acie Capellius penè hostilis paratique animi speciem præbens, vt apparatum atque ipsam

nondum vel diuturna pace senescentem, mariti mi negotij disciplinam ostentaret: & vetera quidem odia memoriam subibant, quibus Ligures, Luciano Auria duce, ipsius Andreæ tritauo, ad internitionem prope Veneti nominis, ad Fossam Clodiam dimicassent, atque inde Auria subirato tristiq; animo Luciani interitum defleret, qui victor eo nauali prælio cecidisset: sed sanctissima religionis et fœderis iura itæ animos continebant, vt quum vtrique imprudentes vel incauti videri nollent, præbito insigni spectaculo concursuri viderentur. Neque inutile vel iniucundum posteris futurum putauerim, si acierum ordo paucis verbis explicetur, quando ætate nostra nequaquam simile contigerit, vt id literarum memoriæ mandaremus. Collocarant in alto Veneti ingentem onerariam nauem, quaternis funibus à puppe proraq; ad totidem ancoras, in obliquum ductis firmissimè deligatam: ab hac vtrinq; binæ galeaciæ ingentium tormentorum apparatu formidabiles, ita constitutæ erant, vt ex interuallo onerariæ nauis frontem non æquarent, et vtrinque tantum spatij relinqueretur, quantum satis esset, vt à læua dextraq; vigintisingulæ triremes, quæ erant in cornibus, erumpere possent: tertia vero acies ex reliquis vigituti triremibus, in qua erat ipse Capellius, in tergo subsisteret, hinc aut inde allaturæ opem, vti

prælij casus et incursus hostium popposcisset. Eo pacto onerariæ naui ad emittenda tormenta latum & vacuum mare, à fronte & à lateribus relinquebatur, & galeaciæ in altum exporrectæ triremium latera tuebantur. Ab Auriana classe tres speculatoriæ triremes antecedebant insigni velocitate, tres vero acies quindecim triremium eo ordine subsequebantur, quem in agmine nauigationeque tenuerant: vbi vero in conspectum Venetæ classis est deuentum, Antonius Auria, qui primo præerat agmini, in dextrum sensim deflectens, remos sustulit, vt sequentes expectaret, & Andreas, qui medium tenebat agmen, suo cursu progressurus sese introrsus ad cornu dextrum applicauit. Saluiatus verò Rhodiarum & totius tertij agminis præfectus, interim in lævam ita concitauit remiges vt puncto temporis ad medium agmen proueheretur, adeò vt æquata omnium triremium fronte, vno pariqueimpetu concursuræ crederentur. Reddidere veri prælij simulachrum tormenta vtrinq; ad consalutationem honoris causa, exemptis pilis, miro ordine dissiluerunt. Venit ad Auriam Canales nobilis vir atque item fortis, Ionij maris custodiæ præpositus, per eum Capellius portus, stationes, commeatus amicè obtulit, excusauit q; se, quòd integra senatus fide consociare vires. & publicos hostes persequi nequaquã

liceret, obstare enim fœdus antiquitus cum Othomannis percussum, quod ipse etiam Solymanus renouasset. At Auria Cæsaris nomine gratias egit, quòd senatus eo animo esset, vt maiorem aquitatis atq; iustitiæ, quàm vllam bene gerendæ rei rationem respicere cogeretur, sperare se tamen Cæsaris auspicijs talem ad ingentem victoriam Venetis occasionem esse præbiturum, vt eæ fœderum compedes, ab ipsis vltro pietatis et certæ victoriæ causa cupidissimè frangerentur. Et certè, quum hæc animo reputamus, nostrorum temporum conditionem deflere, Christianorúmque principum insaniam detestari libet, qui dum inter se bello aut odio dissident, ita Ottomannis parcunt, vt qui toties superari deleriq; potuerint, non immerito adaucta in immensum potentia, ad totius orbis imperium assirent. Himerale enim tum in fugam acto, atque eo si persecuti forent, facilè deleto, quæ reliqua vnquam Solymano classis superfuisset? qui nam Byzantij, Cæsarianæ Venetæq; classium impetum tulissent, nisi tyrones prætorianos, aut eunuchos ad custodiam fœminarum domi relictos, mœnia egregiè defensuros credamus? quum in Pannonia procul ageret Solymanus, et Græci ex ipsa vetere libertatis ac imperij sui memoria, vt rebellare ex tuto possent, non quidem accessum Christianæ classis, sed vix ipsam tantùm aduentus famâ erectis

erectis animis expectarent. Cæterùm Auria, vbi didicit Himeralem, superato Galli promontorio, quod antiquis Acritis fuit ad Maleam contendere, Antonium Auriam cum delectis septem triremibus qui persequeretur misit: sed ille ad Cytheram insulam vsq; frustra persecutus, quòd hostes Argolicum sinum prætergressos, Atticæ Sunium atque inde Chalcidem petere audiebat, ad classem est reuersus. Ea tù in Sphragiæ insulæ portum, quem nostri Sapientiam vocant, supra Methonem ad explicanda consilia se contulerat: iam enim onerariæ ab alto, remissioribus vsæ ventis, in conspectum se dederant. Fuère qui dicerent Methonem oppugnandam esse; & ante alios Saluiatus impiger iuuenis, Rhodiarum triremium præfectus: profitebatur enim se eam turrim, quæ subiectum mare despiceret, et cæteris munitior esse videretur, effracturum maioribus tormentis & protinus occupaturum, vtpotè qui situm vrbis interiores que munitiones aprimè nosset: superiore siquidem anno in eum ipsum Sphragiæ portum cum aliquot triremibus è Melita insula noctu illatus præmisso ignobili nauigio per simulationem exponendi mercimonij, in cuius carina armati conditi erant, felici dolo vrbem occuparat, Iano Mario viro Græco summæ virtutis id facinus ingenti animo patrante: sed occisis custodibus, occupataq; porta

portæ, & iam capta vrbe, nostri milites aliquanto prædæ quam decoris auidiores, quum ad diripiendas domos solutis ordinibus discurrerent, facilè à Turcis qui animos receperant, turpiter cæsi expulsiq; nobilis victoria initium fœdo exitu corruperunt: ob id Auria ex priore periculo intentiorem firmioremq; custodiam, adaucto Turcarum numero, futuram ratus, Coronem oppugnare constituit. Distat ea vrbs à Methone duodecim fermè passuum millibus, si terrestri itinere petatur, mari vero paulò minus viginti. Nam Acrita promontorium medio fere interuallo in mare procurrit, et in leuo promontorij latere sensim litora curuatur. In hoc sinu sita est Corone adeò porrecta in pelagus, vt magna ex parte maris fluctibus alluatur, altera pars cuneata in latam cuspidem transuerso muro, eoq; senis turribus insigni et ferrata porta proximam litori, quam Insulam vocant, penitus excludit, & ita à mari recedens, sensim attollitur, vt perpetuo saxo mœnia imposita ad trianguli formam oppidum efficiant. In oppido, vt firmiore nobiliore q;, Turcæ domos habent, Græci insulam inhabitant, ad extremum verò oppidi angulum prærupe arcem Veneti quondam fecere, quæ mediterranea despicit & suburbana tecta: hac vim militarem excipiùt, quæ in septentrionem perpetuo acclui collis dorso in campos extenditur, sed

sed ea suburbana, quum ad sagittæ iactum, a porta oppidi processeris, alio intermedio muro porta q; diuiduntur, porrò ad mare ab Strag; vrbis parte, duæ sunt percommodæ stationes: nam quum Euri Vulturniq;, vel è diuerso Fauonius et Corus sæuius perflauerint, ex hac in alteram nauigia repente confugiunt. In læua statione ex vetusti operis mole portus efficitur, verùm adeò angustus, vt vix septenas triremes tutò recipiat. Auria, terra mariq; explorato vrbis situ, cohortantibus maximè Græcis, qui ad nostros è suburbanis ædificijs cupidissimè transierant, aggressurus vrbem, in hunc modum ad oppugnandum, loca muniaq; distribuit: circunducti a primò sunt in ampliss imam coronam naues onerariæ, et ante eas triremes, vt totam eam conuexi muri partem, quæ insulam à mari præcingit, contractiore ambitu complecterentur, proiectis in litus sub muro ancoris, vt inde per ductarios fumes ergatarii beneficio attracta nauigia, quantum maris vadum pateretur, ad mœnia promouerẽt. Scaphis autem magnarum nauium plutes ac asseribus protectis, ancoras prouchi, & in litus ad scopulos inter tela Turcarum ab alto incidentia, collocari iubebat, ex nauium proris nouo quodam artificio pontes paribus extãtibus antennis impositi tabulis q; constrati, à fronte prominebant, ita vt summitati mœnium aquarentur

rentur, atq; inde clypeatæ armatæq; cohortes procursuræ et irrupturæ in oppidum viderentur. In duarum verò longè maximarum nauium, Grimaldiæ scilicet & Rhodiæ summis carchesijs, ab excelsissima scilicet mali summitate, sacri, falcones q; bini constituti erant, vt inde non propugnatores modò, qui in muro consisterent sed interiora insulæ certis ictibus peterentur. Terrestres verò copias ita diuisit, vt Hieronymus Tutauilla Sarnensis comes duceret Italicas cohortes, et à leua parte supra molem, latum propugnaculum septem tormentis quateret. Hieronymus verò Mendocius cum Hispanis à dextra, paulò à mari longius, non insulæ tantùm, sed & oppidi murum totidem tormentis et scalis aggrederetur. Ipse Andreas locum sibi delegerat apud molem, Sarnensi maximè propinquum: Pontificiæ autem triremes cõtrariæ in parte. Antonio Auria deposcente: dextrum cornu tenuère, Saluiatus in medio Rhodias mœnibus admouit. Nunquam ab vlla memoria, tantum tormentorum ad vnam oppugnationem collatum fuit: nam à terra quatuordecim, à mari verò centum & quinquaginta muralibus tormentis. Vno vndique tempore murus est vehementissimè verberatus: minorum verò tanta vis fuit vt neq; prospici quicquam neque exaudiri facilè posset fumo scilicet in crassissimæ nebulæ morem latè

diffuso

diffuso, et crepitu reboatuq; tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnensem Itali magno animo, sed irrito incepto ad proruptum murum scalas apponere, et scandere conantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus, insigni detrimento accepto, sunt repulsi. Neque enim tantum muri dirutum fuerat, vt attingere scalæ possent, & vndique ab latere minoribus tormentis sternebantur, nec Turcæ è muro saxa, ignes, feruentem arenam, calcemq; & picem liquefactam prouoluere ac infundere subeuntibus cessabant. Sarnensis in his periculis fortiter aquè atq; feliciter versabatur, nec reuocandi milites locus erat: nã implicati inter se hastis et in cæsarũ angustias, quæ muro suberãt, metu retrusi, quanto magis à muro recedebant, tanto apertius ac certius vulnerabantur. Perière in eo conatu receptuq;, Theodorus Boschites Græcus, qui in Italia alæ equitum cum laude præfuerat: atque item Franciscus Carnaus è Neapoli, & Iacobus à Capua, strenui centuriones, & cum his trecenti ferè milites, & supra mille vulnerati debilitatiq;, inqueis fuit Alfonsius Caponius signifer, cui sclopetti pila ab alto demissa, perfosso oculo linguã abripuit. Ex altera parte Mendocius nequicquam quassato muro, quum omnia ardua ad ascensum forent, cauto consilio prælij fortunam non subijt. At nauales socij felicius, quum Au-

ria subeũdi & scalas afferendi, vti antea edixerat, tuba signum dedisset, in insulam peruaserunt, cedentibus muro Turcis metu pontium quos superstantibus armatis appropinquantes continuò apprehensuros murũ omnino crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur genere humilis, sed eo saltu satis clarus, vexillum in hostili muro defixit, proximi ei succesere Hidrontino è Galeone miles, ac demum Lamba Genuenses: atque ita multis interfectis, insula capta directáque est, refugientibus intra oppidum per ferratam portam Turcis, qui ex eo, quem diximus, turrito muro, nostros præda occupatos vagantésque, sclopettis & sagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnensis, suos qui sub muro conditi protectique multis horis subsiterant, incolumes ad se recepit, & tota nocte laboratum est in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipsi milites tormentáque ab hostium ictibus tegerentur. Sequenti die plures Turcarum equitum manus, vt Coronei opem ferrent, in conspectum se dederunt: nanque singulos ferè proximorum oppidorum præfectos, & fama Auriana classis, & auditus tota Peloponnesi tantus tormentorum strepitus, exciuerant. Aderat à Lacedæmone, quam Misitram vocant, Zadares, cui Tridigito cognomen, is a Londario Charitena Messenéque expeditos equites

equites circiter septingentos adducens, secundum litus iter facere cœperat, vt à dextro latere in vrbem irrumperet. Erat inter suburbana tecta, ei porta quam diximus, instatione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iussúque Sarnensis, milites intra sagittæ iactum intercisa militari via, transuersam fossam opportunè duxerant. Itaque Zadares, quũ ab Erasmo Auria, qui in id litus triremem obuerterat, tormentis peteretur, à litore discedens, triũ amplius millium capto circuitu, ad lauam peruenit, sinuoséque itinere intra suburbana tecta se intulit, magno impetu ad portam proiectus, adeò vt Theodorus irruentium vim ægrè sustineret, crátque res adducta in maximum discrimen, nisi Sarnensis Theodoro cum paucis repugnanti peropportunè opem tulisset, submisso Petro Tolfio cum trecentis sclopettarijs: ij postremam partem Turcarum agminis, retro auertére, ingreßique suburbana, ita reliquos in fugam, desperato ingressu vrbis, compulere, vt quum Turcæ concitatis equis effugere conarentur, in fossam inciderent. Ibi Zadares labente equo præceps datus, interficitur, nec vlli ex Turcis omnino parcitur. Eo modo multis occisis, capita ad munitiones deferuntur, quibus conspectis, Turcæ, qui oppido arcique præerant, siue metu, siue commeatus, & tormentarij pulueris inopia, adducti, ea

condit

conditione Vrbem atque arcem dediderũt, Vt cum rebus suis armisque in pacata loca discedere liceret. Corone capta, atque ibi præsidio Hispanorum constituto, & receptus in fidem Græcis, disputatur in consilio, an in longo portu, qui parum à Corone distat, Vt certus tutúsque in ea ora Christianis classibus sit receptus, castellum ædificare expediat, aut Iuncum oppugnare, id hodie Nauarinum, Pylium antiquitus fuit, subiecto portu insigne, ignauia custodis Veneti, qui postea capite pœnas dedit, Baiazeti in Methonensi victoria traditum. Cæterùm Auria multis de causis, & quòd nunquã defuturos portus nostris classibus speraret, ea cõsilia abiecit, & ad oppugnandas Patras, iterum adita Zacyntho cum classe descendit. Deseruerãt ad apertam Vrbem incolæ Turcaq;, & in retractiorẽ locum sub arce prærupta fossa muroq; munitũ, milites cum magna puerorum & fœminarũ multitudine se receperãt. Expositis copijs subuectisq; tormentis octo muralibus, Sarnensis ad mille scloppetarios secernit, qui defensoribus murum nudent, cæteros Virgultorũ singulos fasces adferre iubet, Vt æquata fossa ad murũ scalæ deferantur. Non diu tormẽtis restitit murus, Coroneo Vetustate debilior. Primus omniũ Ioannes, Traiani Cabaniliæ filius, castrorum præfectus, in fossam desilijt, subsequente

quente ipso Sarnensi cum tribus signiferis & integris demũ cohortibus, scandiq; murus certatim est cœptus, sed defensores Coroneis Virtute constantiaq; dissimiles, impetum nostrorum, fuga in arcem facta, diutius non tulerunt. Ita Vrbe paruo labore, & penè sine militũ nostrorũ vulnere, celeriter capta directaq; ad arcem in edito sitam, tormenta subuexere. Erat oppugnatio futura difficilis si eam militari more Turcæ defendendã suscepissent, sed exemplo Coronensium, atq; item eius imbellis turbæ misericordia adducti, quum tantam multitudinem diu alere, vel in tanto seruitutis ac vitæ discrimine tueri posse desperarent, emissis ad Auriam oratoribus, ea conditione deditionem fecerunt, Vt recepti in fidẽ inuiolatiq; saluo in primis fœminarũ pudore, cum singulis vestimentis in Etoliam trajicerẽt. Id egregiè Andreas præstitit, adeò Vt inter alas militum Vtrinq; extensas exeunte triũ ferè milium capitum multitudine, cum nonnulli petulantius fœminas attrectare, atq; his ornamenta detrahere inciperẽt, corripi, extemploq; suspendi, aut iugulari iusserit: horũ supplicio cæteris ab omni licẽtia deterritis, eo ordine Turcæ ad naues sunt deducti, Vt Sarnẽsis & Saluiatus antecederent, ipse postremũ agmen cogeret vultu seuero imperioso q;, et ad sumenda supplicia, si qui paulò licentius iussa

contem

contẽnerent, maximè parato. Quærebat enim iustitiæ & præclaræ fidei famam apud ipsos præsertim Turcas, vt eæ gentes religione ac ingenij captu nobis dissimiles, facto periculo manifestè perspicerent, in Christianis ad militare decus non defesse fidem ac humanitatem, qui adeò moderatè victoria virtute parta vterẽtur. Exercitu ad Patras relicto, & terrestri itinere subsequi iusso, Auria ad Nau pactei sinus angustias triremibus est deuectus, ibi fauces adeò coarctant eum influentis Ionij maris sinum, vt vno minus stadio, à Petoponneso Aetolia distet, quàm ad Hellespontum interfluo mari, Europa atque Asia dirimantur. His angustijs gemina antiqui operis castella imminẽt, quæ Dardanellos appellant. Fuere olim in Achaia Rhium, & in Aetolia Molycreũ, sed Aetolicum Achaico Baiazetes, superaddita turre ingenti, & duplici muro adiecto, multo validius atq; munitius reddiderat. In his tormenta insuitatæ magnitudinis, multiplici feneſtrarũ ordine ad libellam aquæ, ita constituta & collibrata erãt, vt vel exiguis & humilioribus nauigijs ingressus, & exitus præcluderetur: nã vtrinq; ad aduersam regionẽ emissa bipedalis diametri saxea pilæ facilè perueniebant, vti eadẽ ratione ad Hellespontum hodie fieri videmus. Auria citerioris castelli præfecto per Græcos homines extrema

extrema supplicia comminatus, si expectandam tormentorũ vim putaret, facilè pepigit, vt Turcæ incolumes castello excederẽt, quibus nequaquam cunctanter eductis, quicquid vel annonæ, vel bellici apparatus in castello erat, diripiendũ militi cõcessit. Reperti sunt thoraces, ballistæq; veteres, itẽq; loricæ et peltæ more gentis, cũ militari & minimè pretiosa supellectile. Ea spolia, quũ Aurianarũ triremium milites nautaq; efferrẽt, cæteris q; aduentãtibus ostentarẽt, adeò appropinquantiũ cohortiũ animos dolore ac inuidia exagitarunt, vt quiq; opimiorẽ fuisse prædã crederent, & tardius venissent, ob idq; præda penitus excluderẽtur, continuò seditionẽ miscerent, ipsi Auriæ vehementer irati, quòd primo ad Coronẽ, & inde ad Patras, & tum etiam ad Rhiũ, quasi Turcarũ sanguini passim parcendum putaret, eas res cuisi pactione, quàm ferro & bellica vi conficere maluisset, ita præmia laborũ & vulnerũ solatia militibus eripi, atque interuerti prædam, vt ipse inde apud hostes intempestiuam humanitatis & clementiæ laudem priuato nomine ferat, & soli propè nautæ Ligures ditentur, ipsis verò armatis militibus terra & maris incommoda perpessis, nec locus ad perfectam laudem, nec spes ac certa probatæ virtutis præmia relinquantur, & quod fortibus viris minimè sit ferendum, omnium ceruicib.

ceruicibus & iugulis laquei & pugiones, vel in minimo delicto, & sublatæ quidem spe dicendæ causæ, proponantur. Hæc, quum multiplicatis per coronas militū sermonibus dicerentur, & iam planè consternatæ essent aliquot cohortes, Neapolitanus signifer, quem strangulati ad Patras amici militis dolor incitabat, vexillū sustulit, alta voce commilitones inuitans, vt se ad opulenta castella eunte extemplo sequerentur, ibi non visuros crudelem ducem, & ingentē prædam virtute quæsituros. Nec mora, illum quinque alia cohortes Italorum sunt secutæ, hisq; vexillum Hispanorum accessit, iere citato agmine non tam iratis quàm auidis animis in propinquos Græcorū pagos & villas, execrante eos Auria potius quam reuocante. Iam Sarnensis cum valida manu expeditorū militum traiecerat in aduersam Aetoliæ continentē, vt exploraret castelli situ, & ponēdis castris munitionē inciperet, quū Turcæ in nostros faciendo operi intentos protinus erumpunt: sed egregiè Sarnēsis per sclopettarios eorū impetū sustinet, multisq; vulneratis intra portā cōpellit: interim nondum perfecta castrorū munitione, equites Naupacto egressi, in cōspectū se dedere, vt castellanis opem ferrent: nostri quāquam pauci pro castrorum spatio, quod erat amplissimum, vti ad continendas omnes copias visitata ratione

tione dimensum, alacri tamen animo in munitionibus constitere, in aduersos sclopettis rem gerentes, & nonnunquam erumpentes, vbi audacius prouectos hostes conspexissent. Cæterum Turcæ multis in gyros decursionibus ad castra factis, latè omnia speculati, quū sese prouehere audacius, & cominus pugnare nollent, Naupactum redierunt, intromisso equite ad castellanos, vt eorum animos spe celeris auxilij confirmarent. At Sarnensis, qui ea spe traiecerat, vt copias omnes confestim subsecuturas crederet, vbi de consternatione discessuq; militum certior est factus, intermisso castrorum opere ad Peloponnesi litus, vbi Auria consliterat, confestim rediit, & ad eos pagos est profectus, in quos desertores milites diuertisse dicebantur, ducibus præsertim Græcis, qui suas iniurias cum lachrymis deferentes, è proximis vicis ad castra decurrerant. Eos Sarnensis nequaquā seuerè, sed comiter reprehensos, quòd adeò leuiter insanire cœpissent, haud magno cum labore ad officium reduxit, iam enim eos admissi facinoris pœnitebat, & satis verecundè signa & centuriones agnoscebant, quum villas & pastorales casas omnibus esculentis raptim consumptis, & ignobili etiam collecta præda, vacuas fecissent: sed reis & ex conscientia pœnā meritis, Auriæ seueritas tantum pauore adfere-

bat, vt nonnulli metu supplicij præstare dicerent cum Turcis pacisci, & apud eos stipendia facere quã ad sæuum ac inexorabilem ducem reuerti. Sed Auria regionis & temporis rationem habendam existimans, cunctis pepercit, ita tamen vt seueritatem ac iracundiam vultu sermoneq; retineret, nec veniam deprecantes recipere vellet, nisi vti cohortes decumaturus, ad arbitrium militaris imperij se dederent: is pauor omnium animis incussus, pro pœna ad retinendam imperij existimationem Auria satisfecit. Nec mora, ad delendam secessionis infamiam, parati animis in Aetoliã sunt traducti, simulq; expositæ in litus tormẽta duobus circiter millibus passuũ supra castellum, vt tutiore itinere cõuchi possent: nam è castello Turcæ ea litora tormentis infestabant. Ea Christophorus Auria vir impiger negotio præpositus, attracta funibus & impulsa militum humeris per centurias habere distributo, in castra conuexit, eodemq; tempore Cabanilia cũ trecentis sclopettariis antecedẽs, opportuno et ante vt diximus, explorato loco castrametatus est. Dũ hæc administrãtur Turcæ Naupacto magnus peditũ et equitũ copias educũt, & in nostros pleno passu deferuntur, iam enim & à Corintho, & ab oppidis quæ sunt ad Acheloũ amnẽ totaq; Peloponneso & Aetoliæ præfecti equitũ, raptis quas pe-

terant

terant turmis, Naupactũ conuolarãt, nec Sarnensis, haudquaquã ea multitudine territus sibi deest, ad quatuor millia peditũ in vnum agmen cogit, & quadratæ acie contra hostes progreditur, extra ordines verò delectam sclopettariorũ manum rem gerere iubet: in tergo castellum relinquebatur, & in nostris munitionibus præsidiũ erat relictum, quo eruptiones cohiberi possent, & in ipsam castelli portam tormentæ perite atque opportunè directa fuerant. Insultantibus vndique & procurrentibus Turcis, nec pedestres copias in aciem producentibus, Sarnensis se recipere, & in castra se conferre cœpit, in tergo extraordinarij ad angulum dextrũ quadrati agminis constituti, sine periculo insequentes Turcas repellebant, circumueniri enim non poterant, & cum aliquantum in aduersos procurrerent, displosis sclopettis tutissimus ad agmen erat receptus. Prælio ad occasũ solis protracto, Turcæ nulla re memorabili gesta Naupactum sunt reuersi. Sarnẽsis in castra copias reduxit, totaq; ea nocte quæ secuta est, ad aggeres fossasq; perducendas milites in opere fuerunt, constitutaque suis locis tormẽta muralia, quæ exterioribus ædificijs protegebantur: oriente autem sole turres, quæ prominebant, magna vi quassari cœptæ, nec Turcæ constantissimè & acerrimè propugnando, vlla in parte ti-

moris signum dabant, erant enim in his plerique veterani Ianizeri in custodia oppidorum atque arcium relicti. Ad extremum is exitus oppugnationis fuit, vt perfracto muro multis q3 intro variis casibus interfectis, nostri in castellum irrumperent, trecenti fermè Turcæ nemine capto, trucidati, nonnulli insigni animorũ contumacia media inclusi turre, se ipsos & turrim totum q3 penè castellũ, non sine nostrorum clade, succenso tormẽtario puluere, concremarunt, tanto ruentium murorũ crepitu, vt litora veluti terræmotu pertremerent, & triremes, quæ suberant ad sagittæ iactum, lapidũ fragmentis penè obruerentur. Andreas è proræ pratoria triremis prælium spectauit, donauit q3 Sarnensem & Saluiatum singulis ingentibus tormentis: tanta enim vis æneorum tormentorũ in castello reperta est, vt septuagintæ millium aureorũ pretium excedere diceretur. Ea demum tormenta stupẽdæ magnitudinis, Arabicis inscripta literis, ad victoriæ monumentum, Genuã delata, in portus mole cõstituit, vbi de piratis ad Planasiam insulam superatis, sacellum Deiparæ Virgini ex manubijs antea consecrarat. His confectis rebus posito ad Coronem Hispanorum præsidio, at q3 vrbe tormentis, & multorũ mensiũ commeatu diligentissimè permunita, Mendocũ ita animo cõfirmauit vt fidẽ daret,

daret, & prolixè polliceretur, se vel priuato sumptu, si id Cæsar facere differret, in eius auxiliũ classem esse transmissurũ. Interim Saluiatus suis triremibus in intimũ sinum proiectus, ad Lecheũ vsq3 portũ, hodie diui Demetrij vocatũ, sub ipsa Corintho pauorem circumtulit, & veteris Sycionis, quã hodie Basilicã appellant, & quæ in aduersa parte est, Creusæ litora succẽsis hortorũ ædificijs latè vastauit. Nec multò post Andreas appetente hyeme, & acceptis à Cæsare literis, quibus discessum à Pannonia Solymani, & suũ in Italiam aduentũ significabat, felici vsus nauigatione, Neapolim, at q3 inde Genuã est reuersus. Interea Clemens per Tiphernates iter habens asperis inusitatis q3 itineribus superato Apœnino, ne ingratæ patriæ mœnia conspiceret, per Aemiliã Bononiã venit, excepit q3 Cæsarẽ Mantua profectũ. nec quicquã ea hyeme memorabile, vel quotidianis congressibus est actũ, quã vt lis de repudio Henrici Britanniæ regis toties agitata, pronũciante Pontifice, finiretur. Exardebat enim iam tres annos rex ille, alioqui multarum virtutum laude insignis, sæuo ac impotenti amore Annæ Bolanæ, quæ in aula reginæ liberius educata, eò insaniæ amatorẽ regem propulerat, vt Catharinam Ferdinandi regis filiam, ipsiusq3 Caroli Cæsaris materteram præstanti pudicitia, &

singulari humanitate modestiaque reginam, exturbandam domo repudiandamq; decerneret, scilicet, vt ipsa in vacuum thorum expellicatu in spem masculæ atque legitimæ prolis reciperetur. Neq; enim Henricus aliâ prolem ex Catharina susceperat, quàm puellam tam propè nubilem, quæ suauitate formæ, & morum elegantia plurimum excellebat. Huius impij insaniq; consilij fautor extiterat Thomas Eboracensis Cardinalis, perpetuis adulationibus summum potentia locum apud regem consecutus. Is docebat Catharinâ vxorem legitimam esse nequiuisse, quoniam Arturo fratri antea denupsisset, vetari id in sacrosanctis noui ac veteris instrumenti legibus, neq; Iulium Pontificem, qua diuino iure essent constituta, vel accepto multo auro, rescindere potuisse, proinde repudiandam esse, ne incestus crimine perpetuo pollutus, post mortem sempiternis inferorum ignibus damnaretur: neq; idcirco filiam videri spuriam debere, quoniam optima fide eam factis rite nuptijs genuisset: si verò legitimam ex totius insulæ delectu vxorem duceret, ipsum, & sibi & regno ad certam successionem, suscepta virili prole, consulturum. Addebat Thomas non deesse ex Parisiorum gymnasio sacrarum literarum professores, qui secundas nuptias ritè fieri posse, damnato priore coniugio, validissimis rationibus comprobarent.

rent. Hic Thomas magno Fortunæ ludibrio, quum summum dignitatis atq; potentiæ fastigium teneret, et sipsum auaritia, ambitione, superbiaq; tumentem capere nequiret, præceps datus, improbæ adulationis pœnas fœda morte persoluit. Ferunt eum Francisco regi occultæ fide, & egregia in diuersum simulatione cõuictii, vtpote qui Gallico auro, regijsq; muneribus maximè gaudebat, magnis artibus repudio fauisse, vt Henricus à Cæsaris amicitia, ex ea longè grauissima cõtumelia, penitus diuelleretur, & subinde Gallico nomini, absq; vlla spe receptus, arcto & necessario quodcunq; fœdere iungeretur. Cæterùm Clemens, qui vt eam controuersiam aliquandiu aleret, contendis in officio regum animis, tanquam ambigui iuris ad duodecimuirale iudicium retecerat, vbi videt diuersa petentes integra authoritate diutius non posse distineri, ius & æquum ita Britanni regis amicitiæ prætulit, vt Henricum omnino moneret, se ei intra certum tempus aqua, & igni, & Christianis sacris interdicturum, nisi repulsa Anna, Catharinam in pristinum coniugij locum recepisset. Ea inanis intempestiuaq; severitatis commination, inexpiabili malo summóque detrimento reipublicæ postea cessit: quando rex ille non multò post ab authoritate Romani Pontificis, suaq; pristina pietate discesserit. Actum sub-

inde est de tuenda pace, quã tãto sumptu tantisq; periculis quæsiuissent: nam in eã pacem, quæ publico fœdere biennio antè Bononiæ fuerat constituta, Genuenses nequaquam adscripti fuerant, queis tum maximè infensus erat Franciscus. Genua siquidem imperiũ vti antiquis Gallorum regum iuris, nec inclusum recentis fœderis legibus repetebat, adeò vt negociatores Ligures Lugdunensi emporio pelleren tur, nec alicui importare eorum merces fas esset, & à Massilienſibus trierarchis, infesto vbiq; mari Genuensium nauigia, magno ciuitatis detrimento caperentur. Minabatur quoque Franciscus se in subalpinis Salassorum opidis, equitum & peditum copias hybernorũ specie transmissurum, vt clientibus suis præsidio essent: nam Franciscus Salassus regulus, pulso fratre, & matre custodiæ tradita, qui partium Cæsaris erant, in Galliam ad Franciscum se contulerat. Venerant quoq; Bononiã summæ authoritatis viri, Acromontius atque Tornonius Cardinales, qui à Pontifice postulabant, vt Hispani, vti confectis bellis, & pace parta, tandem Italia deduceretur, si id fieret, Franciscum regem omnes superiorum temporum iniurias satis æquo animo esse laturum, quòd si inueterari aliq; in Italia Cæsaris copias, ad augendam eius potentiam consphiceret, se libertati dignitatiq; amicorũ, & veterum

rum clientium suorũ, qui sibi in Italia non deesſent, aquissimo iure consulturũ. Veneti quoq; illo alio quàm veteri fœdere, illigari nolebãt, se q; omnino præstaturos profitebantur, quod disertè in fœderum tabulis essent pollicit, matura q; opem Francisco Sfortiæ protinus allaturos, si alicunde bellum eius finibus inferretur, neque enim ex dignitate Veneti senatus fore, si, veluti tributi nomine, annuam pecuniã tuendæ paci penderent. Ipsos enim nequaquam vereri, nouum armorum motum, nec si bellum fortè ingrueret, vt semel partam pacẽ tuerẽtur, vel magnis sumptibus esse parsuros, sed Veneti nequaquam permoti sumptu, qui erat exiguus, dum sese nouo fœdere excluderent, duas res opportunè consequebantur, in quibus tuendæ existimationis ac libertatis maximũ inerat momentum. Nolebant enim Franciscũ regem veluti desperatæ in reliquũ tempus ipsorum societate, ab se penitus alienare, atq; illum eò prorsus adigere, vt commutato animi decreto, nouam sibi amicitiã nouãmque fortunam quærendam putaret, è qua demum, dissimulata in præsens grauiore iniuria minores principes, vti ingratos & aduersos, vlciſceretur. Nec Cæsarẽ omni suspicione metuq; vacuum omnino sinere, vel sapientis consilij fore, arbitrabantur, ne ille Gallos penitus contemnendos esse putaret, si tota in ipsius no-

men ac amplitudinem consentiēte Italia, vndique tutus, & principum longè maximus redderetur: exæquari enim tantorum regum potentium ac vires incolumi Cæsaris amicitia cupiebant. Propterea non obscura fama ferebatur, admonitum fuisse in Pannonia Solymanum, ne vniuerso prælio decertaret, quoniā copia Cæsaris, & numero, & animis, & disciplina insuperabiles viderentur, scilicet, ne ex vnius pugnæ euētu, in alterutra victoria, aut Cæsari, quo nihil grauius, aut ipsi Solymano quo nihil miserius accidere posset, omnibus foret seruiendum. In Clementis quoque pectus altè descenderat iniuria ex iudicio Cæsaris grauissimè conceptæ, quum Cæsar disceptator & arbiter, Regij, & Mutinæ principatum, Atestino Alfonso, prædamnatis pontificij imperij iuribus, adiudicasset. Optarat Clemens, vt si aliqua de causa, vel ambigui, vel parum æqui iuris secundum se litem dare nollet, iudicialis arbitrij præfixum tempus elabi pateretur: in ea enim dilatione neque præiudicari Alfonso, neq; sibi & Pōtificio nomini multum noceri: sed iureconsulti Cæsaris, aliquandiu Pontificis legatum inspem secundissimi litis euentus malignè ludificati, acceptæ pecuniæ, vti credidit Clemens vt sententiam ferret, Cæsarem propulerant. Eius rei gestæ nuncius eo ipso forte die nonarū Maij è Belgio in vrbem Vene

nerat, quæ, vti erat vrbis excidio maximè luctuosus, ex acerbissima cladis memoria, Clemētis animum magnopere perturbauit. Itaq; excludentibus sese Venetis, atq; id dissimulanter probante Pontifice, fœdus est renouatum in sesquiannū. Ea fuēre leges, vt communibus copijs atq; pecunijs, si bellum inferretur, id ad tuendam pacem propulsarent. Dum pax esset viginti quinque millia aureorū nummum ex vetere censu, Pontifex, Cæsar, Franciscus Sforcia, & Alfonsus Atestinus, itemq; liberæ ciuitates, Florentini scilicet, Genuenses, Senenses, Lucenses conferrent, quæ ad alendos centuriones præfectosq; equitū, Antonio Leuæ dispensanda traderentur. Eum enim bello ducē designarant, custodemq; pacis & otij apud Mediolanum esse voluerāt. His rebus constitutis, quæ præcipua in omni eius vitæ Clemētis laus fuit. Hispani ita dimissi deductiq; sunt, vt ad Coronem in Peloponnesum multo maxima pars, alij ad Sicularum vrbium præsidia, alij in Salentinis, & Calabris ad tuendas arces mitterentur, nonnulli vltrò in Hispaniā redirēt. Ob id factū sapienter atq; feliciter, populi totius ferè Italiæ, Galliæq; præsertim Cisalpinæ, Pontificis prudentiā, Cæsaris æquitatē. Venetiq; senatus iudiciū atq; operā eximijs laudibus celebrabāt, quòd eorū incomparabili beneficio, à rapacissimis sæuissimisq; militibus liberati, de liber

de libertate, de vita, & de reliquis fortunis, tum primum bene sperare inciperent. At legati Cardinales, Acromontius atq; Tornonius, qui ab initio interstrepere reclamareq; & libero ore conqueri cœperat, quòd ea principum coniuratione, non iniqui fœderis prætextu grauissimam, & minimè ferendam Gallis omnibus contumeliam inferrent, postquàm eos Clemens subtiliter admonuit, vt pacati conquiescerent, facilè intellexerunt, quantum in dimittendo dissoluendoq; Cæsaris exercitu, momenti verteretur. Quid enim vel optatius, vel ad omnem belli occasionē commodius Gallis accidere posse, quàm vt Hispani veterani, à quibus tot clades acceperint, paucorum mensium fœdere percusso, Italia ipsaq; Alpium custodia detrahantur? Quando enim Cæsarem illos, qui in diuersissimas regiones distributi dispersiq; essent, in eum numerum eamq; disciplinam, vel in magna belli necessitate coacturum? propterea desinerent repentini atq; aperti esse, præsentia dissimulare, futura prospicere, & præteritorum memoriam retinere inciperent, patientia ac tolerantia omnium rerum necessitatem sapissime superari, hac via esse Cæsarem, illa Gallos, atque ita non immerito, & ipsos ingentia incommoda ab æquitate Fortunæ, & illum amplissima beneficia retulisse. Per eos dies, in gratiam Cæsaris, in numerum

merum Cardinalium ascitus est Gabriel Merinus è Betica, ex infimo hominū ordine, quondam ab Ascanio Sfortia, ac demum à Leone in lucem Pontificia aula proiectus. Erat is ingenio, ad omnia obsequia, obcundaq; maximarum rerum munera valde acuto paratoq;, sed literarum penitus experte, ita vt Clemens nō obscurè reprehendi posse videretur, quòd nonnullos tum virtutis eximia prærogatiua candidatos, quum hunc efferret, eodem galero cohonestare minimè voluisset. Cæsar primo vere Bononia profectus, Ticinum venit, vt campos, & sua victoria, & Gallorum clade percelebres, & manentia adhuc castra, & munitiones inspiceret, monstrante singula loca Vastio, ac eius prælij euentus enarrāte. Iuuabat enim Cæsarem tū maximè latum, & curiosè diuagantem, ipsis in locis vestigia figere, quibus insigne aliquod facinus editum constabat. Nec Vastius honestissimo officio deerat, quum de seipso parcissimè loqueretur, & nomina meritaq; fortium virorum Cæsari cumulata, cum laude commendaret. Mediolani demum summo omnium, & Francisci præsertim principis studio susceptus est. Is in priuatam domum digressus, arcem ipsam Cæsari tradidit, ædificij laxitate atque elegantia, itemq; bellicorum instrumentorum apparatu, toto terrarum orbe memorabilem. Inde paucos post dies, superato

rato Ticino amne, ad Viglebanum Genationibus intentus aliquandiu desedit, donec paratam esse classem, & idoneas ad nauigandum tempestates esse ex literis Auriæ didicit: atque ita Genuam est profectus. Excepit eum hospitio Andreas in suburbanis hortis, quos regio apparatu ita instruxerat, vt discedenti Cæsari ea ornamenta dono daret. Erant enim aulæa serica, & intertexti auro & purpura lecti, itémque exquisitæ artis signa & tabulæ quæ omnia eo nomine susceperat, vt ea hisdem in cubiculis & conclauibus, sibi reuersuro in Italiam asseruari, verecundè & comiter iuberet: nec multò post oram soluit, prouectusq; ad Stachades insulas, quarum prima Massiliæ portum efficiunt, biduo ibi constitit. Attulere ei dona tenerrimi commeatus, Tendanus Comes, Gallicæ classis præfectus, atque item trierarchi. Suborto demum secundo vento, in altum vela dedit, & paucis diebus in Hispaniam peruenit. Eodem quoque tempore Clemens via Flaminia Anconam est profectus. Eā vrbem paulò ante per simulationem Turcici belli præsidio occupatam, Pontificiæ ditionis fecerat, redactis in ordinem decurionibus, qui arrogantius quam deceret, libertatis nomen præferentes, Pontificum imperia contemnebant: ea de causa suspectos ciues relegandos curauerat, donec arcem loco opportuno conderet, vt ordinata

nata demum Republica nobilissimo emporio, sua libertas non soluta ad arbitrium multitudinis, sed astrictæ æquissimis legibus redderetur. Inde Pontifex Deiparæ Virginis Lauretanæ templum adiuit, & ad aram maximam miraculo, & vetustate memorabilem, sacra confecit, modicisq; demum itineribus per Recinates, & Septempedanos, qui Sanseuerinates hodie dicuntur, & Camertes, in Vrbem est reuersus. Ineunte æstate eiusdem anni, crebris nuntijs allatum est Turcarum classem Gallipoli eductam, in Peloponnesum cursum tenere. Nec multò post Mendocius qui Coronæ in præsidio erat, Petro Toletano proregi Neapoli literis significauit, se terra mariq; vehementer obsideri, sed egregiè defensurum Vrbem, dum alimenta suppeterent. Verum capitū omnium inita ratione, nequaquam tantum frumenti, & reliqui commeatus omnino reperiri, vt id totæ æstatis sufficturum existimaret. Proinde Cæsarem etiam atq; etiam monebat, vt ante omnia Græcorū studio & voluntati, quæ esset mirifica, deesse nollet, si Coronem defendi vellet, & ad id maiores copias summitteret, facilè sperari, vt Turcæ rebellantibus Græcis tota Peloponneso, paucis exceptis arcibus, pellerentur. Sed ab Auria præsertim maturam opem implorabat, adeò vt quum hostilis classis apparatum eleuaret verbis vt certa spes

paranda

paranda Victoria iniiceretur, etiam eum moneret, Vt data sibi fidei memoriam retinere vellet. His rebus cognitis, Cæsar Auriæ præcipit, Vt classem instruat, ad id pecuniam curari iubet, & duodecim triremes, quas Aluarus Bazanius in Hispania ædificarat, se continuò transmissurum pollicetur. Igitur coactis circiter triginta onerarijs nauibus, & viginti septem triremibus, Auria Neapolim venit. Ibi veterani Hispani, qui efflagitatis stipendijs ab authoritate Vastij, proregis discesserant, occupatáque Auersa vrbe & sædè direpta, magna detrimenta circumiectis Campaniæ oppidis intulerant, persoluto stipendio nauibus sunt impositi, Roderico Maciceo duce, qui erat castrorum præfectus. Conscendit & triremes cum manu nobilium militum Federicus Toletanus, ipsius proregis filius adolescens, Vt eo sacro bello prima militiæ rudimenta deponeret. Vastius ipse, qui se iturum dixerat, suborto ventris profluuio, Neapoli substitit. Fuere qui crederent dolore contumeliæ adductum potius, quàm occupatum morbo, ea expeditione maritimam operam præstare noluisse: quoniam nuper, Bononiæ dum fœdus iniretur, sibi prælatus esset Antonius Leua, articulari etiam impeditus morbo, qui in Italia, si bellum ingrueret, fœderatorum omnium esset imperator. Dum hæc parãtur, Andreas,

Vt Cor

Vt Coroneorũ animos confirmaret, ne desperatis auxilijs durius sibi consulerent, Christophorum Pallauicinum in familiam Auriam adoptatum, expediti & maximè pugnacis ingenij iuuenem, cum velocissima trireme Coronem misit. Is interdiu per mediam Turcarum classem directa prora in portum inuectus, obsessos ingenti alacritate compleuit, nec multò post inspectis & diligenter exploratis rebus omnibus, Vt de hostium consilijs ac viribus certiora ad Auriam deferret meridiano ferè tempore improuisus erupit, felici audacia inter medias hostium stationes elapsus, adeò Vt spectaculum miraculo proximum cunctis præberet, & persequentes velis & remis, extento maxime cursu frustraretur. At Auria è Neapoli Messanam prouectus, vbi de maritimis terrestribúsque hostium copijs, & de apparatu numerorũ triremium, certius didicit, omnem spem et rationem inferendi præsidij in celeritate positam ratus, nequaquam expectato ab Hispania Bazanio in Græciam cursum intendit. Audiebat enim prædonum accessione quotidie adaugeri hostium classem, Moriumque præsertim archipiratam Alexandrinum expectari, cuius consilio ac disciplina præfecti Turcæ in omni eius belli administratione vterẽtur. Quum verò Zacynthum venisset, docentibus Venetis, aliquanto ampliorem et instructiorem quam

putarat, classem hostium ad Coronem stare comperit. Nam Luphtibeium Gallipolis Sanzacum, cuius præfectura mari imperium esse consuerit, & Solymanum Acarnanem, Moriumque ipsum circiter octoginta triremes coegisse, magnumq; numerum propugnatorum ex Janizerorum ordine in triremes distributum esse referebant, adeò vt nostros, nisi pleniore vêto vterentur, Ottomannica classi impares futuros esse indicarent, et nonnulli propterea triremes Hispanicas omnino expectandas atq; euocandas arbitrarentur. Cæterùm Andreas, vt de classe statione que hostium certius exploraret, Christophorum Auriam cum insigni sua trireme speculatum misit, is quum Acritem promontorium superasset in proximo sinu vniuersam classem conspexit iuxta litus, obuersis ad terram puppibus longo ordine collocatam, confestimq; inde persequentibus Turcis, ad Auriam reuersus, retulit duplo ampliore triremium numero quàm antea ad Coronem vidisset hostes aduectos, eosq; sibi videri non alio consilio sub Acrite in statione consistere, quam vt consligerent, quum nostri superato promontorio ad Coronem proueherentur. At Auria, qui neq; Buzanium expectabat, neq; multum ea hostilis classis amplitudine terrebatur, nihil cunctari, et instituti itineris cursum tenere constituit. Itaque suborientibus Etesijs, quibus

denti æstate pomeridianis horis ab occidente perflare consueuerunt, nostri hoc ordine acie instructa Acritem superant, et recto cursu ad Coronem deferuntur, antecedebant duo maximi galeones, quorum nauigiorum formam alio loco descripsimus, alterum ipse Auria magno sumptu ædificarat, alterum pari magnitudine adduxerat Belhomius Siculus, his erat imperatum, vt in læuam vela conuerterent, et quum hostium classis à litore proueheretur, dejectis ancoris medio inter vtranq; classem loco consisterent, vt quid opus foret, tormenta quæ erant eximiæ magnitudinis, in aduersum disploderent, hos onerariæ naues plenis velis sequebantur, in tergo fuere triremes omnes latissima fronte onerariarum agmen cogentes, dextrum cornu Pontificiæ Rhodiæq; triremes, quibus præerat Saluatus, læuum Antoniana hosti proximum obtinebant, mediam verò aciem ipse Auria tenebat. Turcæ ad primum conspectum à litore non discedentes, procul tormenta emittere, & demum prouehi cœperunt, vt ex propinquo rem gerèrent, cohortante ante alios Moro, qui audentius in nostrorum latera, & deniq; in terga vertebatur. Nam nostri, quum propositum suum tenerent, et nihil in læuam conuersis prioris rectæ ad Coronem contenderent, fugæ speciem præbebant, eò præsertim, quod triremes à dextro cornu, metu tormentorum adduc-

ctæ in altum magno capto circuitu ferebãtur, & plereq; aliæ ex media, Antonianáque acie onerarias consecutæ, confusius quàm decuerat inter eas sese insinuabant, quanquam nullum prope detrimentum ab hostium tormentis acciperent, nec galeones cursum intermiserant, quum consistere debuissent. In ea perturbatione nostræ classis, Morius Luphtibeium est cohortatus, vt pulcherrimæ occasioni non deesset: sed illo cunctantius & consideratius proclamante sese, Auria ab onerarijs triremes explicauit, et ad Coronem secundo vento est deuectus, dua onerariæ implicatis inter se antennis, quum cæterarum cursum, æquare non possent, in tergo hæserunt, ad has opprimendas extemplò vniuersa hostium classis aduolauit. Tum verò Hispani nequaquam pro sua virtute, vti deserti, & negotij nauales rudes insano pauore conterriti, in scaphas desilire cæperunt, vt nostros consequerentur, in suam Hermosilla ipsius scortum cum magno auri pondere demiserat, in alteram Petri Sarmenti signifer desilierat, nonnulli mirum dictu, quanquam natare nescirent, quòd eos scaphæ non caperent, in mare præcipites se dabant, vt ad nostros enatando perfugerent. Andreas conuersa prætoria à scaphis funium oram sibi porrigi magna voce petebat, vt onerarias remulco attraheret, sed illi nequaquam funis caput attulerant, vt qui erepto

trepto consilio tantùm de fugæ occupati metu cogitassent. Itaque Turcæ scaphas opprimunt, & circumiectæ triremium coronæ, onerarias adoriuntur in minorem nauem erepentes: Hispanis, quod nunquam aliàs acciderat, animos dispondentibus, eam capiunt, ex hac multis interfectis in excelsiorem transcendunt, in ea cruentum editur prælium: nam amissa prora & medio ponte, Hermosilla ad puppis castellum se receperat, & ab ima carina ferreo tormẽto saxea pila ingens emissa, triremes duas, interfectis ad triginta Turcis vehementer affixerat. At Auria perturbato sed ingenti animo, ignominiæ loco ducens, si in oculis nostrorum naues circumuentæ atque expugnatæ caperentur, cohortatus triearchos, vt proras conuerterent, & remis contenderent ad opem ferendam, in hostes cursum intendit. Id conspicati Morius, & Luphtibeius, & Solymanus, quòd iam pleniore Fauonio ad Coronem sensim detruderentur, & ab ingenti colubrina, quæ in turre erat constituta, emissæ pilæ ad ipsorum triremes vel in trium millium spatio perueniebant, magno tumultu explicare remos et desertis nauibus se recipere cæperunt, in eos Auria ad sexaginta pilas ferreas contorsit, et in multo spatio continenter diuerberatis eorum puppibus est persequutus, iam Antonio Auria ad oppugnandas onerarias conuerso.

Ibi Hispani, qui egerrimè pugnam sustinebant, quum Turcis, vti paulo ante ipsis acciderat, commutata fortuna, animus concidisset, in medio nauis ponte repugnare audacius coeperant, & Antoniani mirabili celeritate vndique scandentes in summa castella euasere, in ea contentione trecenti fermè Ianizeri, qui singulari virtute naues occuparant, à suisque deserti fuerant, interfecti aut capti sunt. In his fuit Iusuphius senex, mille Ianizeris praepositus, quem Auria sericeis vestibus, at q; aurea torque donatum vt ad similem quoque liberalitatem hostes prouocaret, ad Methonem sine pretio dimisit. At praefecti classis, vti posea cognitum est, ad grauissimas verborum contentiones descenderunt, cùm Luphtibeius à Moro, Solymano q; Acarnane, denique ab omnibus increparetur, quòd cupientibus militibus, & singulis obtestantibus trierarchis, aequissima conditione dimicare noluisset, sed ille secretiora mandata à Solymano imperatore sibi data dicebat, vt omnino seruaret classem, at q; omnem pugnae aleam sedulò deuitaret. Interea dum ad onerarias naues pugnaretur, Mendecius in deserta hostium castra erupit: nam conspecta nostrorum classe, at q; inde magno timore concepto, terrestris exercitus, nequaquam planè collectis vasis effugit: in his castris non exigua copia commeatus et castrensis supellectilis

stilis est reperta. Itaq; Andreas re feliciter gesta frumentum, vinum, et reliqui commeatus magnam copiam, tormentarijq; pulueris cados plures exponit, Macicao, cohortibus q; eius vrbem custodiendam tradit, Graecos consolatur, hortaturq;, vt ea obsidionis et belli incommoda patienter ferant: Caesarem enim in ea praecipuè cogitatione versari, vt ineunte vere, terra, mariq; in Peloponneso cum Turcis bellum gerat, eumq; nihil ducere honestius, aut ad gloriam splendidius, quàm benemeritam de se Christianoq; nomine Graecorum gentem, ex diuturna seruitute in latissimam restituere libertatem. Fuere qui existimarent Turcas vniuersa classe exui ea die facilè potuisse, si Auria Bazanianas triremes expectare, quàm infirmis viribus à Messana festinare maluisset: sed alij eas grauiore tectioreque consilio in freto Siciliae pportunè substitisse dicebant, ne Italiae litora penitus omni nauali praesidio nudarentur. Neque enim vniuersas triremes in vnius pugnae periculum deuocari Caesar volebat vtpote qui nequaquam praeclarè exploratam haberet Gallorum voluntatem, qui augendae at q; adornandae classi ad Massiliam toto eo anno magnopere studuissent. At Auria vetere exercitu in naues imposito, à Corone discedens ad insulam Ticanussam, quam Teneticam hodie vocant, supra Acritem constitit, ratus Methonen

thonensi portu egressuros hostes, & prælio contenderent. Sed quum nullis artibus elici nequit tuto oppugnari possent & ti erant mole ipsa turribus q3 protecti, Corcyram venit, atque inde Messanam est reuersus. Nec multis inde diebus, Morus, quum Venetis onerarijs nauibus, quæ mercaturæ causa Syriam petebant, insidiaretur, cum Hieronymo Canali apud Cretam nocturno prælio confixit, ex tredecim Mori tri remibus, quatuor perfractæ demersæq3 sunt, tres captæ, reliquæ magna ex parte remigibus nudatæ Alexandriam ex fuga petierunt, in his trecenti ferè Ianizeri, qui Memphim deportabantur, itemq3 ad mille Turcæ ex nauali turba interfecti: neq3 enim Veneti prædonibus parcunt, quòd catenatis seruis ad remum minimè utantur: Vnus ferè omnium Morus, qui nomen profiteretur, iam graui vulnere transuersa fronte susceptο, seruatus est, & cura ingens adhibita, accitis medicis ut sanaretur: ambo enim mutui erroris veniam deprecantes, egregia simulatione testabantur se similitudine triremium, et falsa de hoste coniectura deceptos: nam Morus pro Aurianis Venetas se adortum fuisse prædicabat, Canales verò se pro Moro Barbarussam credidisse, qui tres Venetas triremes superioribus annis intercepisset. Nec Solymanus eam iniuriam iniquo animo tulit, Venetoq3 legato ad Byzantium, demissa & in

erroris excusationem composita oratione satisfacere contendenti, Canalem rectè militariter que fecisse respondit, qui vim illatam fortissimè repulisset. Ex Cæsarianis verò tres triremes Adurnio duce, quæ omnium postremæ in ora Brutiorum vectura & mercimonij causa aliquandiu hæserant, ad Palinurum à Sinæ prædone, cui Iudæo cognomen fuit circumuentæ captæq3 sunt. Sub id tempus Clemens Pontifex Catharinam iuniore Laurentio Medice genitam, Henrico Francisci regis filio despondit, appetenteq3 colloquium regem Massiliam, ut ibi nuptias insigni conuentu habito celebrarent, nauigare constituit. Maximè decorum enim sibi futurum rebatur, si qui Cæsaris filiam domi suæ tanquam nurum erat habiturus, regiæ quoque & longè nobilissimæ stirpis suum sanguinem inseruisset. Ea affinitas & ti ambitiosius expetita, atque id maximè colloquium importuno tempore quæsitum, vehementer Cæsaris animum commouit, adeò & minores quoque principes, & Italiæ totius populi magnopere terrerentur, quasi Pontifex, qui dudum tanta prudentiæ cum laude, afflictæ euasitaq3 Italiæ pacem atque ocium peperisset, deprauato demum animo & commutata voluntate, renouandi belli causam esset præbiturus. Constabat enim Cæsarem, urbe Mutina Alfonso Atestino adiudicata, adeò

Clementis animum perturbasse, ut plerique eam iniuriæ molestiam, quam nec ille simulâter deuorasset, alienato planè stomacho percoqui minimè posse existimarent. Sed Clemens qui consilia sua assiduis cogitationibus euigilata terminarat, magno sibi artificio, & temperamento Cæsaris pariter & Francisci regis amicitiam tuendam esse arbitrabatur, periculosum enim esse prædicabat unam tantùm amicitiam colere, quæ cùm alias excluderet, durissimæ seruituti proxima videretur: Pontificia siquidem dignitatis & equitatis esse, communem se omnibus parentem atq; beneuolum profiteri, neq; adeò Gallorum regem tãti nominis, et qui Christianæ religionis sapius defensæ propagatæq; titulos præferret, contemnendũ existimare, ut colloquium cupienti pieq; petenti, quum id ipse bis Cæsari dederit, omnino denegetur. Anne aliter excindi aboleriq; posse Lutheranæ hæresis malum? quàm si Franciscus concilio faueat, authoritate et viribus adsit, et in eam præsertim causam sensus, & consilia Gallica plena pietatis, cum Cæsare coniungat? se profecto ea mente in Galliam proficisci, ut pacem atque otium confirmaret. Quid enim alienius à natura sua, & quid denique stultius, quàm pacem euertere, qua ipse ante alios tantopere gauderet, et ut ea diu frueretur cum acerbissima rerum omniũ conturbatione, summa vita

ma vita, & dignitatis pericula subijsset? Proinde timere & malignè suspicari desinerent, qui sua in rempubli. merita minimè nossent, aut qui superioribus temporibus essent perpessi, obtuso, vel ingrato ingenio minimè meminissent. Igitur inclinante æstate, Ioannes Stuardus Albaniæ regulus cum viginti triremibus è Massilia ad portum Veneris venit: eius uxor, Catharina sponsæ matertera erat, ipseq; iungendæ affinitatis author, & sponsalium præcipuus interpres extiterat. Itaq; Albanius sponsa ad Nicaã Prouinciæ mari deuecta: ut ea inde terrestri itinere Massiliam perueniret, conuersis inde velis, Liburnum est profectus. Iam Clemẽs per Etruriã Pisas venerat, expectatq; idonea tempestate, quũ ad mare descendisset, triremes Gallicas conscendit, affuere ex composito à Messana redeuntes cum sua quisq; classe, ipse Auria, Aluaresq; Bazanius, & Saluiatus, qui ante portũ decurrentibus cum insigni ornatu vexillorũ triremibus, dissolutisq; omnibus tormentis, Pontificem consalutarunt. Eo die qui ipsi omnium latissimus fuit, Clemens ad Herculis Monœci portũ, qui Villafranchæ dicitur, præstantibus Euris, atq; inde biduo pòst Massiliam peruenit. Exceptus est ab Anneo Memorãtio regiæ familiæ magistro, incredibili apparatu sumptuq;: postridie rex ipse cum Eleonora regina tribusq;

tribusq́, liberis affuit, totius Galliæ nobilitatem trahens. Nec multò post in solenni Cardinalitū episcoporumq́, consessu, medius inter liberos in genua procumbens hilari osculo exceptus alleuatusq́ est. Orauit tum Latinè & luculenter Ioannes Bellaius episcopus Parisiensis, quum cum congressum summæ felicitatis, maturum iam publicæ pacis fructum, fessis Christianorum rebus, allaturū ominaretur. Grauissimis inde cōsultationibus extracti aliquot dies, tanto consiliorū silentio, vt ne arbitrum quidē, qui lumē proferret, nocturnis colloquijs admitterent: ipsorū enim cubicula paries tantū cum secretis foribus dirimebat. Fama erat vtrunque mutuis cum lachrymis recentes calamitates deflcuisse, repetisseq́, origines antiquorū consiliorū, veluti vno ordine cōnexis erroribus, quibus demū in tantas carceris miserias decidissent. Nec deerant curiosi abditarū rerum interpretes, qui subtiliter exceptæ auribus, aut ingenij libidine cōfictæ enumerando, Clementi grauē inuidiā apud Cæsarem conflarent, quasi ille iam regi certissimo fœdere iungeretur. vt quū per occasionē commouere virtum lacertos possent, in Italia bellum renouarent, quo simul, & hic Mediolanum repeteret, & ille Regio, et Mutina potiretur. Augebant suspicionē maturatæ nuptiæ, quæ impares regio sanguini videretur. Siquidem

dem nobilissimus adolescens Henricus, quanquam ætate tenerior, Catharinam celebratis insigni cerimonia nuptijs, ex virgine mulierē prima nocte reddiderat: cui quanquā materna oppida in Aruernis, atq́ item centū millia aureorū nummū cum vnionibus multisq́ gemmis & pretiosa thori supellectile, cōugalis mundi nomine affluenter accessissent, nihil tamen exæquari videbatur nonnullis dotē simul, & nouæ nuptæ natales obliquo sermone eleuantibus, qui Pontificē maximè suspectum Cæsarianis reddere cōtendebant. Vnde et illud falsè dictū Philippi Strozzæ legati apud regem in vulgus emanarat. Regijs enim quæstoribus, quū illis representata dotis pecunia solueretur, admodum exiguā eam dotem esse pro regia domus fortuna dictitātibus respondera. se plurimum mirari, quòd ea dignitate homines, nequaquā arcani regij participes viderentur, postquàm nescirent Pontificem insigni chirographo tres inæstimabilis pretij gemmas, quarum insana cupiditate maximi reges deflagrarent, in supplementa dotalia promisisse: illis verò lato vultu, quænam essent, requirentibus, quòd è sacra tiara detractas iri putarent, arridens subiunxerat, apud peritos rerū, eas fore Genuam, Mediolanū, atq́ Neapolim. Quæ res, sicuti risum mouere potuit, ita & mox apud Cæsarianos subamaræ

suspic

suspicionis aculeos reliquisse videbatur. Nobis certè constabat Clementem alienato maximè ingenio, eâ Cæsaris sententiam pertulisse, qua ille Alfonso Atestino Regium, & Mutinam adiudicarat, adeò vt iniuriam libero ore conqueritus, contra morem, barbam alternante manu demulceret, & aliàs irati animi decretum in colloquijs nimia dissimulatione fateretur. Cæterum Massiliæ conuiuijs, saltationibusq; triginta quatuor dies insumpti, tantæ principum, minorumq; ordinum coatentione, & cura, implendis totius munificentiæ ac humanitatis officijs, vt is conuentus eæq; nuptiæ, neq; iucundiore comitate, neque effusiore sumptu, neq; libertore lætitia celebrari potuerint. Aderant tres regis filij, in quos ora hominum vertebantur. In Francisco Delphino eminebat ingenium graue, multa reconditarum rerum cognitione defixum. Henricus autem iucunditate animi, corporis, et cultus militari habitu, sermonis alacritate, Gallorum naturæ similior studia fauentis populi promerebatur. In Carolo autem puero id erat decoris, ea eruditi & admirabilis ingenij suauitas, vt nemo eo rege, prole felicior haberetur. Honestauit nuptias Heleonora regina serenitate, modestia, mundi tijs, tanto rege dignissima. Nec indigna erat noua nupta regio fastigio, quum haud dubiè Leonis decimi maioris patrui

patrui indolem, à magnitudine excelsi liberalitatisq; animi, honestissimisq; moribus referret. Ipse autem Franciscus sua peculiari liberalitatis laude supra cæteros principes maximè insignis seipso splendidior apparuit: singulis enim Cardinalibus opulenta ex Gallia sacerdotijs pensiones dono datæ, honestatiq; sunt amplissimis muneribus, qui vel studio partium, vel Pontificis gratia pollebant, & ij ante omnes præcipua benignitate, qui optimarũ literarum, & præstantis ingenij fama noscebantur. Hos rex ipse omnis elegantiæ arbiter, & nobilissimarũ artium peracutus æstimator, in summam familiaritatem erudito sermone pertrahebat. Neq; passus est se donis à Pontifice superari: nam quum Pontifex monocerotis bicubitale cornu, aureæ calatæ basi inclusum, ad depellendas epulis venena, dono dedisset: id latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte, suprema Christi cœna cum discipulis serico atq; auro intexta visebatur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, quum ingenuo pudore maiora dona repudiasset, mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis trãsmiserat. Discessurus autem Pontifex, quatuor Viros Gallos legit in senatum commendatione atq; iudicio regis delectos. It fuere Odettus Castellio,

cui

cui Anneus Memorantius aulæ magister erat auunculus, & Philippus Bolonius Albani frater, & Claudius Gibrius Philippi Sciabotti amirantis auunculus, & Ioannes Venurius, ab innocentia comitate q3 ingenij regi carus, & cæteris ætate superior. His rebus confectis, concluso iam prope hybernis tempestatibus mari, circiter Idus Nouembres, è Massilia soluit, tenuitq3 portum ad Vadas Sabatia, inde conscensis Aurianis triremibus, quum Gallicas remisisset. Centumcellas peruenit, terrestriq3 demum itinere in Vrbem est reuectus, ita vt adueniens alterutra sui fama flueretur. Aliqui enim, vt in libera vrbe impunè accidit, eum sapientissimum appellabant, quòd neptem suam maximi regis nurum, & in domo sua Augusti Cæsaris filiam rara felicitate conspiceret, & contra alij criminose admodum id factum vituperarent, quasi depositæ sacrosancti Pontificis personæ, priuatis familiæ commodis, quàm publicæ quieti consulere maluisset.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXXII.

VIX dum exacta hyeme, Cæsar frequentibus amicorum sociorumq3 literis admonebatur, vt etiã atq3 etiam prospiceret, caueretq3 maxime à Francisco rege, qui conquiescere, & pacem pati minimè posse videretur. Agitare enim illum animo nequaquam pacato ingens bellum, confisumq3 recenti Clementis amicitiæ, ad vnum opperiri, vt alicũde bellum erũperet. Propterea perpetuis Gallorum legationibus solicitari aliquos Germaniæ regulos, qui Austriæ domui veteres hostes fuissent, & Vlderico Virtembergensi propinquitate ac amicitia coniuncto, auxilia præbituri dicerentur. Inter quos eminebat Philippus Lantgrauius Chattorum princeps, ingenio ferox, armis & clientelis potens, & super hæc Cæsari vehementer infensus. Hunc enim in disceptatione hæreditatis

tatis cum Henrico Nansao litigantem, ab ſe Cæſar penitus alienarat, quum ipſius iudicio ſecundum litis euentum tulisſet Henricus: Cui de ille è Ratiſpona, nondum peracto concilio, perturbatus iratúſq; diſceſſerat, adeò vt ab eo iudicio ad Martem appellaret, & ſe ſua in re iniquiſſimè fraudatum ſuperbo ore quereretur. Itaque non obſcurè parabat bellum, auxiliò Gallico, vt plerique exiſtimabant, opportunè ſubnixus, profitebatúrque ſe Vldericum in paternam ditionem, vel repugnante Cæſare, armis eſſe reducturum. Errabat exulem iam multos annos Vldericus, domo pulſus à Sueuis, quum illi Reitlingenſium iniurias vindicaſſent. Maximiliano ſiquidem vita functo, Vldericus inſano conſilio Reitlingum admotis caſtris oppugnarat, & ceperat. Id non tulere Sueuorum foederatæ ciuitates, quarum in fide erant Reitlingenſes. Itaque decreto publico, Vldericum bello perſecutæ, eo impetu tulere arma, vt recepta vrbe, omnes ſa etiam Virtembergēſis ditionis oppida in poteſtatem redegerint. Id Vlderici patrimonium Carolus Cæſar, vti optimo belli iure captum, coemit à Sueuis, qui bellicos ſumptus ea pecunia reſarcire maximè cupiebant. Ferdinandóque fratri, & domui Auſtriæ adiecit. Vlderico demum opem imploranti à Gallis, & Heluetiis, & oppida ſæpius repetenti, cunctã

nncta irrita aduerſáque obuenerant, iamtúmque in obſcuro prouincialibus inuiſus, quòd eſſet ingenio turbido, crudeli, furioſo, adeò vt vxorem clariſſimis natalibus ortam, qua Vilermi, & Arioniſti Baioariæ principum germana erat, vecordi impetu diuerberaret, agitarétque calcaribus, quum proſtratæ iumenti more tumulentus, & inſanus inſideret. Cæterum ex ea ſuſceperat Chriſtophorum, militari indole iuuenem, in hunc repudiato patre, Baioarij auunculi, atq; item Philippus Lantgrauius beneuolētiam, & ſtudia ſua contulerant, & in eum apud Virtembergenſes mirus amor populari quadam charitate reſederat, quum illum ab arrogantia veſani patris immeritas exilij luētem pœnas cum dolore conſpicerent, adeò vt eum, deſiderio veterum principum ſuorum paratis ad defectionem animis, requirere viderentur. Poſtularat Chriſtophorus aliquandiu Auguſta in aula Verſatus, vt certis paterni imperij oppidis, quæ maternæ dotis erant, æquitate ac indulgentia Cæſaris donaretur: ſed in eam liberalitatem Cæſar adduci non potuit, vtpote qui iuuenem ingenio patri diſſimilem, nec obſcuro prouincialium ſtudio in ſpem repetendi imperij erectum, prouinciæ paulò ante ſuæ caſtellis minimè inſinuandum iudicabat. Ab hac repulſa, Chriſtophorus ad Franciſcum

Galliæ regem confugerat, qui ea tempestate insigni largitione alacritatéque Germanorum procerum amicitiam expetere, itemque miserorum, & exulum causam tueri erat solitus. Nec multo post ipse, & Vlderictus pater regi bellicæ arcis montem, quod hodie Pellicardum vocant, præsenti pecunia vendiderunt. Id est in finibus Heluetiorum ad Rauracam Basileam, inter Rhenum & Vosegum montẽ quæ iter est in Tullingos, maximamq; inde Gallis præbet opportunitatem ad conducendas ex Germania copias. Qua coemptione, Franciscus iampridem Ferdinando, Carolog; Cæsari non obscuram suspicionem nouandarum rerum iniecerat. Sed tum quietis rebus, in fama erat Lantgrauius, quem vulgò ferebant, vbi Christophorum in paterni imperij ditionem reduxisset, continuò in Italiam turbandis Cisalpinæ Galliæ rebus, cum ingẽtibus Lutheranorum copijs peruasurum. Is enim à maiorum sacris religione q̃, discesserat, vt nuæ eius superstitionis professione & patrocinio, supra opes suas clarior atque validior haberetur. His de causis Cæsar graui consilio dabat operam, vt pacem in Italia tueretur. Iam enim totum id tempus effluxerat, quod in fœdere præscriptum Bononiæ fuisse meminimus. Itaque Christiernæ & Francisci Sfortiæ nuptias omnino maturandas existimauit, vt

solicitum & dubia spe nutantem principem in fide confirmaret, liberaretque omni cura Venetos & Insubres, ipsumque Pontificem, qui Franciscum procreandis liberis operam dare, propagaréque Sfortianum nomen, insigni sobole cupiebant, ne Cæsar, cœlibis & sæpe languentis principis hæres, Mediolanensi imperio potiretur, de cuius possessione ad exitium totius Italiæ funesto euentu paucis antè annis esset dimicatũ. Magna igitur omnium letitia & gratulatione, adducta è Belgio puella, nuptiæ Mediolani celebratæ sunt regio sumptu, & ob id populis admodum graues, sed tolerata tamen alacribus animis, quoniam nudata Cæsaris voluntate, amplissimam spem diuturnæ pacis attulisse videbantur. Feltrium demum Vrbinatium principem, qui Veneti exercitus erat imperator, restitutæ ei Soræ vrbe, incredibili beneficio sibi deuinxit. Abstulerat ei Sorã, vt suo loco diximus, multis ante annis Ferdinandus Hispaniæ rex, eam verò Carolus Cæsar Ceurio nutricio suo, qui tum incomparabili authoritate pollebat, dono dederat, cesserátque demum eius hæredibus, adeò vt Cæsar, qui liberalitatem suã erga nutricij posteros perpetuam volebat, pecunia ingenti Soram coemere cogeretur, quo munificentiæ genere, eximium eius studium eo præclarius apparuit, quòd in promerẽda hominis voluntate, eã

Vrbem dono daret, quã antea penè promisserat in præmium partæ de Gallo rege victoriæ, petenti Pescario cõcedere noluisset. Feltriũ enim Medicео nomini, Clementiq; præsertim Valde infensum, & maximè idoneum disturbandis illius consilijs existimabat, quum ab Vmbria Piceniq; finibus molientem res nouas pontificem expeditis armis vrgere facilè posse videretur. Quin & Columnæ familiæ proceres tanquam peculiares Pontificiũ hostes, Cæsarianarumq; partium defensores, nouis muneribus prosecutus est, qui è propinquo vrbi Romæ imminerent, explorarent consilia motusq; suspecti Pontificis, atq; eum in obsequio fœderis, occulto quodam metu cõtinerent, quanquã Pontifex prolixè testaretur se nunquam eius fœderis, & amicitiæ iura violaturũ. Quid enim sibi vel ad familiæ felicitatem optatius, quàm Cæsaris filiã in domo sua nurũ cõspicere? Quid deniq; ad personæ dignitatẽ atq; amplitudinem maius atq; præstantius, quam parta pace vti, perfruiq; illa digna pio Pontifice, Christiana tranquillitate? Vnde & afflictis vrbanis rebus diuturnam securitatem parare, & indicto concilio perturbatæ religionis cerimonias ad veteris cultus censuram reuocare confideret? Sed eum tunc Pontifex suæ antiquæ simulationis fructum ferebat, vt quũ vera diceret, ancipiti eius ingenio nulla fides haberetur.

tur. Honestauit item Cæsar Melphitano principatu Andream Auriam, ac eius propinquos & trierarchos vberioribus stipendijs sibi obstrinxit: in eius enim viri consilio virtuteq; totius Ligurię opes & classes, copiæq; nauales sitæ erant. Itа Cæsar vndiq; rectissimè prouisum iudicabat, quum nulla omnino defectio ab his foret timenda, quos magnis præoccupatos beneficijs, in fide veteregq; obsequio confirmasset. Veneti siquidem, vti antea pepigissent, se Franciscum Sfortiã defensures pollicebantur, & Alfonsus Atestinus recepta Mutina se totum ad Cæsarem contulerat. Nec deerat studiũ Mantuano qui Montisferrati principatum sibi adiudicari æquitate Cæsaris expectabat, quũ Bonifacius vxoris frater, currente equo lapsus, sine prole decessisset. Interea ad Corunem Hispani Graciq; quanquã aliquot nauigia plena commeatu hybernis tempestatibus eo ab Sicilia felici cursu peruenissent, multarũ rerum inopia laborare cœperũt, antè alia summa erat penuria vini & pecoris, panis furfuraceo similis erat: nã ad terendum triticũ, molis quotidiano labore manu ductis vtebantur. Cisternæ quoq; ab assiduo tormentorũ strepitu, cõmotis scilicet ab imo parietibus, adeò crebras & insanabiles rimas contraxerant, vt vel hyemales aquæ à copiosis imbribus minimè in æstatem suffecturæ crederentur. Nullos enim

enim egressus tutos, Turcarum stationes incursionesq; relinquebant: nam expediti equites ex insidijs undique prodibant, magnum numerum mulionum, armigerorumque puerorum, & lixarum, quum ij paulò longius ad colligendas olivas progrederentur, insidiosis incursibus interceperant, nonnullos milites ante portam repentina invasione oppressérant: ita enim euagabantur, ut nullo in loco diu permanerent, et omnibus ex partibus improvisi adessent, utpote qui rectissimo & minimè barbaro consilio, remotam à mœnibus & maximè longam obsidionem instituebant, ut nostrorum vim atq; impetum frustrarentur, nunquam sese ad iustum prælium offerrent, & nusquam ex propinquo ad pugnæ casum exposíti, consistere vellent. Editis in collium iugis speculæ erant, in queis die noctuq; vigiles excubabant, ut cuncta quæ vidissent, in castris nunciarentur. Ea erant ad Andrussium oppidum Messenij agri, quod à mari ipsaq; Messene urbe quondam nobili, quæ hodie Petalidia dicitur, introrsus septem millibus passuum distat, & à Corone trigintaquinque ad Tiffoum amnem, qui Pamisus olim fuit. Existimabant enim Turcæ extanto interuallo, nostros nullam unquam expeditionem esse desumpturos, quæ vix quatuor dierum itinere ab armatis hominibus militari passu confici posse videretur. Cæterum milites

tes Hispani brumalibus fermè diebus, cũ tædio tam lentæ & diuturnæ obsidionis, tũ multarũ, ut diximus, rerũ inopia adducti, à Macicas duce petere cœperunt, ut contra hostes ad insigne aliquod edendum facinus educerẽtur, quando iam planè cuncta deficerent, & longinqua spes esset expectandæ classis, quæ vasto & sæuo mari nequaquã ante calendas Aprileis, nisi insano ausu, committi posse videretur: inutili enim æquè ac ignobili ocio tempus teri, absumiq; interea sensim cuncta famis subsidia, & contabescere concepta valetudine militum vires, & timeri debere pestilentiam, quæ conclusis, & inusitato cibariorũ genere vescentibus, cũ sese aperiret annus, minimè defutura crederetur. Postremò præstare in acie mori, & non inultos quidem, quam desperatione ac inedia confectos, tanquã fœminas in suprema necessitate immanibus hostibus dedi, quod si quid audacius tentent, & virtutis innatæ tot iesq; spectata periculum faciant, facilè posse incautos & nihil tale suspectantes Turcas opprimi atq; deleri: nunquã enim Fortunã conclusis, & misero ac infami ocio desidibus adfuturã, uterentur iniquæ sortis beneficio, & ratione & disciplinã non ad cautæ prudentiæ nomẽ, sed ad unã tantũ inuicti animi magnitudinẽ reuocarent, futurũ profectò, ut ipsa præsentiũ rerum necessitas, expeditam viam nobi

lioribus factis aperiret. At Macicaus, qui ma
nerts impositi officij deniq; sui probè memine-
rat, compescere has Veteres, & docere quantum
flagitij admitteretur, si præsidio temere exte-
rendum putarent, ipsos nequaquam eo consilio
Veniisse, Vt in mediterraneis Peloponnesi hos-
tes quærentes arbitrarētur, quos à mœnibus
primo aduētu, desertis castris effugere coegis-
sent, parsimonia & tolerantia Vti sæpe antea
fecissent eas difficultates posse superari, neque
se dubitare, quin ad prima Veris signa, clas-
sem Cæsaris, & noua auxilia sint Visuri. Pro-
inde eius insani cōsilij pœnitet obliuiscerētur,
quid enim Iouius et deniq; stultius esse, quàm
paucos sine equitibus in aliena, & incognita
regione, cum iusto propè exercitu, Valido in pri
mis equitatu, & multis prætorianis cohortib
bus longè firmissimo, dimicare? & quod aures
Vix ferre possint, relinquere desertam Vrbem
per aliquot dies in potestate Græcorum quos
Vel fidelissimos, neque pro natura gentis leuis-
simos, ipsa fames & futuri supplicij metus in-
ducere possint, Vt facilè fidem fallant, & pro-
tinus ad Veteres dominos rebellent? Proinde
sibi in animo situm esse pro disciplina tueri Vr
bem, eamq; Cæsari seruare, & omnia aspera
prius perpeti, quàm desertæ Vrbis, & proditi
exercitus infamiam subire. Quid enim acer-
bius fore, quàm in ipsa felici temeritate, si
etiam

etiam Fortuna Votis annuat, nullam omnino
laudem ferre, & contra etiam militari iudi-
cio pœnam promereri? Porrò quid calamito-
sius, quàm in aduerso euentu cum ignominia
leuitatis atq; stultitiæ in Vestigio pœnitere si-
mul & perire? mollitiem eam esse animorum
non magnitudinem. Vti falso nomine appella-
rent, non enim eos esse Viros fortes, qui dolore
fatiscerent, & famis metu frangerentur, adeò
Vt salutem proijcere, indecoroq; Vitæ exitu mi-
serijs finem afferre, quàm statutum cælo fatū
expectare malint. Erat Macicaus, Vti ab ob-
scuro Cantabriæ oppido non natalibus, sed in-
signi Virtute clarus, fortibus factis, & multæ
corporis ac ingenij patientia, ab infimo peditū
ordine, Vti antea Nauarro Ioanniq; Dorbino
contigisse constat, ad præfecturam castrorum
prouectus, ob id maiore lenitate comitatéque
imperij Vim exercebat, adeò Vt non elato, sed
temperato ingenio in consilijs Veteretur, & ad
declinandam inuidiam, nunquam Vsurpatu
ducis appellatione sese cæteris centurionibus
æquaret, inter quos eminebat spectata no-
bilitatis Didacus Touarres, eius sententiæ fa-
cilè princeps & Vsque adeò Vehemens, Vt
quum alios penè omnes secum traheret, Vix
illi à Macicao resisteretur. Caterum re in
præsens dilata, & continuò demum tridua
magnis disputationibus in Vtranque partem
habitis

habitus vehemẽter agitata, Touarres & Hermosilla Macicaum expugnant: ille victus precibus atq; iudicio militum, dat manus, eundumq; esse decernit, testatur tamẽ se inuitum trahi, et nimia eorum cupiditate ac intempestiua desperatione, totius belli summã, & salutem omniũ in id discrimen adduci, in quo nulla prope spes secundi euentus, aut omnino tuti receptus emineret: ad id quoq; fortiter audendum magnopere cogebatur à Græcis de sua salute libertate q; solicitus, inter quos rei bellicæ peritia, & Turcarum stipendijs clari plurimũ eminebant Lazarus citeriore Macedonia oriundus, & Busæus dignitate equestri, & ipse ante alios Barbatius Græcorum longè fortissimus: is Turcicæ peritus linguæ, singularem totius regionis ac itinerũ omnium notitiam tenebat, hortabaturq;, vt se duce & antesignano, ad eam expeditionẽ vterentur: se enim daturum operã, vt occulto itinere ad hostes consopitos, aut nihil tale verentes, maturè atque opportunè peruenirent. Macicaus, qui alienã temeritatẽ suæ prudentiæ & diligentiæ maximè sarcire cupiebat, ante omnia integro triduo cauit, ne quis omnino Græcorũ vrbe egrederetur, ac demum Liscanio atque Mendesio centurionibus vrbe commendata, qui cũ egris ac ætate grauibus in custodia relinquebantur, hisq; iniunctum est, vt portas continuò obseruarent,

uarent, ne profectionis fama ad hostes deferretur, de secunda vigilia educto agmine, ad Andrussam Barbatio duce contendit, sinuosis & inusitatis itineribus, vt cultæ ac frequentiæ loca, & Turcarum custodias deuitaret, ea nocte dimidia ferè itineris parte confecta, nã à brumali solstitio longissimæ noctes erant. & exorto sole in caua & nemorosa valle copias condidit, atq; eo inclinante in vesperam curatis quiete ciboq; corporibus, eo gradu ad Andrussam perrexit, vt paulò ante auroram hostibus appropinquaret. Erat in oppido Caramus è præfectis prætorianarum cohortium virtute insignis & cum eo circiter tria millia peditum, in queis fuere sclopettarij è Ianizerorũ ordine mille & quingenti cæteri è genere Asaporũ partim sagittarij partim hastati erãt: extra oppidum verò Acomates, cui à præstanti forma Iusello cognomen fuit, in suburbanis tectis ad mille delectos equites continebat. Summa omnium, & Macicai, Barbatijq; in primis sententia erat, nullo cum strepitu, & suspensis quidem passibus stabula & castra equitum pertransire, adoririq; extemplo oppidum: murus enim vti non vno in loco confectus ex cratibus argilläque ad lateritij parietis craßitudinem, & partim vetustate partim incolarũ negligentia proruptus, non omnino difficilem scansuris, & subleuatis aliorum

hume

humeris militibus aditum præbebat, ita diuisis inter se muneribus & copijs, Macicaus ad oppidum progreditur. Hermosilla contra hostium equites quietus consistit: sed tanto silentio negotium patrari non potuit, quin nonnulli agasones & stabularij Turcæ casu excitati, nostros sentirēt, & in dubia luce collucentibus sclopettorum funiculis perspicerent: ij primi omnium, vigiles, quorum nulla prope erat diligentia, & demum equites sopitos somno ex moribus editis excitarūt. Nec cunctatur Hermosilla, experrectos et adhuc imparatos, prius quàm coeant, atque equos ascendant, magno impetu inuadit. Turcæ eo casu perturbati ædificiorum ianuis sese tutantur, nostri stabula perrumpunt, multos trucidant, ignemq; strāmentis injiciunt, vt equi, viri, arma, atq; ædificia eodem igne contrementur. Tum verò cuncta tumultu clamoreq; miscerī, sed valde terribilis erat equorum hinnientium fremitus, qui dum vincla abrumpunt, & ambusti terrefactiq; ardentibus caudis & crinibus vndique deferrentur, insuetis tumultus strepitum reddebant. Eo modo res ad improuisum casum importunè deducta, excitatisq; in oppido Turcis, nostrorum spem fregit, atque animos imminuit: datum enim est spatium Caranæ ad capienda arma, & iam Turcæ ad muri perrupti aditus portasque adcurrerant.

animad

animaduersaq; paucitate nostrorum, densatis ordinibus, vbi periculum poscēret, intrepidè præliabantur. Hermosilla delendis equitibus intento, & serius quàm oporteret, auxilium ferre conante, Macicaus, dū portulæ, quæ erāt in latere, valuas reuellit, sclopetti glande per frontem traiectus cadit. Interficitur & Didacus Touarres, eandemq; fortunā milites muro portaq; proximi subeūt, auctiq; animis Turcæ in deprehensos clara iam in luce, & disiunctos, facta eruptione deferuntur. Nostri ab acclini accessu in æquum locum retrogressi, recepto & coniuncto sibi secundo agmine, & conuersa in hostes fronte, se recipere cœperūt. Hermosilla per sclopettarios latè insequentes summouebat, tergo agminis tuebatur, atq; expeditos ad latera disponebat adeò pertè & constanter, vt vndiq; Turcæ audacius prouentes certis propè ictibus sternerentur. Iam equites, qui ab incendijs euaserant, & qui in remotis mapalibus tendebant, eò frequentes adcurrerant. Acomates cristis conspicuus in acie circumfusis alis versabatur, sed nostri ea animorū constantia gradum referebant, vt orbatis duce, ac itinere planè fatigatis, quum Fortuna deesset, egregia virtus ad sustinendum redintegrādumq; prælium superesse videretur. Turcæ magno ad stabula detrimento accepto, & pluribus ex Acomatis militibus desideratis,

ratis, quòd oppressi deleticq; penitus non fuissent, pro victoria ducebant, atq; ita lentius vrgere abeuntes, & in frequenti peditum agmine persequi cæperant. Sed Acomates, rapiente fato, quum occasioni deesse nollet, traditos à Carano sclopettarios circiter ducentos, ab totidem equitibus in clunes equorum consessoret recipi iubet, & nostros persequitur, alios equites sagittarios ac hastatos aduocat, et à postremo nostrorum agmine non discedit, sed dum multa passuũ millia proiectus, audacius in nostros equum adigit, sclopetti glande per lunatã peltã traijcitur: eo cadente, nostri purpuream mitrã multo auro intertextam cũ cristis, atq; item clypeum rapiunt, Turcæ corpore potiũtur. Eo modo duce amisso, multisq; illatis & acceptis vulneribus, persequendi finem fecere, indeq; nostri quietiore agmine Coronem sunt reuersi: nec diu ad Andrussam Turcæ moram traxere: nam auribus ac naribus nostrorum decisis, atq; his ad ostentationẽ æquatæ cladis Byzantiũ transmissis, ad Londarium, quod Megalopolis olim fuit, reliquũ hyemis egerũt. Turcis verò discedentibus à Corone, iterum Andrussa à nostris est repetita, vt tot fortium virorũ cadauera relicta feris atq; volucribus humarentur, & in his sepeliendis, vicini Græci ab oppido Callamata, quod olim Phare dicebatur, singulare Christianæ pietatis officium præs-

præstiterunt, & à nostris Macicai caput, quod hostes in prælonga hasta præfixerant, planè agnitum, cum honore Coronem est relatum. Nec multò post subortæ pestilentia multiplicatis funeribus, vastare Coronem cœpit, eo grauior, quòd supra cæteras difficultates accesserat. Quibus de causis, Hispani vti in summa rerum desperatione accidit, nacti nauigia, quæ frumentum à Sicilia detulerant, susceptis Græcis cum eorum supellectile, ablatis q; tormẽtis oppidum vacuum reliquerunt. Fuere qui dicerent Hispanos non metu aut iudicio suo, sed iussu Cæsaris Coronẽ reliquisse: neq; enim crediderim tantum momenti in vnius vrbis possessione fuisse reponendum, vt in nullum prope exitum, Cæsar grauissimis sumptibus id bellum alere voluerit, quum constet eum Venetis, et Pontifici, ac ipsis denique Rhodijs, qui in Melita erant, eam vrbem tuendam possidendamq; obtulisse, postquàm in eos sumptus pecuniam conferre grauarentur. Cupiebat Clemens, prudenti sanè consilio, in multos annos Turcarum metu liberari, egeratq; Byzantij cum Ludouico Gritto per Gerardum Florentinis mercatoribus iuri dicundo præpositum, vt reddita Corone, in decem annos induciæ essent. Solymano cũ omnibus Christianis, quod maximè vt fieret, Hæbraimus appetebat: nam excitato tam penè Persico bello, in Orientem animi omnium atq;

arma vertebantur. Pacis siquidem et belli iura, vti alio loco diximus in eius viri iudicio atque authoritate posita erant: neque enim Christiano nomini erat infensus, vt credi par est, et paterna religionis memoria, secus ac cateri Turcæ, et Scythicæ præsertim stirpis, qui inexorabili odio nostros homines persequuntur. Inducia quoque & ipsi Gritto magnopere placebant quum in Pannoniam ad eas res componendas esset profecturus, sed dum Cæsar, vti planè intercluseus, hinc dedecoris metu, & illinc præclara commoditate, animi consilium tardius explicaret, transigendi negotij tempus effluxit, ita vt Cæsar, quum Ferdinando fratri assiduis attrito bellis, quietem atque otium parare, et grauissimis subinde eius belli sumptibus parcere restituta Corone commodè posse videretur, ab ea cunctatione summæ vtilitatis occasionem amiserit. Sub id quoq; tempus Philippus Lantgrauius Chattorum princeps, Ferdinando regi bellum intulit: Aderat Vldericus, vti memorauimus, belli causam ad æquitatis speciem prabens, & ob id ab omni nobilitate liberaliter adiutus. Nam Germaniæ reguli, vetusto more gentis, implorantibus mutuam opem, non adesse nefas esse putant. Hoc sanctissimo liberalis amicitiæ iure, humiles & infirmi seipsos ab iniuria, & superbia potentiorum facilè defendunt. Igitur quum insigni studio

studio vndique auxilia gratuitò præberentur, Vldericus paucis diebus ad quinq; millia galeatorum equitum coegit. Adductæ item supra triginta peditum cohortes, à Villermo Furstembergo summæ nobilitatis iuuene, Argentinenses quoque & Vlmenses tormenta bellica contulerunt: nam libera Suenorum ciuitates, quæ iam pridem societate consenserant, dissoluto demum fœdere, separatim rebus suis ita consulebant, vt tum Vldericus earum ciuitatum amicitia, & viribus opportunè atque feliciter vteretur, quibus antea dum id fœdus vigeret, ditione sua, & domo fuisset expulsus. At Ferdinandus suo more per legatos bella gerere solitus, quum ad paranda auxilia per Vindelician, Noricum, atque Bohemiam discurreret, copias suas Philippo Palatino commiserat. Huic regio genere orto, & defensa ab se Vienna gloria illustri, peritissimi duces parebant. Conradus Heßius, qui in euastanda vrbe Roma Germanorum princeps extiterat, & Maximilianus Habesthenius in Italia clarus. Hi tres legiones externorum peditum ducebant, accesserant q; sibitarij delectus ex ea regione cohortes, cum iusto tormentorum apparatu, et ad has duo millia armatorum equitum. Interim à Cæsare sustinendo, extrahendoq; bello, per mensarios pecunia parabatur: sed id aliquanto minore diligentia fiebat, quam gra-

uis, & repentinus hostium aduentus postularet, Lantgrauius enim Necharo amne superato, trinis castris in Virtembergensiũ fines exercitum induxit, adeò celeri ac improuisa irruptione prouectus, vt regij nullis speculatoribus vsi, non prius de aduentu hostium certiores sint facti, quàm armata acies in propinquo collem consisterent. Ea re cognita Palatinus qui ad Vicum Loffen in valle constiterat, equitatum repentè educit, ad explorandum leuis armatura præmittitur, Lantgrauiani signa promouent, tormẽta displodunt, prælium equestre committitur, admiscentur vtrinque expediti pedites. Quum diu esset dimicatum, & regij multitudine hostium premerentur, Palatini equus tormento ictus cadit, ipse vehementer in talo eadem pila vulneratur. Duce eo mobo pugna excedente, & vrgente hostium equitatu fit magna perturbatio regijs in castris. Non deest occasioni Lantgrauius, & productis legionibus incumbit. Quum verò ab equitibus quæreret, quonam in loco essent hostes, & eos in Loffen esse, qui exploratum excurrerant, responderent, Victoria, inquit, milites omen accipio, postquàm hostes in fuga esse nunciantur, id enim nomen Germanice fugam significat. Neq; inane eius nominis augurium fuit. Nam regia copia omnes nec tentato quidem certamine in longè turpissimam fugam conuersa terga

terga verterunt, graui admodum Maximiliani, Hessij q; periculo, qui retentare conglobare q; suorum aciem, & conuersa fronte se recipere conabantur. Ab ea Victoria Vldericus, & Stocardia, & omnibus ferè veteris imperij sui opidis incredibili populorum alacritate est receptus. Asperga, in quam Palatinus ex vulnere confugerat, biduo tormentis oppugnata deditionem fecit. Auracum postremò et ipsum altercatione militum, qui in præsidio erant, sine vulnere in potestatem concessit. Nec multò post quum Lantgrauius Austriana ditionis fines ingressurus, atque inde demum impellentibus Gallis in Italiã peruasurus esse diceretur, Ferdinando regi pax data, deprecantibus Germaniæ regulis, ea conditione, vt Vldericus beneficiario iure ab Austriana familia ducto, ditione sua potiretur. Inuidebant quidem Austriæ domus felicitati, sed eam exæquatis viribus incolumem volebant. Caterùm Lantgrauius apud Gallos occultè inuidia deflagrabat, quòd eorum auro instructus, secus quàm magnis pollicitationibus se facturum ostenderat, in tanta occasione gerendarum rerum, represso impetu, summæ spei victoriam omisisse videretur. sic vt præclarè constet Ferdinandum vna maximè pecuniæ inopia id vulnus accepisse, quum multis diebus ab Hispania nequicquam opẽ expectasset. Curarat enim Cæsar per mensarios

sarios certum auri pondus in stipendia militum, sed id aliquanto cunctantius quàm circumuento fratri, in ea celeritate hostium, expediret, adeò vt Vicilus exutus q3 prouincia, pacem petere cogeretur, hostes tamen vt aliquid specie honoris Cæsaris nomini tribuere viderentur, tormenta bello capta remiserunt. & Virtembergensis iunior prouincialium studio insignis ad declarandum studium suum in reliquum tempus, tributo tenui sibi imposito, nunquam se illaturum arma Austriacis principibus repromisit. Interea Clemens diuturno stomachi vitio tubefactus, sexto Calendas Octobres moritur, anno Pontificatus vndecimo, ætatis verò quinquagesimo septimo. Inerat ei ab seuero ore gestuq3, et sermone ipso grauitas naturalis, exculta, vti vidimus, per omnem ætatem, ciuili æquitate, moderatione, et patientiæ insigni. Sed deerat in eo, qui fortasse in Leone fratre superfuit, generosi, et liberalis animi vigor, dignus principe, et vti volebat existimari, Medicea stirpe progenito. Ea siquidem erat natura eius ingenij parsimonia & dissimulatione gaudentis, vt illiberalis, & durus potius quam sæuus atque maleficus esse censeretur. Neminem enim planè oderat, quum neminem adamaret, præterquàm ab occultiore causa ciliatos, his certè vnis adeò intemperanter fauit, vt ad summos honores, aut ad summũ au-

thoritatis locum, stabilesq3 diuitias nullo pudore proueheret: multorum verò constanter obliuisceretur, qui ab optimis literarum studijs, vetereq3 obsequio commendationem, & præmia meruissent. Hos quidem perblandè appellabat, vt imagine gratiæ detineret, sed occultè oderat tanquam creditores. Et hercle nisi Gibertus literarum, & virtutis amore incensus, vti erat in administratione Reipublicæ, optima eius seculi sorte, Clementi intimus, negantem cuncta, prædurumq3 principem molliendo fallendoq3 ad beneficentiæ decus reuocasset, præclara profecto aliquot, fœcundaq3 ingenia dolore simul, & pertinaci sterilitate periissent. Dedit tamen omnia vel semper nolens, quæ suis parum benigna facie denegarat, & inimicis quidem sapius & indignis, qua in re aliquando suspirans se miserum esse confessus est, quum animus aut præsenti vtilitate inductus, aut ignobili compulsus metu, ad id inexplicabili necessitate, vel reluctante iudicio raperetur. Ex vno enim et triginta Cardinalibus, quos legerat in senatum, vix vnum atq; alterum probabat, quòd eos præteritis honestioribus, nequa quam exquisito decoroq3 delectu, vti desideras se videri cupiebat, sed vi subita inter impotentes regum preces, armorumq3 strepitũ circumuentus & coactus edidisset. Cæterùm qui occultare naturæ vitia, & studia hominum pro-

mereri expedita liberalitate nesciebat, eximiâ certè laudem adsequebatur, facilitate aditus, perurbana comitate, et populari quadam molestissimarum rerũ tolerantia: nũquam enim infimorum etiam hominum vel preces, vel spes ipsas, iratus aut fastiditus abrupit. In eo quoque enitebat quod certè familiæ proprium fuit rerum propè omnium præcellentium q; artium notitia atq; censura singularis, eo admirabilior quòd nullis propè literis inniteretur, verùm ingenio ad infimas artes sumptuarias q; rationes adeò demisso hærentiq; vt opificũ arcana subtilitates q; operũ nimia, & propè turpi solertia scrutaretur. Et certè is fuit, quem nemo vnquam in paruis rebus fefellerit, vt obiter nõ sit mirum, si in magnis demum, qua publicam salutem respicerent, sæpissime fuerit deceptus. In grauiore etenim consilio omnem vim summæ eius prudentiæ fatalis auaritia penitus elidebat, vtpote qui in proferẽda pecunia, quum opus foret, adeò suspensus, & anceps tristi cunctatione torqueretur, vt in perleui momento gerendarum rerum occasio facilè deperiret. Hic vir profectò alioqui peregregiè cautus, & maximarum rerum experiens, nequaquam vllo planè illustri vel expedito spiritu, vltima animi decreta promere, & consilia terminare didicerat, vti tum maximè publicæ salutis interfuit, quũ ipso consultante non omnino im-

no improuisa clade obruti fœdè perijmus. Sed excusare cum hoc loco lubet, & profectò iuuat, tanquam non minori ignauia suorum ducum, quàm hostium perfidia in eas miserias præcipitatum, postquàm excellenti demum consilio, ab insigni Cæsaris æquitate feliciter ducto pacem peperit, magnámque Italiæ partem luctuosa Hispanorum militum acerbitate liberarit, hoc certè honestissimo facto, in ipsa saltem morte, qua omnis inuidia facilè extingui tur, præclarâ virtutis laudem meritus, nisi vti posthumus, patre crudeliter interfecto priusquam ab vtero matris in hanc lucem ederetur, plane infelix malè auspicatam, & verè lugubrem Pontificatus sui memoriam reliquisset. Sæuum enim id bellum, & quo Roma funestius à multis seculis non sensit, pestilentiæ propè ineuitabilis, dira fames, & prodigiosus Tyberis auctus, accumulatis cladibus excepere, adeò vt omnis ordo, & deniq; populus vniuersus, diu expectata, & demum audita eius morte, magnopere lætaretur, iocatiq; summa libertate nonnulli gratias agerent Curtio medico, qui firma vtentem valetudine, innatoq; membrorum robore præualidum, in multa spe longioris vitæ, nouis præceptis, & commutata vitæ ratione, dubio procul occidisse credebatur. Laudauit eum in funere Laurentius Granius Signinus antistes Romana facundia, ita relatis in

tis in fatalem iniuriam cladium acceptarum causis, enumeratisq; virtutibus, vt Cardinales Reip. probè at q; opportunè consulturos diceret si proximis comitijs Pontificem pari animi virtute, sed ea aliquanto feliciore creauissent. Peractis in funere nouendialibus sacris, Cardinales triginta quinq; conclaue sunt ingressi, nam plerique è prouincijs in vrbem ad comitia conuolarāt. Eminebat inter omnes in toga candida Alexander Farnesius senatus princeps, quem per quadraginta annos senatorem atq; omnes ætatis honore superātem Roma patria, præclara maiorum imagines, eximia atq; inueterata virtus, et præcellentes litera magnopere commendabant, adeò vt Clemens, quum toties represso, & rursus erumpente morbo, omnem vitæ spem constanter abiecisset, eum sui successorem testamēto scripturum affirmaret, si Pontificatus hæreditate pararetur. Propterea Hippolytum Medicem etiā atq; etiam fuerat adhortatus, vt vnum omnino Farnesium collatis amicorū studijs, attollēdum ornādumque susciperet, quādo nemo in administranda Rep. et tuenda dignitate sacrosancta maiestatis eo potior esse videretur. Subinde asseuerans eius summi beneficij memoriā, vti in homine pernobili sanguine progenito, nequaquam esse perituram. Itaque Medices, & sua sponte, & suorum omnium hortatu, & amicorum Cardinalium

nalium propensione adductus, cum Ioanne Lotharingo, quem propter morum similitudinem vehementer adamabat, adpertis sensibus arcte coniungitur. Hi duo longe nobilissimi totius ordinis, quum supra viginti senatores in suffragium adducerēt, Pontificatum vti vellent, & dare et eripere poterant. Igitur vix paucis communicato consilio ad Farnesium pergunt, eumq; primos comitiorum æstus placato animo in cella expectantem aduoluti pedibus Pontificem salutant. Consequuntur statim amici Cardinales, idem faciūt dubij, nec ipsi demum competitores, & aduersarij diu cunctantur quin accedant, atq; eum veluti subita tacti religione protinus adorent. Nulla vnquam comitia à multis seculis maiore simplicitate, concordia, religione, inita peractaq; sunt, vtpotè qua ipsi Christiani nominis diui tutelares, & principes, nullo liuore extracta fœderatáve, nullo corruptæ ambitu, nullo q; metu præcipitata, haud dubiè rexerint atq; finierint. Paucis enim horis et ciuem optimū et virtutis opinione lectissimum, vti optarat potius quàm sperarat, pop. Ro. Pontificem accepit, & eo quidem vberiore lætitia & gratulatione, quòd ipsum cæleste munus Dij immortales ad compescendam latronum, & sicariorum audaciam, qua in prouincijs & in Vrbe per interegnum eruperat, mira prorsus ac inusitata celeritate cumulassent. Nō enim

enim syngraphis suffragiorũ obsignatis, & de more in sacratam vrnam coniectis sed publico cõsensu, & præclara voce totius senatus, Pontifex est renũciatus, coronatusq; demũ triplici tiara, desumpto Pauli tertij nomine, secundo Nonas Nouembres, qua die ab eo felici auspicio publica hilaritate percelebri in eius honorem nobilissimi Romanæ iuuentutis per Vaticanam aream, simulachro equestris pugnæ edito, iucundissimè decurrerunt. Hisdem fermè diebus, quibus defuncto Pontifici nouendialibus sacris de more parentabatur, Aloysius Grittus Andreæ clarissimi Venetorum principis filius, in Transyluania, vehementi multarum gentium coniuratione obsessus, interfectusq; est. Venerat is è Byzantio missus à Solymano cum amplissimis mandatis ad Ioannem Pannoniæ regem, vt Budæ consideret, tueretur in his regionibus Ottomanicum nomen, consiliisq; omnibus belli & pacis interesset. Nolebat enim Solymanus contra Persas ad longinquum bellum profecturus, quicquam in ea prouincia commoueri. Nam fama erat, Ioannem prouincialium cohortationibus inductum pacem appetere, & id demum agitare vt quietem atque otium à Germanis atque Bohemis impetraret, ea conditione vt dũ vita superesset tranquillè regno potiretur, ab excessu vita autem iura omnia Pannonici regni

ci regni ad Ferdinãdi liberos transirent. Itaq; his fermè diebus quibus Solymanus in Armeniam contendit, & Hariadenus cum valida classe in Italiã atq; inde in Africam adnauigabat, Grittus Byzantio profectus in Valachiam superato Histro peruenit. Ducebat secum præsidij causa, aliquot Turcarum equitum alas, atque item eximiam peditum manum, in qua erant plerique Ianizeri ex numero prætorianorum præterea multi serui liberaliter instructi, amiciq; & familiares Italici generis, & ante alios Hũgari duo duces cum singulis turmis, Vrbanus Batianus, & Ianus Docia, quorum numerus septem millium summam facilè implebat: nam & ingẽs lixarum turba cum insigni apparatu castrẽsi, multisq; camelis & impedimentis sequebatur. Valachia olim Mysia superior fuit finitima Bastarnis & Getis, nũc ea in duas partes diuisa est, altera propinquior Histro Moldauia, altera verò quæ ad Pontum atq; Boristhenem vergit, Transalpina vocatur. In Moldauia imperabat Petrus, iampridem certo fœdere ab Ottomannis in amicitiam receptus. Ab hoc Moldauo, Grittus explicato Solymani diplomate, prolatisq; eximijs muneribus postulabat, vt sibi in Pannoniam contẽdenti, consilio opibusq; adesse vellet: habere enim se mandata à Solymano ad Ioannem regẽ, vt de pace cũ Germanis age

nis ageret, statumq; eius regni maximè perturbatum cõponeret. Accepit dona barbarus, amicitiæ dextrã iunxit, deditq; fidem, se vbi opus foret, neq; Solymani causã, neq; iure hospitij initæ amicitiæ defuturũ. Nec multò post Grittus hac noua Moldaui societate auctior & elatior factus in Transyluaniam deflexit, edictaq; passim proponens, vt ad se proceres, ciuitatumq; legati conuenirent, tanquam ad rerum omniũ disceptatorem & arbitrum, legatumq; Solymani, qui cum amplissimo munere regiæ potestatis singulas Hungarici regni controuersias esset cogniturus. Tantum enim sibi gratia apud Habraymum, Solymanumq; parauerat, vt inusitata liberalitate fiduciaque, cuncta magna atq; ardua eius industriæ & virtuti cõmittere minimè dubitarent. Erant in Gritto Byzantij nato, educatoq; inter Turcas, exquisitæ artes, conciliandis barbarorum animis: nam eximio splendore vitæ, multa largitione, frequentibus epulis, cultu demum incessuq;, & illustri præsertim eloquentia, aulæ proceres ceperat, ipsumq; præcipuè Habraymum, summa Solymani gratia conspicuũ, nec obscurè Christiano nomini fauentem, adeò felici familiaritate sibi adiũxerat, vt ex multis mercaturæ monopolijs publicanus effectus, se ingentiũ vectigaliũ redemptorem profiteretur. Sed Andreæ patre Venetijs ad principatũ euecto,

uecto, mirum in modũ authoritate atq; opibus creuerat, vnde profusiore indies sumptu, sese vti ampliori Fortuna dignum ostẽtabat. Vsq; eò largitione progressus, vt suburbanam villã in morẽ nostrũ luculenter ædificatã, cum multa hortorũ amœnitate, Habraymo ad voluptarios secessus dono daret, in quã & ipse Solymanus, cũ Habraymo oblectationis causa priuato desumpto hãbitu transibat: hinc ei à Turcis Beogli pernobile cognomẽ inditũ, quod principis filiũ sonat. Nã domus eius adaperta omnibus, à legatis multarũ gentiũ, maximorumq; regum speculatoribus frequentabatur. Erãt ij specie, aut quæstu mercatores, qui venales gemmas, resq; ingẽtis pretij Solymano dignas afferebãt, eoq; vno interprete & arbitro vtebantur, quontã in indicatura cognitioneq; gemmarũ, quarũ studiosissimus erat Solymanus, acre iudicium adferebat. Secutus demũ Habraymi castra, et ab eo in Pannonia relictus, nõ modò procuratoris diligentissimi, sed & optimi ducis decus promeruit quũ Ferdinãdi regis exercitu fortiter repulso, Budam cum magna gloria defendisset. Hinc cũ Ioannes rex quæstorẽ regni fecit, ornauitq; Antonium eius filiũ sacerdotio Agriensi maximè opulento. Quo rerum prouentu elatior factus, spes suas ad immoderata atq; ardua exitiabili ambitione prouehere cœpit. Nam Byzantiũ

reuer

reuersus, producente laudante q3 Habraymo, in colloquiū de grauissimis rebus, quod nemini nostrorum hominum ante licuit, cum Solymano deuenerat. Nec deerant qui eum crederent magnis pollicitationibus inductū, aliquando abiurata religione Christiana, ad Mahometis sacra defecturū, & inter purpuratos, qui Vesirÿ Bassæ dicūtur, adscriberetur, quod nequaquā verisimile nobis videtur. Quis enim arbitrabitur eū virū, qui in omni vitæ decreto pius & generosus extiterit, immani flagitio nomen suū fædare & patrem grādæuum senē, sua gloria & merita felicitate perfruentem, inflicto tanto vulnere ad mortem adigere voluisse? Quando etiā præclarè constet, asportatis thesauris, & à periculosa barbarorū tyrannide sese incolumi existimatione subducere, fortunas suas in Pannonia collocare cupiuisse, vbi inter Christianos singulari cū dignitate summaq3 securitate degeret, subindeq3 se totius Pannoniæ præfectura potiri posse speraret, si rex aliquo fatali casu esset interceptus cùm haud dubiè beneficiario rege extincto, Solymanus maiorum exēplo, regnum in prouinciam esset redacturus. Hac inusitata cupiditate imperiū militare et magnas opes affectā tem Hungari, in primis quos diximus Batianus et Docia, adulādo cohortandoq3 magis et magis incitabāt. Hi iampridem malignitate eorum

eorum ingeniÿ à regis amicitia discesserāt, sequebanturq3 Grittū Solymani fauore subnixū, & eo authore et regis æmulo, nouam sibi apud suos dignitatē parārēt. Regiæ siquidem maiestatis nomē, veluti collega impositō, vehementer imminui, cōuelliq3 maximè cupiebāt. Erat Docia præfecto Trāsyluaniæ admodum infensus, quod sibi in quadā altercatione vociferanti genā pugno contudisset. Is erat Americus Cibachus episcopus Varadinensis, vir singulari nobilitate, summa potētia, præcellētiq3 virtute, cui Ioannes secundū regiam dignitatem primū honorē detulerat. Nam & rex ipse sub Ludouico Trāsyluaniæ præfectus, quē Vaiuodam vocant, multis annis extiterat, ita vt in vnius Americi fide, virtuteq3, opes suas collocasse videretur. Igitur Americus Gritto prouinciam intrante cū tardius & cunctantius iter facere, & parum eius aduētu commoueri, veluti despecto Solymani imperio diceretur Gritti animū vehemēter offendit, qui præclaro initio existimationē suam egregia prouincialiū voluntate, præfectiq3 obsequio excitari, confirmariq3 volebat. Etiā fama erat Americum Christiano animo, ab amicitia Turcarū plurimum abhorrere, neq3 pati, vt Turcæ prouinciæ finibus insuescerent, vtpote qui vigilāter & strenuè cauendū arbitraretur, ne prouincia viris & equis abundans, rerúmque

omniũ & auri præsertim, fruticis modo passim nascentis, maximè opulẽta in potestatem Mahometanorum hominũ deueniret. Consederat ad oppidũ Braxouium Grittus, quũ pluribus nuncijs affertur Americũ aduentare, eaq; re metatumq; inde decem millibus passuum apparare sese, vt cũ ornatissimo comitatu in colloquium deueniret, habebat enim secũ multas equitũ turmas militariter instructas. Nã Hungari ciuitatum antistites, ex sacris redditibus valde opulenti, vetere instituto alere equites ductareq; eos in aciem aduersus Turcas solebant, quum valde decorũ putarent religionis causam à sacratis maximè ducibus defendi. Sed tũ præcipuè finitimi quiq; proceres liberaliter adornati ad Americũ concurrerãt, vt antistiti summæ dignitatis, & præfecto, cuius imperio parerent, efficij causa frequẽtes adessent, adeò vt is comitatus iusti prope exercitus speciẽ præberet. Ea res Gritto ingenium vehementer commouit, quasi apertis in campis velut cũ hoste spectantibus copijs esset colloquendũ. Enata enim erat inuidia lethale malũ, dira alieni honoris obtrectatione, quum hic singulari & planè Turcico fastu, parẽ pati nollet, & ille cõtumaci libertate nobiliq; proposito superiorem in prouincia sua minimè passurus esse videretur. Quum è conuiuio discedens Grittus concepta ira fremeret, & his nõ obscurè minaretur, qui imperijs suis minimè paruissent, tegumentum capiti detraxit, quod erat Turcarũ more oblongum, ex pretiosis Scythicarum Sibellinarum pellibus, manibusq; dilatans, hoc, inquit, duo capita non capit, necesse ergo est, vt vni tantùm coaptetur, idq; rursus capiti imposuit. Eum sermonẽ Ianus Docia ad vindictæ suæ occasionem excipiens, rectè, inquit, assimilas Gritte, nã et hæc quoque prouincia duos ex æquo præfectos et dominos capere non potest, nec tu hercle iure tuo potestatis ac imperij vnquam potiere, nisi hodie expedito, viriliq; decreto, & tuam & Solymani causam defendis. Americũ prefectò, illam, inquam, immani superbia bellum non nosti, cuius ego feritatem ac insolentiam si tusseris celerrimè fragam. Solymanum enim odit, nec regi paret, & nomen tuum contemnit, vtpote qui non obscurè ad regnum aspiret, & decere ait, vt Trãsyluaniæ præfectus in regium nomen adoptetur. Quoniam in his terris Decebalus Dacus aliquando regnauerit, quem Romanæ vires, & Traiani virtus ægrè subegerint: puta hoc homine neminem inflatius & arrogantius de se prædicare, neminẽ astutius & simulantius amicitias colere. Dona quidem afferet ad benevolentiæ speciem, at quæ etiam dextram perfidia potius quàm fide præstantem iunget, vt quum prætergressus

T 2 fuerit

fueris, edictis ac imperijs tuis illudat, dignitati profectò, felicitatique tuæ hostiliter inuidet, quòd in Pannonia belli & pacis leges sis daturus, & quum regnum præclarè affectet, te vnū maximè timēdum arbitratur, ne eius consilia perturbes, authoritatem frangas, & deniq; temeritatem atq; audaciam castiges. Non ferendus hercle tibi est hic æmulus & cōtemptor atq; etiā iure optimo tollendus. Vt nominis tui dignitatem in limine operū tuorū, petendæq; gloriæ aditu tueare. Nihil enim obtrectatore socio, & occulto hoste periculosius, quē præsertim in tergo sis habiturus. Nā quū ex occasione animi libidinem nudauerit, insidiosius demū atq; lethalius nocebit. At Grittus, vbi hæc ad animū admisit, iam planè turbidior factus, maturandū vtendumq; imperij viribus censet. Doctā collaudat gratiamq; egregij studij ergo se breui relaturum pollicetur, si aliquo insigni facinore edito Americi superbia contundatur. Ferunt Grittum nihil omnino durius statuisse, quàm vt Americū quoquomodo comprehenderet, vt demum Turcico more catenis vinctus, sub custodia Byzātium mitteretur: prouinciam autem regendā traderet Hieronymo Lascho Polono, qui maximarum legationum honoribus functus, Byzantij, & in Gallia egregiam fidelemque operam Ioanni regi præstiterat, in eam sem tot

tot aditis asperrimorum itinerum periculis vt sicuti sibi promissum ferebat, Transyluaniæ præficeretur. Sed Ioannes quum se pro Hungaro Polonum hominem peregrinum, nec Hungaricè satis loquentem, nisi periculosè vel incommodè ferocissimis gentibus præficere posse iudicaret, necessitate quadam Americum prætulit, adeò vt Laschus qui ingenio multarum rerū vsu, & exquisitis literis instructo, præaltos spiritus gerebat in ea repulsa nullam vel honestorū verborum excusationem reciperet, & se deceptum & elusum ab rege grauissimè quereretur. Manebat tamē in officio, & quorundam oppidorū, quæ rex dono dederat, in Sarmatiæ finibus possessione potiebatur, sed nō obscurè alienatus interea sese Grito in familiaritatē clientelámque dederat, vt Solymani auspicijs alteram fortunam experiretur, & regi iterum minus familiariter industriam suam, & virtutis dignitatem ostentaret. Caterùm Dociæ separatim ab Vrbano Batiano, iussu Gritti validissima Turcarum ala, & in primis Hungarorum turmæ traduntur. Is noctu à Braxouio maximè occultus discedit, & ad castra Americi repentinus aduolat. Quum paulo ante per Hungaros speculatores didicisset, eum patentibus in campis vitandi æstus causa, iuxta pagum tentoria collocasse, & vt in nullo me-

tu, sine vigile, & sine custodia militari, cum pueris & familiaribus in tabernaculo pernoctare, comitatum verò eius vndique diuersos in pagos esse dispartitum, ita vt tot equites nō facile coire possent, quum etiam edicto in crastinum diem profectionis sese compararent. Ita Americus ignarus suæ sortis, quum inimicos contemneret potius quàm timeret, à Docianis satellitibus opprimitur. Lacenti & vixdum à cubicularijs experrecto, quum latè inuadentium equitum fremitus, & clamor audiretur, ipse Docia caput detruncat, castra omnibus in locis trepidatione, luctu & fuga complentur, Turcæ equos ornamentaque diripiunt, excitantur proximiores, cunctique demum Turcis agnitis, inermes, discinctique in multa rerū omnium conturbatione profugiunt. At Docia tanto patrato facinore Braxouium reuersus, Americi caput ab auricula manu suspensum Grittonis spectandū defert. Aderat Laschus eius cōsilij & cædis prorsus ignarus, qui quū in re atroci & subita, vt sæpe fit, omnem simultatis memoriā naturalis misericordia superaret, et ob id indigna inimici morte minimè lætaretur, cōuersus ad eū Grittus, An tu, inquit, Lasche nō agnoscis hoc derasum caput? magni quidē vir est, sed ambitiosi, contumacis & maximè superbi. Ad id Laschus, qui cōtracto & tristi

tristi vultu inhorruerat, tale mihi, respondit, non est visum, quum suis in humeris conspiceretur, veluti qui planè id crudele factum non probaret. Tum verò omnis in Gritto verborum ac animi sauitia refrixit, adeò vt nō sine quodam pudore iam pœnitere videretur, statimq; subiungeret, Americum quidem iure casum esse, sed eum capi potius quàm interfici cupiuisse. Nec mora plerique Hungari Turcæq; discedunt ad occupandos Americi thesauros, qui in remoto inde oppido seruabantur. Cæterum vbi de eius cæde fama percrebuit propinqui, prouinciales q; ferme omnes incredibili dolore concepto, aduersus Grittum coniurant, vindicandam armis sacrosancti atque optimi antistitis mortem decernunt, ipsiq; publico decreto Siculi, & Saxones per colonias Transyluaniæ antiquitus inserti, & Podolij Semisarmata ad ferendam opem euocantur. Nunquam vllæ gentes pro salute sua & pro publica dignitate ad propulsandam iniuriam, vel intētiore studio, vel grauiore impetu, vel maiore celeritate ad arma concurrerunt. Paucis enim diebus supra quadraginta millia peditum & equitum coiuere, adducente Gothardo Saxonicæ stirpis, in ea prouincia claro, Stephanóque præcipuè Mailato duce electo, qui vnus maximè Americum percolebat, & in luctu publico princeps, nefariæ crudelitatis authores, latro-

num more persequendos puniendosq; censuerat. Porrò Grittus quum tantus irata multitudinis tumultus cum ingenti armorum strepitu, vel ex remotis regionibus fama atque auribus sentiretur, incertus quid faceret, ad oppidum Meges expeditis itineribus se recepit. Oppidani quū Turcas ab edito conspexissent, nullo modo adduci poterant, vt portas aperirent, tamen Docia & Batiani cohortationibus id impetratum est, vt in inferiorem oppidi partem copiæ omnes reciperentur, ipsi verò in editiora sese resq; suas subducerent. In colle enim erat templum cum sacratis ædificijs peramplum, & excelsum, quod arcis speciem spectantibus præbebat. Gritto id erat consilium, vt refecto muro, adiectisq; nouis munitionibus, & comparato commeatu tantisper se tenerent, donec auxilia conuenirent, quibus inconditæ hostium multitudo, acri & repetita eruptione pelleretur, atque inde ipse, vel amissis impedimentis, superato Tissa amne, qui olim Tybiscus fuit, in Pannoniam euaderet. Erat ferè vndique cinctus hinc Danubio, & Tybisco magnis fluminibus, inde Hercynia sylua, quæ nō facilè penetrari poterat, ita vt nullum nisi redeundo ad Moldauiam effugium pateret videretur, sed eum receptum vti fugæ persimilem, nequaquam pro dignitate sui nominis esse statuebat, quando mori præstaret, quàm indecoro

coro deformiq; reditu demandatum legationis munus deserere, conuertereq; id iter ignobili metu, quod tanta hominum opinione suscepisset. Itaque dum impigrè ad munitiones materiam comportari iubet, aggerem extruit, ad laborem suos adhortatur, nunciosq; simul plures, & tabellarios ad impetrandam opem, in amicas regiones dimittit. Superueniunt hostes terribili clamore edito, munitiones adoriuntur, temeritate tamen ac audacia potius quàm ordine, & bellica ratione. Propterea non terretur Grittus, per sagittarios Turcas sclopetturiosque maximè Ianizeros rem gerit, multos vulnerat & interficit, ita hostes qui sine apparatu tormentorum accesserant ad murum sagittis confixi & glandibus traiecti repelluntur. Eo accepto detrimento Mailatus belli rationem commuttat, obsidionem instituit. Docet si leuiter tātum lacessant, breui hostes sine vllo ipsorum vulnere in potestatem cogente fame deuenturos. Ita distributis per interualla copijs, latè oppidum corona præcingitur. Interim in tanta auxiliorum expectatione versantem Grittum, ac omnia obsidionis incommoda forti animo sustinentem, inuasit morbus, eò grauior quoniam nihil omnino de auxilijs asserebatur. Nam Ioannes qui amuli incommodo atque periculo non obscurè lætabatur, quū tot gentibus æquissimo iure ad arma consternatis

nisi summa cum inuidia & periculo obsistere posse iudicaret, alam tantùm equitum ab æstiuis cuocarat, quæ lentis itineribus in Transyluaniam mitteretur. Balbeius etiam & Hadis, Belgradi Samandriæq; præfecti, malignitate simul & ignauia, neque prouincia excedere, neque Danubium transire iussu Bellebei magistri equitum sibi licere perscribebant. Ipse quoq; Laschus, ex socio alieni periculi spectator factus, quum paulò ante discessisset, & equites cogere adduceréque maturaret, studiis suum extenuata fide remiserat, & Megasami qui aliquandiu pacati constiterant, & perseuerantia suorum obsidentium, & Turcarum incommodis inuitati ex superiore loco praliabantur, & iam alimenta defecerant. His tantis circumuentus malis Grittus per Hungaros dabat operam profusè largiendo, & Transyluanis magno auri pondere distributo, in Pannoniam abire permitteretur, sed omnem auaritiam in efferatis dolore animis cupidita libido superabat. Egit demum separatim cum Moldauo, ad quem hospitalis amicitiæ iure suppliciter opem implorans gemmas, & vniones dono misérat, & loci custodiam à suis laxari iuberet: & se cum liberis ex composito irrumpentem, in pacatum adduceret. Paulò ante etiam à Batiano erat desertus, qui in eo metu è castris hostium significantibus, & eripientibus

pientibus quibusdam veteribus amicis, fuga sibi consuluerat. Itaque dubia spe, & vrgente fatali necessitate ad conditam horam ab ea porta, quæ ad Moldauos ducebat, erupit, dextra Solymani diplomata prætendens, sed Barbarorum fraude nequaquam inuentis Moldauis, in Franciscum Scendenum incidit Americi propinquum, & Mailati maximè familiarem. Hic primus omnium cõtumelioso vlulatu tegumẽtum illud capitis è Sibellina pelle pretiosum rapaci manu insolenter inuasit, eumque morbo inualidum & nihil resistentem immissis equitibus comprehendit. Tum verò à Transyluanis horribili clamore sublato, eius comites copiæq; & Turcæ præsertim ea duntur, atque ita vndique vertuntur in fugã, vt cuncti ferè in eo tumultu admodum cruento quum indagine ingentium copiarum clauderentur, interfecti captiq; sint. Seruauère tamen Turcas quantum licuit Moldaui, sed eos demum infesta latrombus itinera equis & armis exutos exceperunt. At Grittus quum ante prætorium armatorum corona circumseptus interrogaretur cur Americum iussisset interfici, nihil se tale vnquam imperasse constanti animo, & graui fronte testatus est. Conclamantibus verò cunctis vt ea hostia Americi manibus mactaretur, Mailatus eũ Francisco ad supplicium tradidit, atque ita caput et

ingens

ingenti machara detruncatũ est, in eius cruore proceres & propinqui penulas militares. solenni cerimonia more gentis intinxerunt, vt diu secum exacta vindicta memoriam deferrent. Sed Ianus Docia maiore ira, & grauiori supplicio affectus discerptusq; est. Gritti liberos nemo nostrorum hominum amplius vidit, sed non desunt qui eos adhuc viuere apud Moldauum dicant, veluti grandi pecunia ab auo principe redimendos. Quum Gritti truncus à carnifice nudaretur, loculus in femoralib cum gemmis immensi pratij repertus est, adeò vt ea omnis præda aureorum nummũm quadraginta myriadas superasse dicatur ab his, qui domesticum Gritti apparatum in rationes vera æstimatione contulerunt. Nec multò post & ipse Laschus à rege Budam euocatus, non mediocre vitæ periculum adijt, quum in quæstione sub tormentis Gritti consilia explicare cogeretur. Sed is demum deprecante pro eius salute Sigismundo Sarmatiæ rege, custodia eductus, è regia aula in Poloniam profugit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXXIII.

EADEM æstate Solymanus Turcarũ imperator, effusis vltra Euphratem ingentibus copijs aduersus Tammasum magni Hismaelis filium, bellum suscepit, validáque simul instructa classe inuasit Africam, occupandæ Siciliæ atque Italiæ maximè opportunam. Conceperat enim ingenti spiritu totius orbis imperium, facilè Alexandri Magni potentiã æquaturus, vt ab Europa metu liber, atque omni solutus cura, postquàm in eo diro insanóque Christianorum regum dissidio, consilia nostra nequaquam recta & illustri ratione ad pietatis gloriam, & publicæ salutis nomen, sed impio quodam liuore ad intestinam perniciem vertebantur. Franciscus enim eo animo pacem ferebat, quo bellum gesserat, indomito, contu

contumaci, & planè inuicto haud dubiè ad repetendam Italiam iterum viuidæ virtutis, & totius Galliæ virium periculum facturus, si Carolo Cæsari distrahendis eius opibus, alicunde grauis hostis incumberet. Idem quoque Britannus spectabat, quum iam pridem Cæsaris cognatione atque amicitia, uxoris repudio fœdissimè violata, à Romani Pontificis authoritate discessisset. Ioannes item in Pannonia Turcarum præsidio tutus erat aduersus Ferdinandum, in eo Germaniæ motu ægrè Lantgrauiana arma sustinentem, & rex Polonus cum Moscouitis & Tartaris bello continenter occupatus, his quæ sibi cum Solymano manebant, inducijs fruebatur. Tuebantur & Veneti veterem pacem, adeò vt Solymani amicitiam religiosè admodum colere viderentur. Neque in ipso Clemente Pontifice tantum inerat præclaræ authoritatis, vt eum restinguere odia, & dissidentes componere facilè posse sperandum foret, nam Massiliæ apud Franciscum nudatis ægri animi sensibus, commemorando & deflendo communes miserias, ita cogitationes suas protulerat, vt vindicandis iniurijs occultè consilia à quiete penitus aliena cum Rege miscuisse crederetur. Cæterum Persici belli causas ab ipsis vsq; auorum odijs repetitas, & euentus mutuis cladibus memorabiles, suo loco narrabimus.

Inua

Inuadendæ verò Africæ author & concitator extitit Hariadenus Mityleneus, vetere Horucij fratris cognomento Barbarussa à nostris appellatus. Is in Numidia proxima Mauritaniæ Algerij regnum à fratre antea partum, adeo frequentibus victorijs amplum clarumq; reddiderat, vt nostri æque ac finitimi Pœnorij reguli, & vagi Numidæ, eius opes atque audaciam magnopere timerent, & Solymanus ad fortissimi viri famam iam publica virtutis commendatione illustrem, frequenter excitaretur. Non alienum erit ab instituto opere breuiter recensere, quibus artibus Mitylenei fratres ab vna tantùm prædatoria bireme ad regium fastigium irrepserint, vt hinc quoque in hac rerum humanarum varitate colludentis Fortunæ ostenta posteri mirarentur. Igitur patre Græco, atque eo Mahometis sacra secuto, in insula Lesbo geniti, quũ inopiam domi ferre non possent, arrepta bireme spes suas omnes mari commiserunt, seseq; Camali archipiratæ in disciplinam tradentes. Sub hoc Camale Horucius, qui vti natu maior ad se ducis nomen trahebat, cum Hariadeno, multa præda, multisq; seruis atque nauigijs aduectus, ac demum ascitus in societatem minoribus piratis prædabundus, in Mauritaniam peruenit. Eo tempore Algerij reguli cum fratre armis de imperio contendebat, hic

quum

quũ Numidas equites, qui hodie Arabes appellantur, pretio sibi in auxilium asciuisset, alter opportuno nouæ gentis aduentu magnopere lætatus, pecunia cum Horucio transegit, Vt se defendendum susciperet, pauciq; diebus Horucius cum valida manu sclopettariorum, quibus præcipuè Numidæ terrentur, eo impetu gessit atque confecit bellum, Vt Turcarum nomen cùm Numidis, tum Mauris omnibus terribile esset. His rebus gestis, Vti erat ingenio validus, viribus pollens, & regni maximè cupidus, quum eo bello comperisset Maros per se inermes, ignaróque militiæ ac ingenio mobiles, nullaque inter se stabili concordia nixos, facilè per partes opprimi, & subigi posse: Numidas verò vagos, & inter se dissidentes, vel in amicitiam trahi, vel si abnuant, nullo prope negotio sustineri, improuisò fidem abrupit, repentéque hostis factus, quos cæptu suis aduersari posse putarat facilè sustulit, breuiq; post sæuitiam liberalitatem exercendo Algerij regno potitus est. Nec multò post finitimum quoque regulum Circello imperantem vi dolisq; aggressus expulit. Distat Circellum, antiquis Carcenna colonia vocatum, ab Algerio, quod Iulia Cæsarea fuisse dicitur, ad occasum sexaginta passuum millibus, antiqua ad portum mole, & operoso aqueductu, multisq; Romanæ magnificentiæ vestigijs adhuc

huc insignis. Inde & ab Algerio mare vndiq; infestius reddebat & in mediterraneis cum expeditis cohortibus euagabatur, ita militiæ munera cum fratre alterna sorte partitus, Vt nihil terra mariue pacatum relinqueretur. Ab eo rerum successu, Vt regni fines aliquanto latius proferrentur, Bugeam magno apparatu inuasit, Hispanis, qui in præsidio erat, ad summas rerum difficultates reductis, nec prius abstitit tam forti incepto, quam ei dextra manus tormenti ictu abrepta est, inde ferream sibi fecit, qua ad cubitum religata multis in prælijs postea feliciter est vsus. Nam Algerij non contemnendum Hispanorum exercitum Didaco Vera duce circumuentum fusumq; deleuit, & aliquanto post Hugonem Moncatam, qui veteranos Hispanos ab Italia transportarat, egressum in litus, iniquo nostris loco commissa pugna, compulit in naues subortaq; tempestate, copias ferè omnes luctuoso naufragio fluctibus eiectas crudelissimè trucidauit, aut ad rem trierarchis distribuit. Ad extremum immodicæ spei plenus, & rerum prouentu factus audacior, quum Tremissenij regem, amicum socium q; à Carolo appellatum, regno expulisset, immineret q; Orano, Portui q; magno, quæ Hispanorum præsidijs tenebantur, Punica simul & Christiana arma aduersum se concitauit, eo bello, Vti suo loco memorauimus, superatum

ratum & fuga in solitudines euadentem Hispani, Mauriq; equites consecuti, cum paucis ex familiaribus interfecerunt. Horucij caput in Hispaniam transmissum circumlatumq; in lanceæ, populis præsertimque maritimis insignem attulit lætitiam, quòd sublato prædonum rege, diu exoptata securitas litoribus reddita videretur. Sed Hariadenus neq; spiritu, neq; bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus imperium suscepit. Is nõ modò regni sed virtutis & denique artiũ cogitationumq; omnium, quæ in fratre eximiæ fuerant, hæres factus, adoptatúsque etiam in fratris cognomen, ad imperium totius Africæ aspirare cæpit, ratus ea quæ parta essent animo suo minora angustioraq;. Itaque arma proferre, Mauris & Numidis terrori esse, modò cum his pace ac induciis vti, modò bellum gerere: portò auctæ classe Hispaniæ, Sardiniæ, ac Balearium oram prædari, ascisceresibi nouos piratas, clarius æquè ac formidolosius finitimis esse. Hæc audentem & molientem nusquam Fortuna destituit. Nam Hametem Numidam, magni agminis ducem, sibi infestum per insidias interfecerat, & ad Cocum oppidum Benchædes inter regulos Numidas longè clarissimus, multis prælijs superatus in solitudines abscesserat. Amidamq; in finibus Tremissij regni adeò frequentibus detrimentis attriuerat, vt sedes

mutare, ac in interiora profugere cogeretur. Mars quoque ea fortuna res gessit, vt Vgo Moncata supra Sardiniam nocturno prælio victus grauiterque vulneratus amissis aliquot triremibus, vix effugerit, & Portundus Hispanicæ classis præfectus, amissa fœdè classe, cũ filio impigro iuuene fuerit interfectus. His captis triremibus, quum aliquot etiam, cum Sicula Neapolitanaq; tum Venetæ rostratæ, variis interceptæ casibus accessissent, maximè vastidus atque terribilis esse cæpit auxitq; sibi virium atq; animi famam, ipso Andreæ Auriæ ad Circellum repulso, quum illo oppido tam fortiter expugnato, quàm fœdè amisso, ad quingentos milites disciplinæ oblitos, nec Turcarum eruptionem sustinentes amisisset duasq; tum onerarias Liguscas, dum ad Circellum cursum haberent, onustas armis, milite, commeatu supra Populoniam, quod ingentem Cenuæ luctum peperit, expugnatas atque demersas. Postremò arcem scopulo impositam, Algerio vrbi imminentem, defensamq; per aliquot annos ab Hispanis, summa vi adortus, cepit atq; deleuit, ruinis profundo mersis, & tacta mole vt per commodus regiæ vrbi portus adderetur. Cùm hac rerum gestarum fama floreret, Solymanes è Pannonia reuersus ad eum legatos misit, qui euocarent, summosq; honores, & maris præfecturam Byzantium venienti pollicerentur

tur: non sustinebat enim animo Solymanus ignominiam in Peloponneso acceptam, quum præfectus classis Himerales adeò fædè profugiens, Coronem, & Patras, castellaque item Naupactæi sinus Aurtanæ classi expugnanda reliquisset. Ipsi quoque purpurati Bassa, & eorum princeps Habraymus, in consilio & valida classe, & peritò strenuoq; duce opus esse disserebant, non modò ad recipiendam Coronem, quæ tum terra marique segniter obsidebatur, sed etiam ad tuendam veterem existimationem, quando Baiazetes ad Methonem victor, nauali apparatu Christianorum ferè omnium classes anteisset, & tum fama erat Auriam, qui obsessis opem ferret, cum amplissima classe in Graciam è Sicilia traiecturum. Et certè Vnus ipse Hariadenus inter omnes eminebat, quem ætate, & maritimarum rerum vsu, vigoreq; animi, & parti propagatiq; regni gloria, Auriæ parem dicerent, censerentq; vnum omnino eum Christianis classibus opponēdum. Itæ Sinas, vnus ex intimis ianitoribus ad eum legatus mittitur, aduehitq; eum celeri triremе Mangalis piratæ Rhodi præfectus. Is vbi in Mauritaniam peruenit, ab Hariadeno summo cum honore susceptus est: audita legatione Hariadenus incredibili lætitiæ afficitur, inde haud inani spe concepta potiundæ totius Africæ, si colloquendi cum Solymano potestas fieret,

vt quinam in Africa rerum status, & quantæ Christianorum classes, quiue animi & dissensiones eorum essent, apposite, atq; ordine doceretur. Itaque Agim virum fortem, & Ramadam Celebim patruelem suum Algerio præficit, his Asanem filium duodeuiginti annos natum commendat, classeq; circiter quadraginta triremium biremiumque instructa proficiscitur: circa verò Tyrrheni maris oram adeptus aliquot Ligusticas naues, quæ ad coemendum frumētum in Siciliam cursum habebant, difficili & maximè cruēto prælio eas expugnat et incendit, qua in pugna Delisufum piratam opulentum ipsius Hariadeni dolo interfectum ferunt, vt eius triremе de Venetis capta, quæ erat eximiæ celeritatis, itemq; seruis atq; pecunia potiretur. Inde conuersus ad Iluam insulam Rium in ea oppidum, nocturno prælio capit, atq; omnibus Rienſibus in seruitutem abductis, ingenti onustus præda Byzantium peruenit. Deductus est à principibus aulæ ad Solymanum, ab eoq; lætissimo vultu est susceptus, vel ob id, quod dono dabat, quos insigni cultu produxerat, aliquot puerorum decora facie, itemque lectissimas virgines, eunuchosq; & Libycas feras, leones & pardos. Porrò reliquis diebus quum de gerendo bello, & de tota ratione Punicarum Christianarumq; rerum differeret, aliquanto quàm solebat rarius, & difficilius

lius admittebatur. Suborta enim erat inuidia crescentis dignitatis semper comes, ita vt plerique dicerent non esse Ottomannici moris, homines è piratarũ ordine latrocinijs infames, regia classi præficere: non defuisse vnquam, nec defuturos ex principis aula, qui virtute magnitudineq; animi, & denique optimis artibus valerent, & ad proferendum Turcicum nomen terra marique fortiter atque feliciter operam præstarent: occupasse illum in Africa contra fas & æquum, hoc est dolis ac insidijs, aliena regna, impijsq; armis semper esse persecutum regulos, & gentes quæ Mahometem colerent, nullos profectò ei certos deos esse, nullam fidem, vt pote qui vanissimo, atque eo quidem paterna religionis desertore, patre Græco genitus, ab ineunte ætate prædo immanis, & publicus humani generis hostis extiterit. Quæ hæc efferrentur, Hariadenus facile intellexit quàm importunè abesset Habraymus, cuius amicitiam exquisitis officijs, annuisq; muneribus colere erat solitus. Is eo tempore ad Persicum bellum profectus, in Comagena ad Alepum hyemabat, Euphratem ad prima veris signa traiecturus. Solymanus tamen per Asdem, et Cassimum Bassas respondit, eius suscipiendi negotij summam ad Habraymi iudicium deferendam videri, quòd eius præcipue hortatu suasuq; è Mauritania esset euocatus.

Proinde

Proinde si quid impetratum vellet, ad eum in Syriam proficisceretur, & ex eius authoritate, atque sententia quæ in rem forent decerni, atque apparari possent. Eo modo in Syriam reiectus, quanquam non obscuro repulsæ nomine existimationis suæ iacturam facere videretur, ad tamen dissimulanter tulit, atque eò terrestri itinere omnino peruolandum esse iudicauit: Vir enim noui belli nouiq; imperij maximè auidus neque ætati neque labori parcendum putabat, quo minus Amani montis iuga, vel tum obsessa nimbis, trãsiret. Erat tum Alepi Habraymus, is singulari cum honore susceptum, & in colloquijs de genere atque ordine gerendi belli occupandaq; Africa disserentem, ita admiratus est, vt neminẽ, eo peritius atque felicius, mari gesturum bellum arbitraretur, Solymanoq; demum rescriberet, in Hariadeno ingenium vigere omni bellica virtutis laude cumulatum. Propterea ipsum rectè facturum, si in grauissimis consilijs ei viro fidem adhibeat, honoris causa inter Bassas annumeret, atque ei vniuersa classis imperium tradat. Eo modo Hariadenus Habraymi mirifica voluntate Solymano commendatus Byzantium redit, susciturq; propensissimis animis: nam tanta erat authoritas et gratia vel absentis Habraymi, vt omnium planè voluntates sermonesq; adulatione vel metu, ad nutus

tus eius tanquam ad summa imperia verterentur. Aduexerat secum Algerio Hariadenus Roscettem Pœnum, Muleassis qui Tuneti imperabat, regis fratrem, pulsum domo aliquot antè annis, & ex calamitate ad se profugum, vti mox dicemus, huic facilè persuaserat, vt vnà Byzantium veniret. fore enim, vt se authore duceq; a Solymano in paternum regnum reduceretur. Itaque hoc Roscette in occasionem Africani belli purpuratis ostentato, multis q; de suscipiendo bello disputationibus habitis, ad Solymanum introductus in hanc sententiam verba fecit. Quod Ottomannis Cæsaribus ad supplicandum ingredientibus templum præclara voce precari sacerdos solet, id vnum & ego tibi precor, Solymane, scilicet vt memineris progenitores tuos hoc tibi imperium, quo nemini maius atque opulentius dij dederunt, iustitia & pietate peperisse, hac enim via euntes nusquam fefellit Fortuna, & tu hactenus ita insististi vestigijs, vt facilè supra eorum nomen & gloriam sis proiectus, quum inter tuos iustitium coleres, & quod veræ pietatis est munus, aduersus religionis nostræ hostes bella continenter gerenda, æternæ spe laudis incensus arbitrareris. Itaque captum est Taurunum expugnata Rhodos trucidatus in acie rex Hungarus, bis euastata incensaq; Germania, adeò vt Carolus, quem tibi Christiani imperio & virtute

virtute parem volunt, quum ingentibus nationum ferè omnium auxilijs, niteretur, armorum tuorum strepitu terrefactus pugnam detrectarit. Sed quoniam illa imperia quantumuis ampla, aut illæ vel perillustres victoriæ, nec excelsi animi magnitudinem implent, nec gloriæ sacietatem adferre possunt, idcirco aduersus Parthos, Persasq; victricia signa præmisisti, vt eæ gentes, quæ à diuinis legibus impiè defecere, expiatæ veluti sacris armis, & denique victorijs tuis lustratæ, ad antiquos religionis ritus reuocentur. Sed sit hoc tibi vel in cepto, vel exitu maximè decorum atque magnificum, modò mihi liceat in armis atq; periculis seni facto, ea commemorare quæ expediant, & denique ea quæ longo vsu didici ad ampliorem augustioremque tui nominis gloriam aperire, neque à me hoc ambitiosius dici fortassè interpretere. satis enim superq; Fortuna rebus meis fauit, quæ me demi inopia pressum, & ancipiti cum spe eius flatibus vela dantem, ad multas victorias amplasque opes, & deniq; ad regium nomen euexerit. Verum super hæc nihil mihi melius dare Dij potuerunt, quàm vt ad te venirem, & de grauissimis rebus differendo in consilium adsciscerer. Nam id quo nihil in rebus humanis bellicis q; præsertim vtilius atque præstantius dari potest, consilium fide & rerum experientia ple-

nissimum dabo. & quanquam senes nihil vltra adferre posse videantur, tamen in vegeto corpore robustæ vires adhuc supersunt. vt fortem operam in omne maris terræq; discrimen æquè præstare ac polliceri queam. Huic autem vni curæ ab adolescentia dies noctesq; inuigilaui, Horuciy fratris viri fortissimi consilijs ac sensibus inhærens, vt nostræ religionis terminos proferrem, Christianos terra mariq; persequerer, & nihil maius optarem, quam vt tuæ classes copiæq; studijs atq; opibus meis adderentur, & denique dux aut certè signifer, quando melioribus parère non piget, auspicijs tuis efficerer. Cuius voti si me Dij compotem fecerint, breui tota Africa Hispani depellentur. Mauros ad Bæticæ vetus imperium in Hispaniam traiecisse audies, Pæni & Numidæ tibi parebunt, & vt Sardiniam Corsicámque omittam, Sicilia nostra erit: ea occupata, Italiam fame enecabimus, & vndique classibus aggrediemur, discordia principum laborantē, infirmam disiunctis viribus, & quantum ad eius partem Sicilia & Macedoniæ proximam attinet, qualibet conditione seruituram, modò Hispanorum iugum excutiat. Noli enim existimare eas opes eumq; in Italia esse cōsensum quæ fuerunt, quum Hydrunte capta, non Italicis modò, sed cæteris etiam populis maximum terrorem intulit proauus Mahometes. Is enim successu

successu eius belli, ad quod sustinendum vix vniuersi Christiani principes sufficerūt, haud dubiè vrbs Roma potitus foret, vt occidentis ac orientis imperia secundum ius & æquum, vetere sua augusta in sede iungerentur. Sed ille ab humanis repentè discessit in cælum raptus, scilicet vt hoc tibi, sicuti fata syderaq; promittunt, consummata virtutis opus relinqueret. Nec te hæc inœcta spe summi inusitatiq; triūphi vel interpello vel demoror, quo minus in orientem contendas. Veteres impiosq; hostes, et vltima supplicia meritos armis persequare: classis enim mihi erit satis, qua tibi minimè est opus in mediterraneis regionibus belli gerenti, vt dum tu Asiam subigis, ab alia parte ipsa Africa quæ est tertia pars orbis, in potestatem redigatur. Ante omnia autem pellendus est Tuneto Muleasses, inexplebili auaritia, fœda impotentiq; libidine, immaniq; sœuitia, dijs atque hominibus inuisus, qui duodeuiginti fratribus per insidias interfectis, aut quod ipsa morte acerbius videtur, præsto oculo crudeliter orbatis, ita regnat solus, vt neminem sibi vel consanguineum vel amicum reliquerit: nam animo tam ingrato quàm perfido, paternos etiam amicos, qui ipsum insigni studio ad regnum extulerunt, vt gratia merita celeriter exolueret, ad vnum omnes iugulauit: cum hac bellua nobis res erit, quam cum nemo amet facilè omnes oderunt. Numida quotidianis incur

sionibus exagitãt, quorũ iniurias ita sustinet, dedecore, ignauia, & metu infamis, vt eas ferre quam vlcisci malit: & hic semiuir Turcas viros fortes in tutenis detinet, nec augustum nomen tuum, à quo humana diuinaq; iura vndiq; petũtur, planè agnoscit, & quod minimè est ferendũ, Hispanis ad Tripolim fauet, vt Agis & Moses strenui duces Turcas, Taioreæ vrbe depellantur. Hanc ferã vti vnguibus ac dentibus exarmatã, vel ob id facilè conficiemus, quoniam apud nos est Roscettes eius frater, Pœnorum omnium votis ac precibus expetitus: huius persona vel in specie nobis erit vtendũ, vt res, quum copias ad Tuneti portas ostentabimus, sine vllo omnino vulnere patrari possit. Tui demum erit arbitrij statuere, quem Punicis rebus præesse velis, mihi certè satis imperij & gloriæ quæsitum erit, quũ tibi debellatis hostibus è Persidè redeunti, maxima pars Africæ deuicta pacataq; tradetur. Ex itinere verò, quod priuati muneris nomine me polliceri iuuat, enixè dabo operam, vt suas quoq; clades lugeant Christiani, atque Auria si occurrat, suis maleficijs non diu exultet: hunc enim vnum vti verum proprium q; hostẽ, vel à cladiũ acceptarũ memoria, vel æmulatione gloriæ persequendum mihi desumo, eo autem oppresso, tibi vni maria patebunt, & mihi crede, qui victor mari

euadet

euadet, facilè etiam terrarum imperia tenebit. At Solymanus qui excellentũ principum more, graui aure exceptæ ad animum transmittere, perpendereq; inde cuncta, ac ingenti demum iudicio consilia terminare erat solitus, collaudato Hariadeni studio, consilium dimisit. Nec multo post in sententiã Habraymi decretũ est factũ, vt Hariadenus tribus Bassis, qui est suprema dignitatis honor, quartus adderetur, essetq; ei summũ maris imperiũ, ita vt insulæ, portus, vrbes, populiq; maritimi ei parerent, ius ei fasq; esset quos vellet, vbiq; vellet, remiges, nautas, milites conscribere, & in naues compellere. His promulgatis Solymanes postridie Idus Maias ei vexillum, sceptrũ, gladiumq; de manu tradit, monet vt promissis insigni facinore edito fidem præstet, eumq; regia egressũ, Aiax et Cassimus Bassæ, ipseq; prætorij præfectus celebri pompa prælatis nouis honoris insignibus, ad naualia deducunt, octiesq; ei centena millia aureorũ nummium in bellicos sumptus ex ærario depromuntur, attribuunturq; ei ex ordine prætorianorum Ianizeri circiter octingenti, nec multos Byzantij moratur dies, classeq; octoginta triremium atq; aliquot biremium armis, viris, & commeatu abundè instructa. Hellesponto egressus in Italiã cursum intendit, relicto cum duodecim triremibus Amurate trierarcho,

quã

gui Solymanum eius q; exercitum ad Persicum contendentem bellum, ab Europa in Asiã transportaret, is q; demum omnibus transuectis, Hariadenum ad Methonẽ est consecutus. Quum improuiso aduentu Messanæ fretum transiret, Mamertini ad arma conclamãtes, Vrbi portuiq; magnopere timuerunt, sed præteruectus Hipponiatẽ sinũ, in Brutiorum ora sancti Lucidij oppidũ inuasit, id olim Tempsa dicebatur, impositum rupi, qua mare desfectat, & muro haud temere munitum: sed is à terra subeuntium Turcarum impetus fuit, vt deiectis propugnatoribus diu defendi nequiuerit, eo maiore incolarũ calamitate, quòd nemo fuga est elapsus, quum prætor in ea trepidatione auersam ab hostibus portam diligentius reconditis clauibus obseraſſet. Inde ingenti omnis generis rerum ac hominum petitus præda, ad Citrarium contendit, vbi classem ædificari à captiuis didicerat, id vti vacuum incolarũ fuga statim est incensum, at q; eodem igne septẽ triremes, imperfectis adhuc puppibus & foris, cõcrematæ: vbi verò à Caprets supra Neapolim vniuersa classis in conspectum est data, adeo terribili spectaculo tectam eam oram conterruit, vt pleriq; affirmarent si hostis expositis copijs ad mœnia repentè successisset, Neapolitanos in subito metu agrè vrbem iusse defensuros. Eo cursu ad Prochytam

tam prouectus, oppidum cepit, arcis q; exiguæ custodibus sub fide se dedentibus libertatem reliquit, & quum in Caietæ portũ noctu inueheretur, ita ad Speluncam superato promontorio cursum deflexit, vt occupandæ Caietæ occasionem parum nauiter prætermisisse crederetur, nam & præsidium vrbi arci q; exiguum erat, præsertim repentino nocturno q; in metu, & Caietana iuuentus assueta maritimis quæstibus, & in prædijs occupata ab vrbe per eos dies aberat. Spelunca oppidũ extremis Fundanis montibus adiacet, qua desinentes rupes, plagæ maris planitiẽ excipiunt, ex ruina quondam antri Tiberij Cæsaris insigni periculo in historijs Cornelij Taciti celebratum. Speluncani inexpectato appulsu tantæ classis territi, vix tentata defensione animos desponderunt, ingressus q; hostis circiter mille & ducentos imbellis maximè sexus, & ætatis cepit. Refugerat in arcem Pelegrinus, qui inter Speluncanos diuitijs eminebat. Hũc Hariadenus monuit, vt sese dederet, nec vim experiretur, id si extemplò faceret, integra fide liberum futurum, si conaretur sese atque arcẽ tueri, breui stultæ pertinaciæ pœnas crudeli supplicio, at q; incẽdio oppidi protinus daturum: nec ille metu exanguis diu cunctatur, quin spem vitæ vel in barbara fide, certi propè exitij periculo potiorem ducat, ita egresso in litus &

tus & ad genua procumbenti concessa libertas, & quod fuit humanitatis, vxor filius, & neptis inter lachrymas præ gaudio vtrinque manantes restituti. Eadem quoque nocte ad duo millia Turcarũ è classe per asperos vepribusq; impeditos colles ad vrbem Fundos, decem inde millibus passuũ, peruenerũt vti creditur, ducibus indigenis ex eorũ numero, qui superioribus annis mari capti, tædio præduræ seruitutis ad Mahometis sacra defecissent. Ea verò aduolantium & refringentium portam celeritas fuit, vt Iulia Gonzaga, Prosperi Columnæ quondã nurus, vix spatium sit nacta, quo seminuda iumento imponeretur, atque inde iam conspectis hostibus ad montes se properet. Ferunt Barbarussam, vti ipse postea minimè diffiteri est visus, eam cum admirabilis formæ, tum virtutis fama florentem capere cupiuisse, vt Solymano dono daret. Cæterum Fundani cæduntur, atq; omnes ferè capiuntur: fecit & deditionẽ Stecatius prætor imbellis, qui cum turba mulierum in turrem confugerat, quum succensis iam foribus, & barbarorum clamore, & fœmimarũ eiulatu terreretur. Turre in potestatem redacta, Turcæ ad spoliandum fanum conuersi, sepulchris Columniorũ procerum ornamẽta detrahunt, vexillaq; item militaria picta auro dilacerant, onustiq; præda ad classem reuertuntur.

tur. Alia quoq; triremium manus Tarracinam diuertit, ibi quoq; populo ad montes fuga elapso, in templa sæuitũ, inualidiq; senes, & ægri aliquot in lectulis trucidati. Is terror a Priuernatibus properè Romam delatus, ita consternauit omniũ animos, vt si hostis eo impetu ad Ostiam esset proiectus, tota ciuitas sese in Sabinum, Etruscumq; agrum effusura crederetur. Nam neq; Clemens tum grauissimo conflictatus morbo, consuli poterat, neque amplius omnino quàm centum viginti speculatorum Germanorũ, & quadraginta septem leuis armaturæ equitum præsidio, quo tum principis atq; prætorij custodia stetit, publicæ salus nitebatur, nec vllus erat cũ peregrinis & inquilinis Romanorũ consensus, quin quisque priuatis potius quàm publicis rebus studeret. Conuere tamen in eo periculo Cardinales, & effractis ærarij repagulis, ex authoritate senatus Hippolyto Medici Cardinali pecuniam deprompsere, vt tuendæ oræ maritimæ curã susciperet. Is alacriter cohortes conscripsit, sed eas, vti in subitario delectu accidere solet, ex pessimo & incondito hominum genere, adeò vt per summam iniuriam Priuernatibus ex itinere cæsis atq; direptis, oraq; Pyrgensi, & Tarquiniensi fœdè vexata, nullo pudore in hostilem rabiem animos vertisse viderentur. Porrò Barbarussa vetere consilio suo

imixtus, quū statim in Pontias aquandi causa diuertisset, in Africam traiecit, tanta Vsus celeritate, vt prius eò peruenerit, quā ab nostra ora discessisse crederetur: Voluit enim ea diuersa nauigatione fallere Muleassem, vt imparatū opprimeret, & ipse anteā famam simulanter ediderat euastandæ Italiæ, Liguriæq; præsertim, & Hispaniæ: Vndicādis scilicet iniurijs, quas Auria Coroneis atque Patrensibus intulisset, ita vt non omnino inani coniectura, postquàm Messanæ freto superato, Italiæ litora legere, & cuncta vrere capisset, Liguriā, ac demū Hispaniam inuasurus esse putaretur. Et Veneti quoq; Muleassis, & Pœnis aliqua ex parte timore minuebant, quum Validā classem instruxissent, quinis decuriis ex sacris redditibus sacerdotū ordini, vel inuita ægre ferente Pontifice, impositis, vt ex ea pecunia remigibus stipendia præberentur. Quid enim petente Africā Hariadeno, Venetis opus esse tanta classe? præsertim quæ tanto sumptu, & tanta cū inuidia pararetur? profectò summæ prudentiæ homines, qui Turcarū consilia Byzātij diligēter explorare, et excipere essent soliti, pro certo cognouisse tot triremes aduersum Auriā comparari, vt pares, & duplicatā clades Christianis redderētur. Adhæc quoq; Muleasses per speculatores didicerat Rosettem fratrem, quem maximè metuebat, Byzantij

zantij in libera custodia esse relictum, veluti aliena tum ab Africæ rebus expeditione sic sceptæ. Neq; enim illis armis validius se petiturque inuadi posse existimabat, quàm producto regni æmulo, in quem ex conscientia scelerum suorum omnes propè Pœnorum ordines, et Numidas inclinaturos appareret. Sed quoniam ad hunc locum est deuentum, operæpretium erit paucis enarrare quæ de Muleassis imperio, moribusq; Pœnorū didicimus: nam multa digna cognitu, quæ diu solis mercatoribus compertæ fuere, nobis scribentibus, victoria Cæsaris aperuit. Africā Romani, euersa Carthagine sublatisq; regibus, propter agrorum vbertatem multis eo deductis colonijs excolendam atque illustrandam susceperē, teneréq; eam proconsulari imperio vsque ad Vandalorum aduentum, quos in cōtumeliam Romani nominis immani rabie sæuientes, Belisarius deuicit atque deleuit. Inde facta est prouincia Græcorū imperatorum, à quibus in eam quotannis duces, & præsides mittebantur. Postremò, eā, inualescente Mahometis secta, Saraceni è Syria, Aegypto, Arabiaq; inducti religionibus tantæ vt inuaserūt, vt pulsis Christianis, inuectāque & latè propagata superstitione, in Hispaniam vsque victores transcenderint, & cùm Afri, Numidæ, Mauri, et deniq; omnes Pœnorū gentes nouæ

sacra facilè suscepissent, in Illiberi Baticæ regia Vrbe, quam Granatã nostri vocant, posita est Maurorũ sedes, & Cordubæ gymnasiũ cũ celebri bibliotheca constitutũ, vbi Arabicarũ literarũ professores, iuuentutem docendo, excipiendoq; intermoriẽtes apud Græcos optimarum scientiarũ atq; artium disciplinas cum insigni ingeniorum gloria floruerunt. Nihilo secius, & in his militare studiũ est tuit, adeò vt quũ diu cum Oretanis Celtiberis, & Carpentanis esset dimicatum, è Miramolino irrumpente, penè omnis Hispania Punicis armis cesserit. Sed post sexcentos demum annos ætate nostra, Ferdinandi regis virtute obsessa captaq; Illiberi, omne Punicũ nomen ab Hispania pulsum. Hac tẽpestate in Africa opibus ac amplitudine imperij cæteris præstant Tunetani & Fessani reges, sed Tunetanis ob longa imperij vetustate, eximiaq; stirpis claritudine, authoritas maior & augustior: nam ab his sacra, & iura omnia petebãtur. Supra Tunetã enim itinere triũ dierũ vrbs est Caruenna, perantiqui templi religione, & sanctissimorum sacerdotum collegio maxime venerabilis, & ob id libera & immunis, in qua functi fato Maurorũ, & Numidarum proceres, vel è longissimo terrarum tractu tumulantur. Quoniam persuasum habent eorum animas, quorũ ossa sacrosanctò eo in loco sita sint,

vti purius expiatas, ad impetrandã cælestis vitæ felicitatem, illorum sacerdotum accuratiore cerimonia superis efficacissimè commendari. Imperium Tunetanum octingentis ferè millibus passuũ in ora ab occasu ad Orientem extendebatur: nam Bugea, & Tripolis emporio & gymnasio claræ vrbes, quas Nauarrus in diuersis regni finibus bello cepit, Tunetanæ ditionis erant, quum & ea introrsus ad Aethiopũ arenas vsq; pertineat. Porrò Fessani in Tingitana Mauritania impositi Salæ amni, qui in Oceanum magnarum nauium capax euoluitur, bellico apparatu et militaribus copijs antecellunt, egregiè enim sustinent Lusitanos, cum quibus continẽter bello exercentur, adeò vt triginta equitum millia in aciẽ educant, paratissimisq; animis ac viribus litora tueantur: reliquas regiones vrbesq; reguli quos Scecos appellant, circa oram præsertim possident. At in mediterraneis Numidæ vno nomine dicti Arabes vagantur, cũ Afris bella gerũt, venalemq; pacẽ habẽt. His mos est belli causas excitare, alere controuersias, semper armis exerceri, pecuarias, colẽdisq; agri ministeria per seruos obire, præsertim Aethiopes, quum se omnium gentium nobilissimos iactent, quòd impermixti sanguinis ab antiqua Pœnorũ origine progeniẽ ducãt. Diuisi in multa agmina à Nilo amne introrsus

ad Atlanticum Oceanum extenduntur, & cùm incertas sedes habeant, certis tamen pagorum finibus imperia præscribunt. Hyeme longius à mari ad Aethiopum fines recedere solent, tepore solis & clementia aëris inuitati. Aestate verò ad vixdum maturas segetes reuertuntur, vt alieni laboris fructum intercipiant. Nemo apud eos præter paucos sacerdotes literas addiscit: neq; enim adeò accurate, vti Mauri, sed simplici atque expedito cultu religionibus student, his haud dubiè fide, integritate, virtute q; animi, & deniq; bello & pace meliores. Incredibile dictu est quàm tenui victu & vires & valetudinem tueantur: nã ficu sicca, dactylis pulticula, atque acido lacte conuiuia finiunt, tum verò epulantur, cũ è venatione falconum q; aucupijs, quibus maximè gaudent, prædam retulerint. Totius patrimonij eorum census est in equo pernici, quem seminudi egentissimiq; homines immenso parãt pretio, nec mirum, quando vita & vigilia eorũ omnis si bellum desit, in latrocinijs venationibusq; consistat. Vxores adeò humiliter viris ancillantur, vt equos curent & insternant. Aestate pariter atque hyeme equites pellicea talari tunica vtuntur, quòd ea peregregiè sustineat ventos, & in magnis feruoribus soles non admittat, capiti linteum intortis à mento spiris non indecens tegumentum, desilientes ab

ab equis in clunes considunt, parcunt q; pedibus, vt vix exiguis spatijs obambulent: plicatione verò assidua, contentioneque artuum, itemque frictionibus calorem excitant. Hac exercitatione, procul à morborum cruciatu, medicinaq; periculo ad summam perueniunt senectam, adeò vt fatalem horam minimè præsentiant, & lati euanescente potius quam intercepto spiritu inter colloquia liberorum leniter expirẽt. Ex hac gente fuit Lentigesia Muleassis mater, virilis animi mulier. Doracis reguli soror, cuius ingenio virtute q; Muleasses adiutus & impulsus, regnũ arripuit. Nam Mahometes qui multo luxu, & multa cũ gloria triginta duobus annis regnauerat, cũ sibi vitæ finem adesse cerneret, Maimonem inter duos & viginti filios natu maximum legitimo iure regni hæredem scripturus esse videbatur, nisi Lentigesia corruptis pretio regijs satellitibus: maritũ in supremis vitæ angustijs, fatigatum precibus, dolisq; deceptum præuertisset, vt in filiũ regij nominis fortuna transferretur. Itaque Maimo qui paulò ante, affectati regni suspicione, ob præclaram bellicæ virtutis indolem, à patre in carcerem fuerat conjectus, eo expirante, dum è custodia ad imperiũ se prorripere sperat, iussu Muleassis interficitur. Roscettes natu secundus, qui extra arcẽ cum vxoribus habitabat, comprehendi non potuit,

tuit, cæteri fratres grassante Muleasse in suã sanguinem barbarico more, partim iugulantur, partim candenti ferro oculis admoto, lumine priuantur. In his fuêre Barcha, & Belethes, atq; Saethis statæ ætate, & in spem imperij vna matrum nobilitate procreati, qui quum Tunetum in ipsa Cæsaris Victoria caperetur, ob eam calamitatem cum graui probro atq; inuidia reducti regis, apud nostros homines Punicæ sæuitiæ fidem fecerunt. Ex fuga quoque biduo post, Laselles & Habramus & cum his fratres quatuor vix dum puberes in Bagrada amne tum fortè hyemalibus aquis latè inflato trepidè vadum quærentes, Solax Numidarum dux intercepit, acceptoq; pretio, vir æquè venalis & sauus Muleassi ad supplicium tradidit. Porro cæteri omnium reliqui Roscettes & Abdemelech, dum supra Hadrumentũ profugerent eodem penè casu, sed non iniqua sorte, in Morhabitũ inciderunt, à quo aduoluti pedibus, & salutem suam regiæq; stirpis sanguinem commendantes, ita seruati sunt, vt quum in Numida opulento generosi animi laus quæreretur, sæuitiæ tamen arbitrium Muleasst venditaret: accepta enim est traditionis merces, & interim illi vti deceptis custodibus, ad Bentiesem amicum suum, vlteriorẽ Numidarũ ducem, opportunè emissi. Verùm & apud hunc proditores passim grãdi pecu

pecunia subornante Muleasse, aliis atque aliis petiti insidijs, ad Biscarim vrbem maximè mediterraneam recessere: ibi Abdemelech tædio tam ancipitis fortunæ, omni spe regni prorsus abdicata, sacrata in otio religionibus se deuouit. Roscettes verò apud Abdalam vrbis principem, & mox socerum, adeò solicitè atq; accuratè ab omnibus Muleassis dolis est custoditus, vt etiam veneni metu, non alia temere in conuictu, quam semesa ab se vxore q; esculenta genero præberentur. Eo modo Muleasses paterno potitus regno, quum nemini ex regia sobole parcendum esse statueret, aliquot etiam pueros fratrum filios enecauit, paternosq; amicos Manifetem & Mesuarem in primis summa authoritatis, quorũ studio atque ope Maimonem præoccuparat, variis cruciatibus diu tortos & laceratos interfecit, quòd præclari beneficij gratiã exoluere nollet, atq; eos idem alias quando contra se tanquã ingratum facilè mouituros arbitraretur. Defecit & in aliquot nouercas, impellente Lentigesia, atq; etiã concubinas patris nefaria crudelitate, quum ipse præposterus, & in mares procliuior, in Mahometem patrem palàm inueheretur, tanquam mulierosum ac effœminatum, qui exhausto ærario ingentes fecisset sumptus, vt ducenta simul ad libidinem fœminæ regijs in hortis alerentur, & è quibus tot suscepisset liberos, qui

in imperio æmuli forent, ob idq; sibi in hus occidendis pergraue & plenum inuidiæ negotiũ reliquisset: & fuere qui existimarent patrem in supremo morbo, quum ex subita animi defectione ad sese vitæ subleuaretur, medicata potione à parricida filio fuisse necatũ. Nec multo post Dorax, qui fauẽte sorore delectus erat imperator, aduersus Meschinem regulum Numidam peculiari nomine bellum suscepit: ab eo enim aliquot ante annis, viuo Mahomete, cuius gratia plurimum valebat, graues acceperat iniurias, & parte agri fuerat expulsus. Sed Meschines prapotenti hosti facilè cessit, vti imparatus & inualidus scilicet vt coactis auxilijs ad propulsandam iniuriam, dum hostis recederet opportunè reuerteretur. Ea contentio vtrinque vario belli euentu sæpius agitata, ad extremũ regem ipsum in id bellum traxit, è dignitate sua existimantem, capto semel bello non deesse, ac auunculi eiusdemq; imperatoris sui partes egregiè tueri, affirmante Lentigesia id totum regio nomini ademptum videri, quod Dorax segniter aut cunctater adiutus amitteret. Itaq; Muleasse in Doracis castra cum magno equitatu & Turcarum mercenarijs peditibus profecto, res eum habuit euentum, vt Meschines profligaretur, & rex araentius ostentato erga auunculum studio suo, iam planè maturas segetes incenderet.

Ea

Ea inusitata ac immanis iniuriæ acerbitas, quum frangere Meschinis animum nequaquam posset, adeò vehementer permouit, vt eo adeunte, & tota penè Africa concitante singulos Numidarum duces, ingens & maxime periculosum Muleasi bellum sit conflatum, Roscetteq; à Biscari in spem regni sit euocatus, non vno tantùm sed proximo quoque regulo Numidæ, equites, arma, opes insigni studio aduersus Muleassem conferente, quũ quisq; nisi omnes in vnum icto fœdere consentirent, Meschinis exemplo rebus suis timere cogeretur. Contulere cum Meschine consilia, copias & opes, Vlethes, Iacob, atque Morhabitus clarissimi Numidarum duces, Roscetteque à Biscari educto, & regijs insignibus adornato, castra fecere non longè à Bechia vrbe, quæ itinere vnius diei à Tuneto distat. Et aduentantium hostium fama Muleassem quanquam suopte ingenio pugnacem, sed tum solito timidiorem factum, & ex scelerum conscientia sibi diffidentem magnopere conteruit: verum is non minus astu quam sæuitia insignis, adeò egregiè metum dissimulabat, vt compressis diligenti portarum custodia de Roscette rumoribus, festa hilaritate nuptias Amidæ filij celebraret, vniuersoq; populo solenne epulum præberet, & singulis tribubus, præter id nouum munificentiæ genus, esculenta omnis generis congiarij

giarij nomine largiretur, Numidas verò propinquos, & Pœnorum optimates variis artibus & donis sibi conciliaret. At vbi Roscettis aduentus diutius occultari non potuit, vexilla, arma, tormenta, ex arce proferre per Doracem, Numidas quos poterat mercede conducere, ex Afris equites & pedites conscribere, obsecrare prædones Turcas, vt accepto stipendio pro se militarent. Erat enim ea tempestate ad Tunetum tantus piratarum cõcursus, quò ibi cunctis huiusmodi generis hominibus tutissimus esset receptus, vt ea vrbs Turcarum colonia videretur. Cum his antea Muleasses certo fœdere pepigerat, vt captiuorum prædarũq; omnis pars quinta in fiscum referretur, magno quidem suo quæstu, & Tunetanorum emolumẽto, adeò vt sibi nullũ omnino ex tot vrbibus vectigal atq; portoriũ, vel vberius vel certius esse cẽseretur: sed is prouentus, vti ab hostibus humani generis iniustè atq; impiè quæstus, nõ multò post Tunetanis, vti mox dicetur, dignã sæua atq; auarissima gẽte peperit calamitatem. Quũ Roscettes appropinquaret, qui superato Bagrada amne in profluentis ripa cum Vlethis filia, epulante exercitu nuptias celebrarat, Dorax ante portam vrbis, qua ad Bardeos defert hortos, in acie constitit, Muleasse degeneri animo arcis mœnibus se tenente: cum eo erant Solax, & duo fratres regulis cogno

gnomine Benaones, cum septem ferè millibus equitum Numidarum, magnaque Afrorum peditum multitudo, & in quo ab virtute & disciplina, genereque armorum firmissimum erat præsidium Caradinus Turca, cum delecta cohorte sclopettariorum, & septem curulibus tormentis: his accesserat ala prætoriana Christianorum equitum, qui ex reliquijs veterum expeditionum in Africa remanserant, & ob virtutem in honore habiti vxores duxerant, & nihil intereunte sobole & disciplina, extra meridianam portam in oppidulo Rebatto, à quo ipsi Rebattini dicti, templa, & domos, & familias habebant, quum Tunetani reges vetere instituto salutem suam externis, & Christianis tutius quàm Mahometanis & Pœnis committendam existimarent. Prouolauit ante alios Meschines, proprius Doracis hostis, cum quatuor millibus equitum, hunc Morhabitus cum ampliore agmine continenter est subsecutus, Vlethes ipse postremam veluti subsidiariam, progressis & pugnam ineuntibus cum Roscette aciem tenuit. Restitere aliquandiu regij, Dorace primos impetus fortiter sustinente, sed Morhabiti vim non tulere Benaones & Solax, quum vndique perturbati, & cum multa cæde præcipites acti in fugam verterentur: defuit spatium Caradino ad dirigenda tormenta: nam repentini hostes

hostes obliquo alarum flexu non in frontem, sed in transuersos incurrerãt. tantusq; eo tumultu excitatus erat puluis, vt in incertũ tormenta emitterentur, nec planè dignosci posset, vtram in partem prælij fortuna, in eo maximè turbulento & confuso certamine, victoriam inclinaret. Constat ab ea pulueris nube occupanda portæ, & ingrediendæ vrbis facultatem Moschinianis fuisse ereptam quum rarescente sensim lesidente que puluere, & patefacta regiorum strage, & fuga Rebattini primo equites, & demum Caradinus densata cohorte, sed amissis tormentis ad portam se recepissent. atq; eam simul atq; vrbem conglobato præsidio seruauissent. Roscettes cruentiore quàm pro more gentis potitus victoria, sed vrbe exclusus, quũ nemo ex Tunetanis se commoueret, nullusq; omnino vel à timore, vel à seditione, vti futurũ putarat, in vrbe tumultus oriretur, ad proximam regionem, quam Martiam vocant, deflexit, ea est circa magna Carthaginis ruinas omnium rerum copia & fertilitate, multisq; puteis & fontibus abundans, & pulcherrimis villis ac adificijs frequẽs. Ibi circiter viginti moratus dies, quum frustra expectando vrbanos motus, nihil proficeret, vel populantibus cuncta Numidis in oculis Tunetanorum, vt grauiore tandem periculo damnóque eorum animos aduersus Mu-

leassem concitaret, totum id oluetum immani crudelitate succendit, quod summa pariter amœnitate atque vbertate conuestitis collibus, à summa arce Carthaginis ad Tuneti vsque mœnia protenditur. Ferunt nullum vnquam vel obsessæ, vel bellica clade afflictæ vrbi eo acerbius ac luctuosius spectaculum extitisse, exurebatur enim continenti incendio suburbanus ager, miserias suas omni populo è muris magnis eiulatibus deplorante. Sed conturbatis ac mœnsis indignitate tam immanis iniuriæ ciuibus rex aderat, consolando ac adhortando, vt eam calamitatem æquissimis animis ferrent, se enim ea detrimẽta singulis præsenti pecunia liberaliter exoluturum, & daturũ operam, vt comparatis maioribus auxilijs, Moschinis atque Morhabitis, & Vlethis prædæ ad eorũ prædam effusa populatione vacuarentur. Nec multo post quum Tunetani supra præstitæ fidei sacramentum, & portas externo milite custoditas, efferatos iniuria animos à Roscettis studio penitus auertissent. Numidæ dilabi, quod eis post confectũ prælium minimè probro datur, atq; Roscettẽ vt longè secederet, seruaret q; se felicioribus consilijs, monere cœperunt. At ipse quũ alij atq; alij suspensum & nutantẽ in diuersa distraherent, Numidarũ perfidiã, & fraternas insidias timẽs, eò animum inclinauit, non improbante Vlethe

socero

socero, Vt Algerium ad Barbaruſſam confugeret, ſcilicet Vt illuc Vlteriores ſpes ſuas ad inuadendum paternum regnum ſecurius atque nobilius agitaret. Eo modo apud Turcam, iam tum latè ſubactis finitimis regulis dominantem aſpirantemque ad imperium totius Africæ, in cultu prope regio permanſit Vſque ad id tempus quo Byzantium, Vti diximus, eſt deuectus. Is Punicarum rerum ſtatus erat quum Hariadenus Pontia profectus, perpetuo curſu ad Biſertam improuiſus appulit claſſem. Biſertani & tædio Muleaſſis, & ſuæ mobilitate impulſi, audito ſtatim Roſcettis nomine, Turcas oppido recipiũt, præfectum q3 repugnantẽ oppido expellunt: deſcenderãt enim Hariadeni iuſſu aliquot Afri familiares comitéſque Roſcettis, qui eum adeſſe, ſed prodire non poſſe nunciabant, fatigatum ſcilicet nauſea laceſſente, atque accedente febricula mentientes. Adiacet Biſertæ piſcoſi ſtagni faucibus, per quas ſubiectum mare ſtatis ſuis æſtibus irrumpit, & infuſum aquæ dulci ſenſim exorbetur & emittitur, efficitq4 portum lato aluco, vel magnis nauibus commodum, ab Vtica triginta ferè paſſuum millibus diſtantem, ab antiquis à circumfluente lacu qui olim Tritonius fuit, Hippodiaritos appellata. Collaudatis Biſertanis Hariadenus, Vtpotè qui conſilij ſui ſummam in Vna maximè celeritate repone

reponebat, claſſem celeriter eduxit, præterue-ctus q2 Vticam, et Carthaginis promontorium, eius turris at q3 munitionis, quam Gulettam noſtri Vocant, in cõſpectum ſe dedit, itа Vt eam diſploſis omnibus tormentis, in lætitiæ atque amicitiæ ſignum de more ſalutaret. Gulettani cuſtodes quum ſalutem redderent, amicè & grauiter reſponderunt, ſe in eius poteſtate ſtatim futuros, qui Tunetanæ Vrbis imperio potiretur. Iam ab excelſa Tuneti arce cõſpecta claſſis, & à Biſerta totiſque litoribus frequentes nunciꝫ ingentem in Vrbe tumultũ excitarant. Erat enim ciuitas erecta in expectationem noui regis, cũm ipſius Roſcettis amore quod mite ac liberale ingenium præſe ferret, tum odio Muleaſſis, quem auarè & crudeliter imperantem, aliquot iam annos in luctuoſa ſeruitute pertuliſſent. Nec ipſe adeò famæ ſuæ erat ignarus, Vt alienatos ab ſe ciuium animos nequaquam intelligeret, nec præſentiret, quam parum ſpei in populi ſtudijs eſſet reponendum, quum principum ciuitatis ora at q2 oculos intueretur. Erant enim Tunetani vel ob id ei Vehementer irati, quòd Vti Roſcettis bello ſolennis pronunciatione fuerat pollicitus, nequaquã eorum inopiã liberalitate ſubleuaſſet, qui exuſtis atque euaſtatis oliuetis & Villis, dum conſtanter ei ſtuderent, miſerabilem chariſſimarum rerum iacturam feciſſent. Itaque egreſ-

sum arce, et in foro concionantem deseruerunt, quum ea præmia, si prosse arma caperent degeneri cultu polliceretur, quæ nec incolumis et victor præstare posset. Monuêre quoque restitantem adhuc nonnulli specie amicitiæ, & in his Abdahar (gerebat is tum magistratum, qui Mesuar appellatur) vt cederet Fortunæ, extemploq; profugeret: & tum fortè de aduentu Turcarum rumor increbuerat, quæ res per se pauidum, & ex merito insidias vndiq; timentem, destitutumq; à ciuibus in fugâ concitauit, adeò turbata mentis ratione, vt in arce aurum, & gemmas, & regia ornamenta relinqueret, occultatæ scilicet secretioribus latebris, vt his demum hostis potiretur. Primi omnium duo Hispani abruptæ sacramenti fidei à Muleasse ad Hariadenum defecerunt: Abezes ex Granatæ vrbe, is erat in magistratu, qui dicitur Monifetes, & Fetuches Tarraconensis, qui custodiæ arcis erat præpositus. His Roscettis vxorem liberosq; eius, qui à Muleasse in custodia seruabantur, statim eduxit, & regio cultu ornatos in solio Muleassis constituit, Mosesque item, & Caradinus, & Agis prædones Turcæ detractis catenis exoluuntur, vt cum aduentante rege Hariadenoq; his dono oblatis, eximium sibi gratiæ locum pararet. Abezes autem phaleratum insignem equum Hariadeno misit, quo in vrbem adueheretur, itemq; item alios trierarchos et ducibus distribuendos, hortatusque est vt maturaret, egregia etenim voluntate Tunetanos, vt eum susciperet, sese obuiam adapertis portis effusuros. Nec mora Hariadenus expositis in terram copijs, conscensoq; equo cum quinq; millibus Turcarum ad eam portam peruenit, quæ stagno atque naualibus est coniuncta, ab ea ad aduersam vrbis partem, vbi amplissima & edita arx in tumulum exurgit, lata & oblonga regio pertinet, officinis rerum naualium frequens, & mercatorum porticu conuentúque percelebris. At Tunetani quũ Hariadenum per mediam vrbem ad regiam contendentem, magnis gratulationibus excepissent, & in perpetua Turcarum acclamatione nihil præter Solymani, aut ipsius Hariadeni nomen audiretur, commoueri vehementer perturbarique cœpere, incensis scilicet dolore animis, quòd Roscettes nusquam compareret, diu frustra oculis requisitus expectatúsque, vt æger tandem lectica aut nauigio ad vrbẽ subueheretur. Auxère tu multum Roscettis familiares nequaquã sponte Byzantio aduecti, qui nullo metu contineri poterant, quin mœsti oblatis veteribus amicis summissè dicerent Roscettem frustra expectari, qui Turcarũ & Hariadeni fraude in Asia & in catenis quidem esset relictus. Ii etenim natura Punico nomini fauere cogebantur, ma-

gnoq; cum dolore perfidiæ ignominiam animo sustinebant, quum speculatorum munera obire apud suæ nationis homines & ciues, seruire q; immanibus piratis metu mortis, & patriam prodere maximè turpe & flagitiosum putarent. Eo modo detecta fraude, Tunetani fremẽtes ira circa forum conglobantur, concitatis duce m se præbet Mesuar, quem antea diximus, authoritate, spiritu, & eloquentia Pœnorum facilè princeps. Is dudum nobilioris gratia locum apud nouum regem quærens Muleassem repentino Turcarum aduentu perturbatum, & ab amicis opem, fidem, fortemq; operã implorantem, non modò contempserat, sed difficultates atque pericula verbis adaugendo, hostili planè animo egerat, vt ille vrbe atque arce protinus excedere properaret. Tum verò suæ fidei deceptus, vti erat mobili ardentique ingenio, reuocare Muleassem, & Turcas in arce obsidere atq; oppugnare statuebat. Itaque ad populum ad arma consternatum ab altiore porticu conuersus, magna voce, nefaria, inquit, fraude decepti sumus fortissimi ciues. Rosceles enim quem pro legitimo rege expectatis, incatenis Byzantij calamitatem suam luget, nos verò nisi pro libertate extemplò captis armis eamus, externis prædonibus perpetuò seruiemus, expediti consilij & festinatæ operæ occasionem præsens negotium vobis ostendit, proinde

inde qui seruire & venundari nolunt, correptis repente armis Turcas inuadant, dux ipse vobis adero, vt publico consilio fraudem vlciscì, & patriam & libertatẽ pro dignitate Punici nominis tueri videamur. Nec mora omnes arma conclamant, repentino impetu Turcas inuadunt, obuios ac nihil timentes obtruncãt, attollitur vndique clamor, magno tumultu arma proferuntur, Muleasses reuocatur, qui cum Dorace ad Restabianos hortos subsiderat, ciuium ingenijs diffidens, sed tamen retentante matre euẽtum expectans. Erat Tunetanorum valde ingens sed incondita multitudo, nequaquam militaribus instructa armis, quæ vix sustineri posset, nisi vecordi impetu potius & præcipiti temeritate, quàm periti ducis imperio, & disciplina regeretur. Itaque concursu vndiq; facto ad arcem contendunt, aduolántque ad id propugnaculum, quod ascensu facilius esse videbatur, portámque habebat pertinentem ad oppidum suburbanum, Babasuechum ab Tunetanis appellatum. In eo Turcæ vexillum præfixerant, ac inde fortiter ac intrepidè propugnabant sed scandentibus Afris, atque omnis generis tela iaculantibus, ardentésque faces concremandis foribus itidem ingerentibus, ægrè sustinere, & sese in retractiorem munitioremq; locum recipere cœperant: quum Bactius Hispanus, quem abiurato religionis

gionis cultu Turcæ Ramadam vocabant, tormentum æneum in editiorem arcis speculam, expedito consilio, ingentique celeritate impulsum humeris militum, atque eductum, in confertissimos hostes emisit, eo ictu multorum strages edita, & multo maximus cæteris illatus est pauor, quum ab tota etiam muri corona à sagittarijs peterentur, & quod maximè terrebat, scloppettorum glandibus sternerẽtur. Derat Hariadeno temporis spatium, quo consilium in re subita, opportunè caperet, & quid fieri vellet, militibus imperaret: nam & hostium, quos pacatos putabat, repentinus incursus, & situs arcis nondum planè oculis collustratus, & commeatus, qui vix triduo sufficeret, ex penu atque horreis renunciatus, etiam egregiè constanti, & in summis asperrimarum rerum periculis sæpe versato perturbationem afferebant. Sed hunc timorem cum singularis furentium potius, quàm pugnantium hostium imperitia, tum suorum militum spectata virtus, magna ex parte minuebant, quum & ij successu ipso, & protractatione prælij, magis sæpe atq; animis confirmati perpugnarent: illi verò, quòd primis ausibus fortuna defuisset, in periculoso atque irrito conatu conspecta suorum strage & vulnerum fœditate, iam plane concepto metu frangerentur. Verùm Dorax cum ala equitum Numidarum, & ipse Mu-

leasses reuersi proiectiq; per Babasuechum suburbanum vsque ad portam, vel nomine ipso et clamoribus oppugnationem iam bis intermissam atque redintegratam adiuuabant. In ea rerum asperitate Halis Leuanus, è Malacha Batica vrbe, qui ad Mahometis sacra defecerat, vir belli peritus, vtpote qui in Nauarri et Piscarij castris in Italia aliquot annis militasset, conuersus ad Hariadenum, eruptione, inquit, nobis est dimicandum, si arcem defendere, ac omnium salutem recentémque nominis tui dignitatem tueri egregiè volumus, si comminus enim collato pede manus conserantur, non ferent nostrorum impetum qui nunquam aciem verorum militum viderunt, inanisque audaciæ protinus pœnas dabunt, quum nec in seruitute nequissimi regis pacem pati, nec in ipso quietis ac otij limine, authores acceptæ libertatis grato animo ferre voluerint. Quum Halis sententiam ferè omnes laudarent, & in primis Moses & Agis viri fortes, quos custodia eductos fuisse diximus, atque item Haidinus Smyrneus, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, inter piratas longè fortissimus, comprobãte Hariadeno, & prælij signum dante, duabus portis erumpunt, circumuentos ab diuerso late re trucidant, insignis tribus in locis editur pugna, magna vis inermium Pœnorum interficitur, & ipse Mesuar glande traiectus cadit.

Tum verò ab oppugnatione discedit vnaquæq; tribus pulsa loco in suam regionem. Instante demum prementeq; Turca milite, in plateis et compitis cruento maximè prælio aliquot horis est decertatum. Ad extremum Tunetani superati, atque intra domos compulsi, cum non pro rege, sed pro vxoribus et liberis certaretur, inde Halis recepit suos, cæde, æstu siti & multo labore defatigatos. Ferunt ea die supra tria millia Tunetanorum desiderata, vulnerata verò ad triplum. In eo successu Mule asses desperatis rebus ingenti cursu se proripuit, comitante, protegenteq; Doracis equitatu: nam persequentibus Turcis, cùm in tumultuosissima fuga ægrè sese inter hortorum macerias explicasset parum abfuit quin in potestatem hostium deueniret. Donax superato Bagrada amne, in pacata loca suæ ditionis eum perduxit, non longè à Constantina vrbe, aluitq; eum liberaliter, & summa fide protexit, vsque ad Cæsaris aduentum Constantinam, vt literæ saxis ad mœnia incisæ manifesto indicant. Cyrtha Numidiæ regia olim fuit, distatq; à proximo mari litore vbi nunc tenue oppidum stationem habet nomine Collum, coloniaCullu antiquitus appellatum. Caterùm ea nox, quæ prælium & regis fugam secuta est Tunetanis pariter & Turcis insomnis fuit: actæ nanque summa cura vtrinque vigiliæ, dispositis in muro pariter & ad

& ad arcis exitus armatorum cohortibus sed dies pacem atque otium vtriq; attulit. Nam Pæni inter tot funera suorum & vulnera, vtpote qui satis improsperè virium suarum periculum fecissent, casu Mesuare, pacem quàm bellum malebant, præsertim cùm rex ipse pro cuius imperio ac dignitate certabatur, opibus atque animo fractus in solitudines effugisset, & id quoq; Hariadenus impetrare cupiebat, non ignarus eam quam habebat militum multitudinem, pertenui copia commeatus vix triduo in arce posse sustentari summaq; rei spem parùmque victoriam deuocari in apertum discrimen si Tunetanorum animi, desperatione veniæ, aut vindictæ rabie inducti, accitis vndique Numidis & Afris ad obsidendam arcem verterentur. Itaq; impetratis inducijs Hariadenus, solenni sacramento dat pacem & accipit, alloquitur vrbis primores, ostendit eo consilio se venisse, vt ciuitatem sauissima Mulea sis tyrannide liberaret, liberatamq; quantis maximè posset beneficijs atque muneribus augeret simul ac ornaret: qua benignitate Tunetanos sub longè maximi atq; optimi principis tutela, breui sperandum foret diuites atq; beatos ex egentissimis atq; miserrimis euasuros. Proinde id se vnum ab ipsis postulare, vt Solymano & sibi eius præfecto fidem seruent, & in ea libertate conquiescant, quam multo

suo labore & sumptu Deorumq; præsertim immortalium beneficio, potius quam ipsorum merito susceperint. Quòd si aliquando futurum esset, vt ipsius ac Turcarum imperij & amicitiæ Tunetanos pœniteret, & Roscettem omnino desiderarent, se minimè dubitare quin Solymanus regna vel Christianis dono dare solitus, si per legatos id peterent, eum in Africam concesso regno & regalibus donis aduectum esset transmissurus, sed etiam atq; etiam cauerent, ne eo cõsilio exitialis belli potius quàm tranquillæ pacis materiam quærere viderentur. Ad ea Abilchirinus, qui postea Mesuar est effectus, respondit non debere eum Tunetanis succensere, si vti ab omni annalium memoria regibus antiquæ stirpe editis assueti, eo electo qui tyrannidem per decem annos exercuerit, alterum qui æquitatis atq; iustitiæ fama floreret, sibi regem exoptarint, præsertim quũ is ab ipso classe aduectus & penè dono datus esse crederetur. Non mirum idcirco fuisse si in contumeliæ nomen commutatæ beneficij fama, ipsi vti fraude, aut certè opinione decepti, adeò insanire sint visi, vt vinci armis quàm dolo subigi maluerint quãdo ipsis atq; Mulea assi multò satius fuisset occlusisse vrbis portas, quũ externa classis Africæ litoribus appulisset, quàm incertis omnino rumoribus incautè credidisse. Proinde Tunetanos tanquam Fortunæ iudicio in deditionẽ acceptos, optimo iure paratos esse

iurare in verba Solymani, atque eo quidem æquiore animo, quòd pro egenti & in suis miseriis iniqua sorte iactato, longè amplissimum & felicissimũ terrarum orbis regem, nequaquam voto, sed præter spem arridente Fortuna, quòd Punico nomine bene verteret, essent consecuti. Compositis Tunetanis rebus, et creatis magistratibus, Hariadenus ante omnia operam dedit, vt Numidarum principes sibi fœdere ac benevolentia iungerentur, quod vbi largitione atq; muneribus apud homines egenos, & ad incundam dissoluendamq; amicitiam ab venali ingenio procliues, celeriter est consecutus. Asanagam eunuchũ genere Sardum, cui maximè fidebat, atque item Halim Leuanum, cum Ianizeris & tormentis aliquot curulibus ad recipiendas Africæ vrbes misit. Paucis q; diebus, nullo labore aperientibus cunctis portas, mediterraneæ pariter atque maritimæ vrbes deditionem fecere: vna omnium vrbs Caruenna quum se vetusta sacrorum religione, & sacerdotũ domicilio immunem ac liberam existimaret, aliquandiu restitit, sed victa excidij metu Turcarum armis facilè cedens præsidium accepit. Inde Hariadenus regiam nouis ædificijs exornare simul atq; munire orsus, septum in Cauedio, in quo Turcarum more pro tribunali ius diceret, instituit, conatusq; est multis seruilibus

operis

operis aperire nouas fauces, ac immittere per eas id mare, quòd à promontorio Carthaginis lunato flexu ad stagni munitiones extenditur. In eo litore geminæ sunt turres, ab aqua salisq; nomine à nostris appellatæ, vbi olim ille insignis Carthaginensium portus visebatur. Id opus ea ratione Hariadenus efficere contendebat, vt tuto, perampleq; & maximè expedito portu vteretur: nam Gadosæ admodum erant angustiæ, quibus Guletana turris ab ortu aduersæ continenti ligneo ponte committitur, ita vt triremes agrè humeris seruorum, & tractorijs machinis in stagnum impellantur & educantur. Ab his faucibus Pœni leuibus tantùm nauiculis, propter humilia Gadæ, ad vrbem Tunetũ adnauigant, videturq; id stagnum centũ ferè stadiorum diametro in orbem veluti circino circumductum, & id multo cœno multaq; vligine passim Gadosum. Cæterum id opus Aquilones facilè disturbarunt, inuecta scilicet aggestaq; continuis æstibus ac fluctibus arena: adeò, vt quum priscarum molium fundamenta reperissent, Hariadenus ne veteris portus quantumquam parum cõmodi iactura fieret, suadentibus piratis incepto absisteret, quum stagnum exiguo tempore expleri penitus atque obstrui posse videretur. His rebus, quæ in Africa gesta sunt explicatis, ad Persas (vti promisimus ex ordine temporum reuertemur. Sophus Hismael, qui apud Persas ab admirabili rerum gestarum felicitate magni cognomen promeruit, quum immaturo prorsus, nondum quatuor & quadraginta natus annos fato concessisset, quatuor reliquit filios, ex vnica legitimaq; vxore susceptos. Eorũ natu maximus totius imperij hæres extitit, nomine Tammas, ea conditione, vt reliquis fratribus regnorum præfecturas impartiretur. Hi fuerunt Helcas, Becramus, & Somirza, qui sortiti eas inter se, vti ex testamento patris adscribebatur, in pronincias suas concesserunt, Assyria, vrbsq; ipsa Bagadat, quæ Babylon Semiramis fuit, Helcasi cum Mesopotamia cessit, Becramo Media, Hiberis, & Albanis Caspióque mari finitima, Somirzæ Parthia obuenit, vicina Hircanis, qui Coraxeni hodie sunt & ad Zagataios pertinent, qui fuere antiquitus Arij Aracosij & Margiani. Hi sunt Sogdianæ, Bactrianæq; regionum populi. Ipse Armenia, Perside, & prouincijs Oceano Indico proximis contentus, idẽ quod pater Hismael odium aduersus Ottomannos induerat, & tum ægerrimè ferebat Selymum, qui penetrasset in Armeniam, & Calderanis in campis iusta acie victor apparuisset, quanquam non omnino inultum. Persarum inuictam antea vim, sagittasq; ipsas

ipsas, & acinaces euasisse. Persico siquidem imperio subiectæ gentes, quæ hodie vno nomine Agiamij vocantur, vsq; adeò turgentibus dolore animis eius Selymianæ irruptionis detrimenta sustinebant, vt aduersæ eius pugnæ memoriam renouato bello, redituaq; virtute abolendã esse decernerent, quòd antiquũ Arsacidarum decus illustre semper antea, vno eo accepto incommodo obtritũ planeq; obscuratum arbitrarentur. Is animorum habitus apud Persas viros militares, facilè inuenem regem & per se paternos gerentem spiritus, magnopere excitabat, vt Solymanũ sibi hostem destinaret, optaretq; nobilissimum bellum, quo ipsius virtus vindicatis paternis iniurijs enitescere posset. Sed Tammasum nonum iam regnantem annum, nulla alia exercuerant arma quàm Hircanorum, Zagatiarumq; gentium, quas diximus: nam penes hos ex professo diuersæ factionis, & vti interfinitimos bellicosos q; facilè accidit, apud quos armorum causa nunquam desunt, semina simultatum relicta ab Hismaele adhuc vigebant, vel hoc vno cognomento, quòd hæ gentes Cacepas à viridi capitum integumento vocarentur, sicuti Persæ ab initio ciuilis discordiæ, propter nouæ superstitionis causam Guselbasæ, hoc est, rubra capita appellari consueuissent. Verum ex his bellis ex multa fatigatione virium

rium vtrinq; enatæ inducias finem attulerãt, sic vt pacis compos Tammas, regnorum suorum tranquillitate frueretur, nec tamen à finibus vsquam Persæ, Gordiq; præsertim populi, latrocinijs abstinerent, & aliquando insolentius prouecti superato Euphrate è Mesopotamia in Comagenem irrumperẽt, vti antea Sulthanorum temporibus audere consueuissent. Gordos eos esse arbitror, qui vetus nomen adhuc retinent, & Gordianã regionem Ptolemæo notam incolunt, communi omnium opinione latrocinijs infames, quòd prædabundi ex notis impeditisq; regionibus, commeantibus illac mercatoribus crudeliter insidiantur. Cæterùm Selymi præsides, qui Syriacis rebus præerant, sæpius sibi inferri iniurias frustra questi, quum & ipsi tanquã violatis ab hoste induciis, arma expedirẽt, transuectique nonnunquã Euphratem circa Byrthã incursiones in Mesopotamiam repentinas facerẽt, sensim præludentes graui inchoando bello initia præbebant. Quibus rebus nunciatis Solymanus vehementer excitabatur, viriũq; suarum conscius, & paternæ felicitatis memor, elato animo Persicũ agitabat bellũ, indignaturq; se à Christianis regnis quibus inhiaret, importunè reuocari, quando Christiana arma lacessenti, fortiterq; audenti nunquam fortuna defuisset. Pari nanq; odio in nostros,

& Per

& Persas infensus, utrobiq; religionis causas expendebat: nam sicuti Christianos continentibus armis persequi maximè pium rebatur, ita si Hismaelis progenie, quæ nouæ sectæ, perueráq; opinionis circa sacras leges authoritatem tueretur, excindere atque delere honestissimum iudicabat. Eum itaque pari studio diuersissima bella meditantem, Habraymus qui incomparabili adeóque summa pollebat grátia inter purpuratos principes, frequentibus alloquijs impellebat, vt in Orientē arma conuerteret. Sed quoniam prapotentis, & iniusto immensa gratia sub pondere periturí hominis fœdum exitum posteris tradere iuuat, Habraymi conditiones & mores, paucioribus quàm potero verbis attingam. Is ignobili pago supra Pargam vicum Buthrociæ regionis in Epiro natus, more Turcarum præsidū, Christiani nominis puerorū delectus habentium abductus, Scanderbassæ à prima pueritia seruiuit. Hic ille est, qui truculenta irruptione superatis Natisone, Liquētia, Sonciq; & Tiliauento altissimis fluminibus, per Euganeos fines in conspectum usq; Venetiarum excurrit, tum fortè quum Venetus senatus, indignante Baiazete cum Gallis ad excidiū Sfortiani imperij cōiurasset. Apud hunc Scanderbassam Habraymus Mahometanis initiatus sacris, stupēda celeritate, vti erat argutæ inge-

ingenio Arabicè legere, scribereq;, & citharæ scitissimè personare didicit, & quod ad muliebres illecebras pertinebat, ingenio mirus, facetissimoq; sermone perjocundus, ita in gynecæo gratiam famamq; promeruit, vt productus ab vxore ad virum Scanderbassam, viri militaris naturaq; seueri animum, in omni munere teneriorus officij peracutus, & dicax, semperq; elegans oblectaret, idcoq; Solymano Selymi imperatoris filio, tanquam festiuissimi moris seruus dono mitteretur, viuo adhuc Baiazete auo, atque eo etiam iocundas garruli pueri præcoces delitias admittente sic vt cum Solymano ætate sibi æquali educaretur, & ad heri genium cunctis numeris elegantiæ responderet. Per hunc modum vnicè adamatus adoleuit, tantisq; arridentis Fortunæ suffragijs vsus, vsqueadeò enituit, vt eum cunctos aulæ gratia præueherētur, inter purpuratos legeret, eiq; defuncti Scanderbassæ filiam opulentissimæ hæreditatis, in matrimonio collocaret, Memphiticáque demum præfectura ornaret atque ditaret. Exinde Habraymus Hungarico bello totius Europæi equitatus magister, Belarbeci nomen obtinuit, & singulari prudentia virtutéque militiæ munia implens, vesiris inter purpuratos dignitatem, qua nulla maior dari potest, adeptus est, quum Solymanus honori-

bus adaucto, ei quoque regij scrinij sigillum tribuisset, & non modò consilij arcani participeps esset, sed voluptatum, horarumq; omnium comes aulam circumageret, & toto summæ authoritatis honore potiretur, ac in immensum crescentis potentiæ nomine, à cunctis aulæ ordinibus usque adeò eminenter coleretur, vt nemo iam esset, qui ei parendum esse non duceret, postquam eum tanquam consortem imperij vel graui cum inuidia, domi & foris amplissimi quique suspicerent. Hac itaque præclara gratia dignitateque validus, quam ei peregregiæ virtutes animi, & cunctarum aulæ artium officia paratis semper in omnes obsequijs adstruxerant, Solymanum secretis alloquijs hortabatur, vt postquàm Pannonia esset potitus, victoria sua modum imponeret, quando Germaniæ gentes, quæ omnibus seculis armorum gloria floruissent, minimè lacessendæ viderẽtur. Germanos siquidem amplitudine opum & virium, bellicaq; virtutis fama præpotentes sicuti lingua & moribus ab Hungaris differant, ita perpetuis etiam odijs distungi vt non magnopere curent de possessione Pannoniæ, satisq; pro dignitate sui nominis esse statuant si Noricus ager, qui ipsorum gentis est, communibus Germaniæ armis defendatur. Carolum verò Cæsarem, cuius longè maxima sit apud Europæos omnes

authoritas, minimè sibi armis lacessendum videri, quum è suis regnis pugnacissimarum gentium copias conscribere atq; educere queat, quandoquidem ad edictum Romani Pontificis honestissimo nomine, si sacrum (vt aiunt) bellum suscipiatur, immensa prope pecunia à pijs hominibus vltro contributa parari soleat. Quæ robora autem peditum atque equitum pro salute publica, vel tantùm ab ipsis duobus germanis fratribus cogi, producique in aciem possint, tum manifestè deprehendi potuisse, quum Viennam à nobis summis conatibus oppugnatam fortissimè defenderint: neque postea Carolus ipse nuper amplissimis atque lectissimis auctus copijs, vti apparuit, & Christiani omnes impense iactant, vniuersi certaminis aleam reformidarit. Sed quanquam illum præclarè inuitatum, si se ad pugnæ casum obtulisset, à te tanto imperatore, tantisq; instructo copijs, quod est etiam tuæ non dubiæ felicitatis, superari potuisse existimem: non dissitebor tamen de his gentibus sua more vndique ferro permunitis, victoriam non nisi multo nostrorum sanguine parari posse. Hæc vti reor, non ineptè admonere possunt, vt Christianos intestinis mutuisq; bellis implicitos cõsici sinas: nam attritis vsquequaque eorum viribus, paulo

post nullo nostro periculo certam in prædam nobis cedent, sic vt Parthicum bellum, Germanico anteferendū omnino iudicem, ob idq; præsertim quòd satis superq; ad Occidentem imperij fines protuleris, quos vsque adeò ad remotas regiones extendisti vt tam graue sit tueri parta, atque tutelæ tadio, & nobili quodam contemptu, quæ est generosi animi tui immensa liberalitas, alienigenis & semihostibus donanda censueris. Quanto itaq; magnificentius fuerit, si summum gloriæ decus affectes, tuis coniunctа finibus, ideóque facilè imperio tuo adjcienda, iustis armis petiuisse, scilicet vt impia abominataq; stirpis Hysmaelitas auito paternoq; exemplo persequendos armis, atque Asia exturbandos censeas. Erit enim Ottomannico nomini maximè decorum, si religionis causam, vti soles, egregia pietate respicias, & ad famam quoque incomparabile facinus, si detestanda superstitionis authores ex Asia te vindice conuellantur. Sed quenam vlla inferendi belli causa iustior atque nobilior videri potest, quā ea qua te propheta Mahometis diuina dogmata aduersus impios defensurum profitearе? atq; obiter maiorum tuorū perpetuos hostes, quod supremū Selymi patris votum fuit, vlciscendos atque delendos decernas? An hos feres

feres qui insolenter imperitent, & quemque finitimum suum hostem, suamq; esse prædam existimant, & te quoq; tuis contentū finibus occupatū in Europa & Asia planè quiescentem, furtiuis irruptionibus prædabundi prouocare atque irritare audeant. Nimirum qui vsurpcassans proaus immani latrocinio, legitimorū nobilissimorumq; antiqui sanguinis regum in sedem irrepserint, & rapto etiam nunc viuāt. Crede mihi imperator, si hanc tatius Asiæ labem pestemq; tua insigni pietate virtuteq; tollendam esse constituas, erigetur tibi proculdubio media in Perside trophæum incomparabilis dignitatis & amplitudinis, quod Selymi gloriā & triumphū vel æquet, vel superet. Mea nanq; sententia aliquanto nobilius erit atq; celebrius. Non enim tantundem est Mamaluchos cōditione seruos, & Sultanos agrestis superbiæ Syriæ, atque Aegypti regnatores iustis armis deleuisse, quàm subegisse Persas, fama rerū priscis seculis bello gestarū gloria inclytos, qui Alexādro Macedoni toties victi atq; perdomiti, Magni cognomentum attulerint. His frequentibus alloquijs in otio pariter atque negotio excitatus Solymanus vehementer impellebatur, vt ab Europa in Asiam vertenda arma decerneret, ob idq; Habraymus in arcano voti campos magnopere lætaretur. Is nanque iusti & æqui

natura tenax, quum vel Arabicis imbutus literis nunquam ex intimis animi sensibus à Christiana professione discessisset, tactus non dubia religione Deo Christo vota faciebat, ipsam Mahometis disciplinam & ad affectationem palàm ostentans, scilicet vt impotens tyrannus tantis subnixus opibus, à Christianorum principum odio commutata voluntate in Persas verteretur. Quod præclarè agnoscì poterat ex perpetuo atque mirifico in mercatores Christianos patrocinio, faucreque, quo multa lucra atque emolumenta ex vectigalibus, vel inuitis & indignantibus Turcis parabantur. Propterea compositè egerat cum Solymano, vt concessis decem annorum induciis, Christiani nominis principes omni suspicione Turcici belli, si Corone esset reddita, liberaret. Id maximè cupiebat Clemens, atque in eam rem sedulò satagebat: vt pote qui postquàm pacem in Italia peperisset, sibi etiam ad laudem longè honestissimum fore existimaret, si vera diuturnaq; tranquillitatis otium cunctis Europæ gentibus, ipsiq; in primis Italiæ largiretur. His autem impetrandis induciis, studium suum & diligentiam intenderat Aloysius Grittus, Andreæ Veneti principis filius, ipsi Habraymo ex quotidiana consuetudine intimus, atq; inde sensim Solymano mirificè commendatus. Hunc Clemens grauibus prom

promissis ac adhortationibus accenderat per Aloysium Gerardum Florentinum, Byzantij inter mercatores ciues ius dicentem, vt inducias impetrare niteretur. Promittebat autem Pontifex se Antonio ipsius Gritti filio, qui beneficio Ioannis Pannoniæ regis Strigoniensis antistes esset designatus, id opulentum sacerdotium liberali diplomate collaturum. Sed Cæsar eam de inducijs occasionem, peculiaris sibi commodi præuectus est, quum ex authoritate Ferdinandi fratris, Coronem redditurus esse videretur, vt illinc non ignobilis doni merito, Pannoniæ atque Austriæ pacem pararet. Res ita cecidit, vt priusquàm hæc Byzantij à Ferdinando offerri, & transigi possent, Hispani præsidiarij, ducis Mucicat clade exterriti, Corone excedere cogerentur. Quo casu nihil incommodius accidere potuisse Clemens disserebat, ita vt quæ postea insequutæ sunt à barbaris terra mariq; clades, obuenturas esse mihi hæc scribenti prænunciaret. Obtulerat prius Cæsar Coronem Christianis principibus, sed neque Pontifex neque Venetus senatus, neque Melitæ insulæ magister, qui eam in insulam cruciferos equites Rhodo pulsos transtulisset, neque ipse Franciscus rex præsidio tuenda, sumptu periculoq; deterriti, suscipere voluerant. Cæterùm Habraymus Mulearabem Damascenum sacrarum literarum ab-

ditissimarumq; artium & magicæ etiam diuinationis opinone Byzantij clarum, in Solymani amicitiam insinuarat. Vt per eum tanquam Vatem sperata Victoriæ, Solymanus magis ac magis accenderetur, frustrà eum contrarijs obtestationibus dehortante matre, quæ bella Orientis infausta Ottomannis esse prædicabat, quandoquidem Persæ suo more refugientes, absumptas incendijs regiones frustrà pugnam poscentibus relinquere, atque hostem acie congredi paratum intentissima fuga eludere consuessent, vt Turcæ qui manu superari nequeant, difficultate rerum omnium, atque inedia, sicuti Selymo patri vel acie Victori penè acciderit conficiantur. Maternis quoque consilijs Roxolana vxor teneriores preces addiderat. Ambæ siquidem multis nominibus Habraymi potentiam perosæ, vel ob id, quòd imperatorem longius abducendo, ab ipsarum complexibus diuellere contenderet, eum sæpius pseudoturcam, & ex animo Christianum per contumeliam appellabant. Sed hæc muliebria impedimenta facilè reijciebat Solymanus non obscura cupiditate maximi triumphi incensus, & præinsita magnis regibus vanitate in appetenda gloria vaticinatione. Mulcarabis facilè inflatus, qua in re persuadenda, mirus & efficax magister extiterat Vlamanes Persa, qui à Tammaso ad dicendam causam citatus, quòd eius milites apud Taurisium auarè seditioseque egissent, metu pœnæ ad Solymanum paucis ante annis transfugisset. Hùc enim virtute bellica illustrem, atque inimicorum æmulatione & inuidia circumuentum Habraymus fouendum attollendumque susceperat, sic vt Vlamanes Persico bello se fortem fidelemq; operam præstiturum profiteretur. Itaque Solymanus bona spe perpetuæ felicitatis, confirmato animo Habraymi consilia complectitur, vtrumque militiæ magistrum admonet vt Sangiachos excitis atque instructis omnibus ipsorum copijs ad signa vocent. Europæique omnes in Asiam trajiciant, & ad Nicæam inter se coniungantur. Luphtibeium autem cum parte copiarum in Peloponneso Coronem obsidere iubet, & ab se Aloysium Grittum in Pannoniam dimittit, vt ibi in procuratione regni Ioanni regi adsistat, détque operam vt rex in officio permaneat, Hungariq; proceres in fide contineantur, & quantum fieri possit in Germaniæ finibus pacem tueatur. Ipse ex sua superstitionis consuetudine votis pro victoria nuncupatis, in templo rite seipsum lustrat, & Vlamane Persæ itineris duce vsus, in Lycaoniam ad Iconium, quod hodie nomen retinet, progreditur. Non enim eò quò ierat Selymus pater, in Persæ eundum censebat, quum ille sinistrorsum per

Ancyram, Sebastam, & Amasiam, per Trapezuntios fines superato ad Arsengam Euphrate in Armeniam penetrarit, quoniam id iter multo longius & asperius putabatur, quã id quod ab Iconio per Cæsaream ad Malathiã vbi Euphratis per Antitauri valles erumpentis celebris est traiectus, quam vrbem antiquitus Amaltham fuisse, vt ex dimensione Ptolomæi constat, conijcimus. Hinc Mesopotamiæ Persarũ ditionis fines sese aperiunt, quos Solymanus sine maleficio præterrectus, pabulo, & venali commeatu, qui passim ab infirmis incolis præbebatur, contentus, quartis & quinquagesimis castris, ex quo è Nicæa Bithiniæ discesserat Coim peruenit (quod oppidum in Armenia maiore in ruinis Artaxatæ clarissimæ quondam vrbis conditũ fuisse alibi diximus) tanta Turcarũ admiratione, quòd nulla paulò validior Persarum manus occurrisset, vt Solymanus veritus insidias subsistere castraq; munire cogeretur, quum nondum fidelibus nunciis vbinam Tammas esset, & quid pararet, pro certo didicisset. Sed vlamane cum Alcanzarum equitatu præeunte, & ex notitia locorum diligentius consilia hostium explorante, reperiebat eam esse Tammasi mentem, vt nullo in loco diu consistere, verum vrbes deserere, & sese in montes subducere cogitaret, nulloq; modo iusta acie confligendum arbitra

arbitraretur, ratus expectanda Hiberorum, & Albanorum auxilia, qui leuis armaturæ operam præstare, & cataphractos Persas antecedere consuessent, vt ex occasione Turcas tanti itineris cursu fatigatos, & commeatibus indigentes, ac vti accidit, sub alieno cælo aduersa valetudine tentatos adoriretur. His rebus exploratis Solymanus castra mouit, rectà profectus in eam regionem, in qua Tammas copias cogere ferebatur, & cum cum deserta vrbe regia Taurisio vlteriorem montibus suppositam regionem petiuisse perspiceret, ita Taurisium nudatum mœnibus intrauit, vt continuò ostentatis tantùm copijs, nihilq; vexatis incolis egrederetur, & ad vrbem Sultaniam non multum inde distantem contenderet. Diximus alibi Sultaniam Persarum olim regiam, quæ adhuc vetustæ suæ dignitatis templorum ornamenta retinet, à Tamerlane Scytharum duce clarissimo fuisse deuastatam: quũ ad eam vrbem per multos dies regionis vbertate fretus, Solymanus statiua haberet castra, expectabundus vt Tammas è montibus descenderet, atq; in aciem prodiret, vt directæ prouinciæ iniurias vindicaret, & nominis sui famã nihil reformidato hoste tueretur. Eam regionẽ quã Solymanus non procul ab vrbe Sultania amplissimis occupabat castris, altissimi præcingunt montes, quorũ iugæ perpe

perpetuis obsessa niuibus, è longinquo etiã spectantur. Hi montes antiquitus fuere Nyphates, Caspius, Coathras, & Zagrus, orti procul dubio ab ipso patre montium Caucaso, connexis inter se longa & diuersa serie, latissimas dirimunt prouincias, & ad ortum solis per Zagatayos ita diffunduntur perpetua quadã catena protracti, vt ad Indicum vsque Oceanum, Malibarraq; regionis prominentem plagam se extendant. Hac in Cumerũ extremum Indiæ promontorium, non secus ac Italiam Apœninus dissecat, contra Zeilam insulam, florentissimum Indicis diuitijs emporiũ, desinit. Cùm in ea loca campis vtiq; ad edendam nobilem pugnam aptissimis, Tammas descensurus putaretur (is nanque in Coraxenos penitus abscesserat) turbidior & sauior tempestas quàm vnquam antea per id anni tempus Persæ meminissent, ex illis montibus descendit, vsque adeo inusitata, quòd esset paulò ante aquinoctium æstiuum, vt plenissimis imbribus, atque his concreta ex niuibus glacie, repentina hyems inuecta videretur. Nam certantium inter se ventorum ea fuit rabies, vt transuersis flatibus, niuosa montium culmina verrerentur, praaltáque nix subiectis campis incideret, qua horribili procella, Turcarum castra euersis tabernaculis sternerentur, iumentáque & ante alia magnus camelorum numerus interiret, & ingens lixarum, & agrorum militum multitudo oppressa, protinus extingueretur, nõ paruo etiã ipsius imperatoris periculo, quũ circa eum pleraque tentoria, eadem procella disijciente, cõcidissent: Cuius mali remedia iutempesta noctis tenebræ, & extincti passim ignes, ita præpediebant vt Turcæ eo aduersissimo omine magnopere terrerentur, donec orta luce, sol vtique præclarus, salutaribus radijs; multos propè rigentes & attonitos refouit, & quod ad reliquam vitæ securitatem opportune pertinebat, campos hoste vacuos detexit. Nam supra totum vsque adeò tantæ procellæ detrimentum, improuisi hostis aduentus, & incursus maximè timebatur, nec deerant qui affirmarent eum intempestiua vehementissimáq; procella turbinẽ, à Persarum hostium magis diro carmine, & notis genti cantaminibus cælo euocatam ad Turcarum exitium. Quo graui incommodo, & quod maximè efficax videri poterat, nõ leui ostento permotus Solymanus, recreato tantisper exercitu, & collectis vasis, castra sinistrosum mouit, capto itinere in Assyriam, multis de causis id suadente Vlamane, qui Solymano non dubiam spem occupandæ Babyloniæ iniecerat. Eã vrbem cum totius prouinciæ præfectura tribuerat Tammas, post Becrami fratris mortẽ, Muhometi satrapa, cui Cani cognomen fuit.

Hunc

Hunc Vlamanes vetustæ amicitiæ nomine saepius antea solicitarat, magnis oblatis muneribus, vt ad Solymanum desiceret: Id enim si faceret, ipsum pro annui, & circumscripti honoris præfectura perpetui atque opulenti dominatus, satrapiam esse consequuturum à Solymano, qui neq; rationem à præfectis exigere, neque eos vel mediocriter ditatos expilare consuesset, contraria ratione ac Persarum reges, qui nobilissimis prouincialibus perpetua non obscuræ seueritatis officia, tenuissimo stipendij munere obiecto, imponere essent soliti. Sed Mahometes his Vlamanis muneribus atque promissis incorruptus, nunquã adduci potuit vt fidem falleret, sic vt Vlamanes hominẽ obstinatum admotis armis terrendum, & ad defectionem cogendum arbitraretur, quoniã eum nequaquam firmis militum præsidijs munitum esse didicerat propterea quòd paulò ante, ad primos rumores traijcientis in Asiam Solymani, magnam partem sui equitatus, & desloratis quidem omnibus reliquis alis, ad regem id postulantem misisset, neq; eum egregia Babyloniorũ voluntate vti constaret, propterea quòd nonnullos ciues, quorum nomina non omnino certis criminum indicijs delata fuerant, seuerius in quæstionibus distortos, præcipitiq; demũ iudicio damnatos, vt bona in fiscum redigeret, vltimis affecisset supplicijs. Ob eas

eas res Vlamanes maiore animi fiducia Solymano confirmabat, si rectà Babyloniam ire pergeret, inexpectato improuisoq; aduentu, Mahometẽ facilè oppressurum, cessuramq; sibi Babyloniã nullo obsistente externo milite, & à Babyloniis alienatis iampridem animis, nullum moræ spatium facturis, quin venientem adapertis portis exciperent. Non defuit Fortuna Vlamani singula, vt accidit, probè diuinanti nam quũ magnis antecedens itineribus per compendia viarum raptato Alcanzarũ equitatu, nihil eũ morantibus fluuijs, vbi non procul à Babylone abesse renũciaretur, Mahometes qui nunquã ad se venturos Turcas putarat, rebus omnibus imparatus atq; deprehensus, animum despondit, & se per Mesopotamiã ad Bethlim deserta vrbe regia profugit, tanto Fortunæ arridentis successu, vt Solymanus nõ multò post à Babyloniis auidissimè propter odiũ in Mahometem susciperetur. Ea in vrbe clarissima Caliphæ sacrorum principis sedes est, qui à cunctis Mahometani nominis regibus excolitur, veteremq; obtinet prærogatiuam adoptandi, & ex certa coemptionis cerimonia confirmandi Assyriæ regis, sicuti Sultanos etiam Memphiticos recenti adhuc memoria à Saracone Comanorum duce repetita, qui Aegyptijs ante trecẽtos annos principatũ eripuit, vt vbi Mamalucorũ seruorũ imperiũ

conde-

conderet. Ab hoc Calipha Solymanus veteris superstitionis institutæ sequutus, insignia atq; ornamenta suscepit multaq; largitione propitiatis sibi Babyloniorũ primoribus. & populis item liberali congiario delinitis, ea in urbe antiquissima, propter Semiramis pensilúmque eius hortorum memoriã hyemare constituit. Amplissima nanq; est omnium urbiũ cogniti orbis, si priscæ structuræ mœnium ambitus rectis dimensionibus æstimetur: nam urbis Romæ magnitudinem exuperat. Sed in tanta vastitate videre est præter cultissima rura, et innumerabiles hortos adificijs coniunctos, atque item peramœna viridaria pomiferis, & odoratis consita arboribus. Visuntur etiam latissima arua, quæ ad segetem aratris proscindun tur, nec in ea sylua nemoraq; desunt, captiuis, & inclusis feris dicata, vt ad voluptatem præfectorum atq; primatũ, iocunda atq; expedita venatio suppeditetur. Mediam urbem interfluit Euphrates, lapideo sumptuosi operis ponte iunctus. Is à confluente Tigri amne ità suis atque alienis crescit undis, vt maioribus etiam nauigijs vsq; ad Oceanum Persicũ tutissimè pernauigetur. Nam apud Balzaram emporiũ, quod est in insula Teredonis nomine antiquitus vocata quã bicornis amnis efficit, mercimonia, & cõmeatus omnis generis excipiuntur, quotidianaq; nauigatione ad Ormutium

tium freti Persici urbem, & insulam deuehuntur. Vtranq; autem ripam profluentis frugiferis arboribus atq; sinetis esse consitam constat, cæsligato non secus alueo, ac Rheni per Germaniam descendentis, miro passim cultissimorum litorum ornatu conspicimus. Babylonij in vniuersum, quanquam Syris & Arabibus sanguine permixti, eũdem ferè colorem, staturaq; habitum, & ciuilium morum consuetudinem, ac nostri homines præferunt, quòd eodem quo nos fruantur cælo, & sese excolant literis, & à reliquis barbaris captu ingenij, atq; humanitate plurimum distent, mercaturam solertissimè exercent, earũ præsertim sericæ telæ textrinis. Verùm nobilitas equestris militiæ studio tenetur, sagittisq; maximè gaudet. Ac fiut aliquando tempus, quo è Babylonia accepta ab Indis aromata, Asiæ mercatoribus diuenderentur, quæ ætate nostra per Arabicum sinum Alexandriam deuehi videmus, quanquam multò maxima pars, Lusitanis classibus ab Indis per incognitum paulò antea Oceanum Aethiopici litoris in Occidentem deferatur. Cæterùm quæ ab antiquis scriptoribus de Babylonijs pensilibus hortis, regiaq; admirabilis structuræ, crassitudine q; mœnium referuntur, nequaquam sunt extra fidem, nam horum ingentium operum præclara monumẽta adhuc extant. Exurgit siquidem prætorium regalis amplitudinis

instar arcis, editiore urbis parte, quæ orientis solis radios excipit, & præterfluentem despectat Euphratem, mœnia quoq; partim lapide, coctiliq; laterculo constructa, vel lacessente atque absumente vetustate, priscæ opulentissimorum regum magnificentiæ testimonia reliquunt. Tanta verò propensione Mesopotamia, Assyriaq; urbes Solymano deditionem faciebant, vt ad eum qui sine vulnere tãta potitus esset victoria, vsq; à Balsera emporio, quod est ad ostium Euphratis in Persicum sinum erumpentis, legationes venirent, & Mesopotamiæ ad vnam ferè insignes urbes Caramida, Meredinum, Orfa, & Asanceſa, Turcarum præsidia acciperent, et per totius Babyloniæ provinciæ oppida, Turcæ milites in hybernis constituerentur. Nam præter copias, ex Europa atque Asia minore in eius belli expeditionem perductas, etiam tetrarcha cum Memphitico Bassa, qui sunt eius Sanzachi Alexãdriæ, Iudeæ, Syriæ usque Syriæ, & Comagenæ, ad imperatorem peruenerant. Per totam autem hyemem magnæ celebritatis spectacula edita sunt, acciditque vt hisdem ferè inchoati iam anni Saturnalitijs festis, diuerso ritu Carolus Cæsar ex Africa victor, Neapoli equestres ludos ederet, & à Solymano Assyria & Mesopotamia regnis potito, apud Babyloniam festa hilaritatu, diuersiq; apparatus spectaculi celebraventur.

Cæterum

Cæterùm Solymanus recreatis per hyemem copijs, nunquam instaurandi atq; exornandi exercitus, Persiciq; belli curam remiserat, vtpote qui Tammasum redintegrato impetu inuadendum decerneret. Habraymo atq; Vlamane idẽtidem vt Fortuna vteretur suadentibus. adductus quippe Aegyptiacis & Syriacis copijs, in spem veniebat Tammasum ex Hyrcania montibus ad pugnam conserendam in patentes campos posse elici, & si id metu occupatus abnueret, ad grauissimam Persici nominis contumeliam, velati exprobratæ ignauiæ, Taurisium regiam ipsius urbem in oculis occupari atq; vastari. Igitur adulto iam vere, è Babylonia profectus, ducẽte Vlamane per idoneas regiones, ad Taurisium iter intendit. At Tammas, qui Solymano apud Babyloniam hyemante, Taurisium redierat, vt qui hostem reuersurum minimè credidisset, cognito eius aduẽtu, vti imparatus, & vetere suo innixus consilio, ne vsquam acie confligeret, in Coraxenos iterum se recipere instituit, certas tantum suorum manus passim relinquens, quæ sese persequentibus hostibus ostẽderent, & montiũ vallium q; notas angustias tuerẽtur, obseruarẽtq; eorũ itinera, nec nisi ex insidijs & carptim insequentiũ hostiũ agmina, abruptis & iniquis locis lacesserent. Eo modo recedentẽ, & aliquot dierũ itinere prouectũ Vlamanes frustra perse

quutus, & per captiuos incolas exploratis Tamasi consiliis, vti iussus erat, ad Solymanū rediit, suásitq; ei, vt Tauriſiū deflecteret, & confeſſione hoſtis retro per aſperos mōtes fuga elaberetur ſeſe victorem oſtēderet, ex vſuq; victoria eius regia potiretur. Itaq; Solymanus indignāte animo, eoq; ad quādā ſuperbi contēptus iracundiā concitato, quòd nuſquā Perſæ, vti maximè cupiebat, ad iuſti prælij occaſionem ſe offerrent, Tammaſumq; ipſum in aſperas maximeq; ſteriles, & frequentibus rupibus impeditas regiones abſcedentem, conſequi poſſe deſperaret, ſecus ac ſuperiore anno fecerat, Tauriſium quod nullo præcinctum eſſet muro, hoſtili irruptione inuectus eſt, miſeros incolas magnis affecit detrimentis, quāquam inermes eſſent, ideoq; victoris imperium ſe paratos ſubire demiſſe profiterentur. Nam milites contineri nō poterant, tametſi à cædibus temperarent, quin ſingulas domos inuaderent, & vbi lubebat, cuncta libidinis atq; rapinæ licentiam exercerent. Ante omnia autem Solymanus Viſſumcaſſanis atq; Hyſmaelis ornamenta ex regia, quam antea Selymus properāter deformarat, tolli iuſſit ſic, vt nec picturis quidem, & auratis laquearibus parceretur, & integras quaſdam familias telæ ſericæ opificijs celebres, abducendas iuberet magnumq; ſeruorum numerum & delectæ iuuentutis ætatis & formæ, omnis

omnisq; ſexus, diſceſſurus comprehendi & abduci ſineret. Neq; enim ſe tutò in ampliſſima vrbe, occupatis & diſperſis ad prædam atq; libidinem omnibus fere copijs, diu conſiſtere poſſe iudicabat, quòd Tammaſum Hiberorum et Albanorum auxilia accerſiuiſſe, cataphractorumq; validiſſimas turmas è Parthis, Mediſque & Armenijs coegiſſe nūciaretur. Quamobrem Solymanus hac illuſtri occupatæ atq; direptæ Perſarum regiæ, ad nominis famam laude contentus, circa æquinoctium motis caſtris in Meſopotamiam eſt reuerſus, vixq; Coim, et Calderanos cāpos paterna victoria claros præterierat, quum inexpectata Perſarum agmina abeuntes hoſtes in tergo laceſſere, impedimenta diripere, fatigatos & ægros trucidare, nunciatum eſt. Crebri quoq; rumores totis caſtris permanarant, ipſum Tammaſum auxiliaribus confirmatum copijs breui affore, qui hiſdem veſtigijs Armeniæ prouincia decedentes hoſtes perſequeretur. Quod à Turcis ideo facile credi poterat, quòd iam ex opportunis vallibus frequētes Hiberorum alæ, prædandi atq; inſidiandi cauſa ab certis locorum & temporum interuallis ſeſe oſtentarent, notiſq; euadentes ſaltibus, tanquam confiſi impeditis regionibus, audacter pugnaturi viderētur. Qua hoſtium audacia permotus Solymanus, eo ordine profectioni intentus, ſingula agmina ex-

peditis præsidijs cõfirmãda statuebat, vt è duobus Aegypti Syriaq; præfectis, quos Bassus honoris causa vocabat, alterũ in nouissimo agmine cõstitueret, alterũ verò ad ipsa medij agminis latera, partitis vtrinq; copijs applicaret. Vlamanes porrò, vti locorũ & hostium peritus, sicuti eorum incursus deposceret, prouidendo atq; adhortando omnibus in locis versaretur. Ad hanc præstandam operam, quum amplius quadraginta equitum millia essent cõstituta, circiter duo etiam millia sclopettariorum ex numero prætorianorum, qui vniuersos incedentium agminum ordines corona quadam circumseptos tuerentur, erant instituta, qui maioris etiam præsidij causa curules paruos aliquot falcones conuehebant, vt è longinquo insultantes & prouectos hostes dissoderentur. Quibus præsidijs aptè constitutis, facilè fiebat, vt Persæ minus audacter erumperent, varijs se darent in conspectum, & remissiorem quàm antea impetum facerent, vtpote qui falconum globulis, & sclopettorum glandibus magnopere terrerentur, sæpeq; pugnam ciere ausi, cum detrimẽto, equorumq; præsertim repellerentur. Per hunc modum tripartito exercitu rectà ire pergens Solymanus, nusquam conspecto hoste, ita iter intendit, vt emensis camporum spatijs, cum primo agmine antecederet, et nondum exacto autumno Amidæ cõsistere, atq; ibi

ibi reliqua suorum agmina opperiri statueret. Amidã hodie frequentissimã Mesopotamiæ vrbem Caramidam incolæ vocant, hoc est cognomento Nigram: quòd pingui et subatro solo, ad fertilitatem segetis aptissimo, arua nigerrima passim ostẽdat. In ea vrbe Christianorum templa visuntur et sacra turres à Baldouino Hierosolymitani regis fratre condita, qui eam vrbem peculiari virtute captam suæ ditionis fecerit, quũ Gothifredus frater Hierosolymis imperaret. Interea Tammas iustis comparatis copijs è Coraxenorum montibus erumpens, Taurisium repetit, ratus hostem Turcarum vrbanis delitijs hærentem, repentina irruptione oppressum iri. Sed eo elapso, & inspectis eius ciuitatis incommodis, ad iniuriã deformata regia vehementer indignatus, statuit eũ omnino quocunque iret persequendũ, & ad Coim vsque progressus est. Ibi verò mutauit consilium, quòd multo spatio Solymanus antecessisse nuntiaretur, & nobilitas omnibus grauibus præsecta armis, nisi certo cum equorum detrimento fugientes persequi non posse confirmaret, & se in vsum conserenda tantùm pugna, non ad longinquos cursus, institutos & paratos esse diceret, Tammásque ipse, remissa vtiq; iracundia, ad disciplinæ rationem reuersus idem fateretur. Tum verò pollicente præcipuo atque fortissimo satraparum Delimen-

the, se nouissimum agmẽ adepturum, si sibi expeditorum & delectorum ab se equitum tertia pars tribueretur, præferocem resumpsit animum. Erat Delimenthes ò Caramania oriundus, qui inter pugnacissimos tantam virtutem & animi magnitudinem in prælijs ostendere erat solitus, vt non temere insanus ab inusitata temeritate Delis vocaretur, quod nomen hodie apud Turcas strenuissimis, & vitæ contemptoribus imponitur. Ab ea pollicitatione Tammas Delimenthem multa cum laude commendatum, oneratumq; amplissimis promissis, bene auspicatò dimisit, tenuitq; ille confestim nota indigenis viarum compendia, ea festinandi celeritate adhibita, vt hostes postremi agminis non magno itineris antecedentes spatio, apud Tauri montis radices (vti euenit) ad Bethlim se assequuturum confideret. Bethis oppidum est satis clarum in finibus Persici imperij, quibus M. Sopotamiam attingit, positum in valle non iniocunda, quam exiguus amnis ex Antitauri iugis delapsus alluit, habetq; arcem Persarũ præsidio custoditam. Ad id duo, quos diximus, Turcarum præfecti cum postremo agmine ductante Vlamane peruenerant, ratiq; cũcta se euasisse pericula, quæ paulò ante à vi crebrisq; hostium incursionibus timuissent, ido neo in loco cõsederant, recreandis iam tandem copijs, postquam Solymanum, atq; item secundum agmen Amidam peruenisse fama constaret, neq; ideo insequuturos Persas suspicarentur. At Delimenthes fidelibus & diligentissimis incolarũ exploratoribus vsus, quũ nõ plus vnius diei itinere ab hostibus abesset, certior factus Turcas ad Bethlim fessos itinere, timoreq; omni vacuos, nulla prope cura vigiliarum & stationum septos considere, deligit obscurissimam noctem, multaq; etiam pluuia impeditam, & hostes adoriri constituit, certiorem fecit custodã Bethlinæ arcis de consilio quod agitabat, vt & ille signo accepto ab arce descendens, diuersum in hostium castra impetum faceret. Tanta autem fuit atq; adeò felix temeritas Delimenthis, vt ipso ingruente, consopiti & nihil tale timentes Turcæ vndiq; opprimerentur, ingensq; eorum cædes fieret, & ipsis penè Bassis ad insternendos & conscendendos equos spatium eriperetur, nec in tenebris summiq; periculi tumultu prætoriani pedites, sclopettos expedirent, & curulia tormenta caperentur. Persis autem sese aggregarant montani agrestes, qui superioribus temporibus Aladolo regi paruerant, eóque debellato, summa à victoribus Turcis fortunarum detrimẽta acceperant. His castrensis apparatus omnis, & sarcinæ camelorum in prædam cesserunt. Delimenthe verò vsquequaq; cõcidente Turcas, alis quot Sangiachi resistere ausi obtruncati sunt,

nonnullis deditionem fecerunt, & pratoriani, iam Bassis ambobus cum Vlamane è media clade elapsis, circiter octingenti cohortante eos Delimenthe, vt se sub fide dederent, exuti sclopettis & reliquis armis in potestatē concesserunt. Ferunt nusquam Turcis maius incommodum, vel cruentissima acie fuisse illatum: quandoquidem amissis tormentis atq; tentorijs, omnibusq; spoliatis castrensibus vasis & impedimentis, supra dimidiam partem equorū amiserint. Incidit ea clades Turcis ad tertiū Idus Octobris, qui dies ingenti Persarum omnium latitia postea celebratus est, quum Delimenthes onustus spolijs, & cruentam clauam, qua ea nocte mactandis hostibus plurimum vsus fuerat, elata dextra ostentans, ad Tamma sum redijsset. Ea verò clades tanquam è naufragio euadentibus præfectis Solymano renunciata, vsque adeò eius animum concussit, vt omnem renouādi contra Persas belli cogitationem abijceret, quòd id acerbissimum vulnus sicuti prædixerat mater ipso Mulearabe certior vates, nequaquam virtute hostium, sed dolis, velut superis eorum insidijs non obscurè fauentibus, inflictū accepisset, atq; obiter profundè et dissimulāter iratus Habraymo Byzantiū redeundū esse decerneret. Redeunti Solymano ad Icouiū, obuij fuerunt Hariadenus Barbarussa, et Siras cognomēto Indaus, qui nuper ab Algero cum

cum reliqua qua supererat classe Byzantium peruenerant, terrestreq; iter susceperāt, vt de parta Mesopotamia Assyriaq;, imperatori coràm gratularentur, & vt (quòd eorum existimationis intererat) quo euentu tantam Christiani belli molem, & ipsius Caroli præsentis impetum sustinere conati, ex summa rerum iniquitate elapsi fuissent, certius enarrarent, facilè demonstrantes, neque Turcis virtutem, neque sibi ducibus industriam, sed vnam omnino, quæ humanis consilijs bellicisq;, præsertim impotenter dominaretur, Fortunam defuisse. Clementi cultu eos accepit Solymanus, atque ita ad pedes proiectos erexit, vt testaretur aliquanto esse præclarius ab infracti animi constantia, quam à felici victoria successu laudem tulisse, quòd innatæ fortitudinis, inuictiq; animi munus peculiaris ipsorum virtutis specimen extitisset, nec multum referre si vel bene consulta vti multis subiecta casibus Fortuna præuertisset. Proinde eodem animo quo tulissent aduersa, eiusdem Fortuna indignationes expectarent, ipsum enim innixum potentia felicitateq; perpetua suarum actionū maturè daturum operam, vt sarciendi incommodi spectataq; iam ipsorum virtutis latius extendēdæ locus daretur. Applicantē verò confectis itineribus ad Bosphorū, vt Byzantiū traijceret, Habraymus qui anteceserat, litus ei honoris

honoris causa triumphali serico strauit, atque ita bireme peculiariter adornata, sublatus in oppositos septæ regiæ hortos se intulit. Tū uero multis de causis in Habraymum atrox inuidia sensim erupit, immodicæ eius potētiæ seua comes sic ut in arcano apud principē tota eius gratia cōuellerctur, ingenti cōspiratione multorum procerum, qui uel æqualē uel inferiorem rebus omnibus, unum ante omnes gratia eminentem ferre nō poterant. Ea fatalis odij semina à fœminis, matre scilicet atq; uxore iacta fuisse constat, quæ imperatorē ad nutum Habraymi circumagi flectiq; pro libidine tā impotentis serui, indignum esse dictitabant, mater quidem quòd filius aduersus auguria Persici belli periculis obiiceretur, cuius prouincia bella maioribus abominata semper fuissent, usque à superioris Baiazetis memoria, in quem à Tamerlane clades diræ calamitatis incidisset, & recentibus etiam Vssumcassanis & Hismaelis exemplis, quorum prælia nunquam nisi detrimentosa uel victoribus Ottomannis fuissent experti: Rossolana uerò quæ coniugē delinimētis quibusdam atq; adeo etiam philtris uxorium fecisset, uel ob id Habraymū oderat, quòd Mustapham priuignū, uti ex liberis natu maximū impensissime coleret, atque ei imperatorios honores adaperto studio intēpestiuè deferret. Id enim Rossolana muliebri libidine accensa, Baiazetem filium nefaria præuaricatione Mustaphæ anteponere cōtendebat, ut certus imperij hæres & successor si fata Solymano uitā abrumperent, Ottomannicæ domui pararetur. Propterea, priuignum longè ablegandū in Cappadociā curarat, ne ad inuadendā paternā sedem, si pater uita excederet, è proxima Magnesiæ præfectura celeriter adesse posset. In id consiliū occultæ largitione solicitabat prætorianorū principes, quos ad id audendū facinus idoneos rebatur, exēplo Selymi, qui postremus regiæ prolis, fauore prætorianorū maioribus natu fratribus regnū præripuisset. Verum ambitiosæ mulieris peruersæ artes, una Habraymi diligentia atq; authoritate turbabātur. Is nanq; quod rectū esset, naturaq; muneris, atque inueteratæ consuetudinis, Solymano erga filios æquissimo patri probari intelligebat, tametsi uxoris molliores preces nonnunquā illum inflecterent, ut eadem quæ ipsa cuperet: quanquam absurdi iuris, quàm quicquam aliud æquius & iustius malle uideretur. Caterum totam Habraymi existimationem, non obscura fama magnopere prægrauabat, odiosa Turcis, quòd Christianos adaperto studio complecti foueréq; diceretur, nonnulla siquidem extabant indicia corrupti eius animi, quòd Venetis largitionibus parata in eos, et Austria-

muliebr

nos fratres arma, ad Orientem conuerterit, gratificaretur q3 ea in re Carolo Cæsari, cui dudum Venetus senatus icto nouo fœdere sese cõiunxisset, scilicet vt maritimis opibus potentia Cæsaris augeretur, singulari damno atque periculo Ottomannici nominis. Habraymus quoq; per eos dies Marcum Nicolai Venetum egregiũ mercatorẽ, qui ab Italia mutatis ad celeritatẽ iumentis, ad eum Babylonia agentem cũ secretis mandatis ac literis percurrisset, reduũ setq3 senatis non temere paulò post hũ de ipsius perfidia suspicionibus, Byzantij pro speculatore cõprehendi, noctuq3 ingulari, et in mare proijci iusserat, scilicet vt detegẽdo crimini certius indicium tolleretur, nec inde tutius institutæ atq3 obitæ legationis causa iudicio nosceretur. Paulò ante siquidẽ Turcæ solito suspicaciores facti, Andreã Quirinũ patritium Venetũ, apud Alepum in Comagene clarum mercatorẽ, teterrimo supplicio affecerant, quòd Caroli Cæsaris legatũ, nomine Robertum, natione Britannum, in Persidem ad Tammasum penetrantẽ iumẽtis, ducibus, atq3 pecunia iuuisset. Destinabatur enim Cæsar Solymano post Tãmasum debellatũ, vsq3 adeò procul præcipuus hostis qui cũ Persis amicitia & fœdus agitaret, vt per eum Tammas maiore tormentorũ apparatu iuuaretur, suppeditantibus è finitima India Lusitanis, qui se propter

propter odium Turcici nominis, Persarũ amicos & socios, quum expediret, fore profitebantur. His tantis circumuentus insidijs Habraymus, & concepta perfidia reus factus, mense Martio circiter Idus, superiore consuetudine, quum admitteretur in regiam, nusquam postea comparuit. Ferũt eum seueriſsimè obiurgatum fuisse à Solymano, quòd summis honoribus auctus, & dignitate sibi ferè æquatus, ingratiſsimo animo summa amplitudinis beneficia, nefario scelere corrupisset. & meritã vitæ exitus pœnam deprehensus inueniret, neq3 Solymanũ vllis iacentis ad pedes lachrymis ad misericordiã flecti potuisse, cum interceptas quasdã eius literas immiti vultu oſtẽderet, & an signũ agnosceretur ferocibus verbis identidẽ interrogaret. Eadem autem quæ sequuta est nocte, in cubiculo per eunuchũ carnificis munus obire solitum, in puluino dormitans cultro adunco, quod de manu imperator tradiderat, iugulatus est. Ferunt Habraymũ quum summa Solymani gratia potiretur, familiari sermone aliquando postulasse, ne se tantis honoribus onerare contenderet, ne demum amplitudine odiosa supra aquũ florentem, è gradu tanquam è fastigio summæ Fortunæ præcipitẽ dare, atq3 occidere necesse haberet, fidem verò in ea verba ita principẽ dedisse, vt nunquam eo vivo vitam erepturum pollic

polliceretur, sic vt ea inanis iuramenti religione obstrictum, ne datam falleret fidē non aliter quàm altè sternenti necē intulisse, quoniam Talismanes sacerdos, diuini interpres iuris, dormientē nequaquā censeri inter viuos, cum vna vigilia totius vitæ actus cōstaret, asseuerasset. Occisum an spectarit, diris q; persequutum execrationibus cadauer multo pondere appenso mari mergi iusserit, vt nonnulli disertè cōmemorant, nihil ad historiam pertinet. Oborto certè sole quæstores supellectilem atq; pecuniā eius omnē in fiscū retulisse constat, ita conturbatè, raptim, & diligenter, vt nihil ferè præter dotem miserrimæ vxori relinqueret, & euulgata Habraymi nece, extemplò tanquam iure damnati nomē populus probrosis carminibus & vocibus laceraui t, statuasq; impetu statuas, quas ille ex Hungarica victoria trophæi instar ante domum suam in hippodromo collocarat, coniectis lapidibus ita deformauit, vt etiam veluti priscarum gentium, & numinū inania simulachra, turpissimo cœno defœdaret. Hunc vitæ potentiæq; suæ exitum tulit Habraymus, quo nemo eorum vnquam antea, qui maximorum regum gratia potentes euaserint, ad exemplum illudentis Fortunæ ante obitum fortunatior atq; felicior fuit. In eius locum Vesir cooptatus est Aiax, et Barbarussa propter rei naualis peritiam

tiam Amiras declaratus, purpuratorumq; collegio additus: Foresti us autem Galliæ regis legatus, qui paulò antea Habraymi operæ fuerat dimissus, ne discederet admonitus est imperatoris iussu, quòd postquā Habraymus notæ perfidiæ reus pœnas dedisset, ad veterem diuq; antea institutam Europæi belli cogitationem, vti euenit, opportunè reuerteretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XXXIIII.

ANNVS longè omnium ætatis nostræ secura domi pace, mira cæli clementia, latoq; passim agrorum vbertate, & Punica victoria insignis, Pauli tertij Pontificatus initia nobilitauit. Nam Leone decimo ad iniuriam humani generis immatura morte surrepto, qui luctuosa demum Hadriani, Clementisq; tem-

pora euaserant, se tum primùm natos credere salutem fortunasq; suas in tuto positas arbitrari existimareque expiatis tot cladibus inuectã esse aurei seculi felicitatem. Ipse Paulus in administranda republi. illustri quodã in speciem diuersarum virtutum temperamento, ita Pontificis simul & principis nomen tuebatur, vt in omni consilio singularis pietas emineret, nec tamen obscura esset amplificandæ suorũ potentiæ voluntas. Nam ante omnia quod in rem magnopere expediebat, se neque harum neq; illarum partiũ sed communem omnium parentẽ futurum profitebatur. Propterea nequaquam adduci potuerat, vt id fœdus renouaret, quod Bononiæ Clemẽte, Cæsareq; autoribus pro tuẽda Italiæ pace, haud obscurè ad arcẽdos Gallos percussum fuerat, quum ab vtroq; aliquod fortuna sua dignum munus expectaret. Quin & concilium toties a Germanis, ad terrendos Romanos Pontifices efflagitatum, à quo grauissimis de causis Clemens diffugisse videbatur, vltrò se appetere, & ad id locũ tempusq; decernere paratum esse prædicabat, vt vno nobili salutariq; decreto, ea vetus controuersia finiretur quæ in immensum, & placita Christianæ religionis, & summorum Pontificum authoritatem, insano quodã errore lacerasset. Missũ quoq; pro tuenda sacrosanctæ nominis dignitate, tute, qua priuatæ spes tegerentur, in Galliam & Hispaniam legatis assiduè dabat operam, vt Franciscus vno consensu ad oppugnandos Turcas cum Carolo Cæsare iungeretur. Cæperat enim esse formidolosus tum ipsi Siciliæ atque Sardiniæ, tum etiã Italiæ Hispaniæq; litoribus Hariadenus Barbarussa, opulẽtissimo Africæ potitus regno, immensisq; Solymani opibus, ac ingẽti eius classe subnixus. Sed quãquã eximia esset Pontificis authoritas apud Gallos, nihil tamen quod ad conferenda auxilia pertineret, impetrari potuit. Franciscus enim, vti erat animo excelso apertoq;, amplitudinẽ & felicitatẽ Cæsaris ferre nõ poterat, vtpote qui adeò acerbè mulctatus ac Italia pulsus, donec amissum Galliæ decus recuperaret, nequaquã in ea, veluti parũ honesta, vel indecora pace quieturus esse videretur. Quicquid enim tot casibus aduersa fortuna rapuisset, id totũ iniquo iure, & sæua rerũ cõditione sibi ademptũ esse existimabat et eo quidẽ animo, vt nõ obscurè Mediolanũ Genuãq; repeteret. Id si Cæsaris æquitate, & Pauli intercedentis studio cõsequeretur, nõ modò nauales terrestresq; copias Cæsaris opibus adiũcturũ, sed ipsum quoque ad Turcicum bellum alacriter vti legatũ aduitoremq; Cæsari, quò iuberet esse profecturũ. At Carolus qui antiquissimo superiorũ Augustorũ iure per manus

tradito, singulos ferè totius Italiæ principatus ad sè pertinere arbitrabatur, & Marte iudice ad arbitrium regulis, & liberis ciuitatibus leges dederat, indignabatur ea à Gallis per obliquas querimonias repeti, quibus disertissimè ex fœderum tabulis excessissent, præsertim quum ipse dudum in gratiam Clementis Venetiq; senatus, imperijs vrbium antiquis possessoribus liberaliter adiudicatis, & insigni pace constituta, non sine præclara æquitatis & abstinẽtiæ, moderationisq; animi laude exercitus deduxisset, qua in re etiã plurimum Gallis esset gratificatus, qui nihil magis cupere, postulareq; essent soliti, quàm Veteres Hispani, Germaniq; milites Italiæ assuefacti dimitterentur, quorũ præsidio ipsius potentiam & existimationem magis ac magis cõfirmari ac amplificari maximè iudicassent. Is erat animorũ habitus in duobus longè maximis Europæ regibus, nequaquam adeò obscura contentione dissidentibus, vt amicitia, quæ inter eos publicis tantùm fœderibus, legationumq; officijs, & quadam affinitatis imagine sustentabatur, aliquando in apertã odia & funestum bellum euasura crederetur. Meminerat Cæsar superiore anno Germanos aduersus Ferdinandum fratrem Gallica pecunia fuisse concitatos, qui duce Lantgrauio Virtembergensem regulum tunc exulantem pulsis Austriacis copijs, in Stocardiam paternæ ditionis oppidum reduxissent. Tum verò certis rumoribus asserebatur euocari in continentem ipsum Britanniæ regem, qui insano nefarioq; scelere, Catharina vxore legitima, thoro & penatibus expulsa, pellicem in matrimonium duxerat, & reginam appellari iusserat, vt colloquio habito, & subinde consociato sibi Carolo Gheldrio Menapiorum & Sicambrorum principe, Belgicas vrbes inuaderet. Erat quoq; fama Henricũ Nauarræ regem, cui Francisci regis soror antea nupserat, paratis copijs, si bellum alicunde erumperet, veluti occupato Cæsare in Cantabriam peruasurum, Constabat etiam quæstores Gallos in proximis Heluetiorum conuentibus magnas fecisse largitiones publicè, & priuatim singulis pagis, & notis centurionibus. Nec Massilia naualis apparatus intermittebatur, atq; item ad Oceanum Armoricũ, vbi magno sumptu stupendæ magnitudinis onerariã nauem, & pleraq; alia in bellicos vsus fabrefacta nauigia ædificarat. Ad hæc Franciscus nouo, aut certè à maioribus intermisso, & eo quidem nobili consilio, septẽ legiones Romana disciplina instituebat, ne sibi semper vel in repentinis belli casibus, peditatus ab externis gentibus mercede foret conducẽdus. Nã Galli peruantiqua consuetudine, in vno præcipuè

equitatus studium, spesq; omnes, & nominis gloriam reponere erant soliti. Sed vbi per frequentes sclopettarios, Romanoq; more peditès bella geri cœpta sunt, in prælijs nulli propè vsui equites esse compertū est propter equorum grauiora vulnera, et densatas hastatorū phalanges, quas nulla vis equitū, vel æquato ferè numero facilè perrumpat. Ea legiones ex delectu exquisito septē Galliæ prouinciarum scribebantur, vt vndiq; certa parataq; essent præsidia ad sustinendū pariter atq; inferendum bellum. Nam ad hæc etiam lustrato vetere equitatu, atque alis per supplementa refectis, & stipendio persoluto, quatuor millia cataphractorū, & bis totidem leuis armaturæ equitum censebantur. Quæ omnia tametsi in præsens extra belli cogitationem, ac velut ad exterendū ingratæ pacis ocium, edendaq; spectacula ordinari atq; apparari plerisque videri poterāt, proximi tamē periculo in magnas eruptur ex improuiso belli suspiciones adducebātur, præsertim Genuenses, qui ob id Andreæ Auria gnauiter excubāte aduersus Gallorū motus, terra mariq; vigilabant. & Frācisci Sfortiæ, Alexandriæ et Comi, Ticiniq; et Abiatæ mœnibus nouas addebat munitiones. Alexander quoq; Medices validissimā arcē, quā Clemente viuo Florētiæ inceperat, cō ductis innumerabilibus operis perficere

matur

maturabat, eò accuratius ac intentius, quòd fama erat ab exulibus Florētinis natura Gallico nomini addictis, Hippolytū Cardinalem maiorem patruelem suum ab se duduci, excitarique ad spem potiundi in vrbe Florentiæ principatus, quem ille amulatione inductus, sibi deberi legitima hæreditate ab auo Laurentio Iulianóque patre ducta prædicabat, ea in re detestatus Clementis patrui iudicium, qui iniqua prauaricatione, Alexandrum sibi ætate, multisq; rebus inferiorem prætulisset, vt ipse velut emancipatus intra septa religionis, opes omnes Mediceæ domus, Etrusciq; regni fastigium, & nuptias demum filiæ Cæsaris, apud fratrem tanta fortuna ipsius collatione indignum conspiceret. Nec deerant qui in feruido iuuene, galeri dignitati militiæ honores facilè præferente, eos spiritus laudarent, tanquam honestæ ambitionis, suaderéntque. vt ad pellendum fratrem, vti Cæsaris beneficiarium, designatumq; generum, auxilia à Francisco rege peterentur. His de causis Cæsar vti erat cauto grauiq; ingenio, & eo quidem iuuenis decoris cura, rerumq; necessitas accederent flagranti atque expedito, omnium consilijs anteuertendum ratus, arma parare constituit, vt qui res nouas occultè moliendo pacem turbare cogitabant, se parato instructoq; rebus suis timere inciperent. Summa consilij

in eo vertebatur, vt Barbarussam ad Tunetũ præoccuparet, fama enim erat, eũ validissimis prædonum omnium coactis classibus, non modò vti superiore anno fecisset, Italiæ litora prædaturum, sed etiã proxima æstate traiecturum in Siciliam cũ ingenti Turcarum, Afrorumq; multitudine, vt ad reliquas spes proferendas, quibus barbarè atq; arroganter Neapolitanum imperium concepisset, Italiæ horreo potiretur. Erat eius belli ratio plena pietatis & gloriæ, vtpote quæ publicum Christiani nominis decus, publicamq; omnium, & maritimarum præsertim gentium salutem restitueret. Extinguebat etiã Cæsar hoc honestissimo auspicio omnem inuidiam, quam tot partis de Christiano hoste victorijs antea vitare nequiuisset, sic, vt illam in eos reiecturus esse videretur, quèi Punici belli spectatores, quàm socij atque adiutores esse mallent. Porrò Pontifex cũ magno honore verborum collaudato Cæsare, ei ita tim in bellicos sumptus, sacerdotiorum totius Hispaniæ decumas concedit, ipseq; pecunia sua nouem triremes Genuæ exornari iubet. Has ad veteres tres, quæ in custodia Romani literis esse consuessent, adiungit, omnibus præfecit Virginium Vrsinũ nauandæ operæ cupidum, vt ea generis claritas præfecturæ maiorem authoritatem adstrueret, eiq; attribuit Paulum Iustinianum Venetum, cuius consilio vteretur, nauali

nauali peritia insignem. Easdem quoque decumas exæquatæ liberalitate Francisco regi concedit, quo ille munere accepto, si vsus posceret, ad tuendam Etrusci maris Pontificiæq; ditionis oram, Massilienses viginti trimeres se missurum pollicetur, quanquam pari concessione Pontifex Cæsarianos offendere crederetur, quòd ea sacra pecunia Galli minimè iuuandi viderẽtur, vtpote quos religionis causa nullam omnino operã ea æstate mari præstaturos appareret, occupatis scilicet proprio bello ad Tunetum prædonibus. Excitata ad piũ bellũ vniuersa Hispania, conuentibusq; peractis, Cæsar è Carpẽtanis Barchinonem venit. Eius aduentus omnium opinione celerior, tantusq; nauallium & terrestrium copiarum apparatus, haud dubiè inimicorum animos in pace continuit, adeò vt rumores qui de Gallis, Britannoq; rege, & de Heluetijs allati erant, penitus extinguerentur, reguliq; Italiæ, vti cæco metu liberati, cupidius atq; liberius in id bellum officia præstarent. Soli Veneti in amicitia Solymani perseuerantes ex fœdere, quod antè triginta annos cũ Baiazete eius auo percussissent, neutri parti ferendæ auxilia censuerunt. Interim Andreas Auria, quẽ Cæsar toti mari timo negotio præfecerat, cuiq; vni propter spectatam fidem rerumq; peritiam, profectionis suæ atque supremi consilij decretæ communi-

tarat, incredibili adhibita celeritate, ac diligentia, multarum ingentium nauium, ac triginta roſtratarum claſſem inſtruxit, in quibus erat quadriremis vna, quæ prætoria loco Cæſarem veheret. Ea erat laqueari aurato, & calatæ picturæ, introrſus puppe, contecta itē umbraculo ex auro purpuraq; intertexto. remigibus ſerica tunica, & epibatis omnibus veſtitu ac armaturæ cultu plurimum exornatis. Præterea vim ingentem nautici commeatus, inſtrumenta naualia noui artificij, tormentorumq; omnis generis, ac telorum copiam, vel maximo ſuffecturam bello in naues diſtribuerat, quibus totius Liguriæ iuuentutem & ex nobilitate fortiſſimum quenque, certatim cum electis nomina dantibus impoſuerat. Ad eū hæc ipſa ingenti curæ famaq; adminiſtrantem, vt præclaræ virtuti ſuus honos haberetur, Paulus Pontifex gladium de more ſolennibus cerimonijs conſecratum dono miſit, is erat gemmato capulo, calataq; vagina cum baltheo aureis bullis, & fibulis valde conſpicuo, & præter eū etiam villoſo è ſerico pileum margaritis Phrygio opere depictum. Ea ſunt eximij pijq; ducis aduerſus Chriſtiana religionis hoſtes depugnantis inſignia, magnis regibus dono dari ſolita, ſic vt nō immeritò ſtrenuus ſenex, quanquā multa iā nauali gloria plenus, ad petendā nouæ decoris laudē accenderetur. Dum hæc Genuæ ingenti Auriæ, atq; Ligurū omnium ſtudio parantur, Alfonſus Vaſtius bellica laude illuſtris, ab Aenaria literis Cæſaris euocatus, ad Andream Auriā peruenit, atq; inde tranſgreſſus Apæninum, in vrbe Viglebano Franciſcum Sfortiam, & Antonium Leuam conuenit. Iubebat enim Cæſar, vt Vaſtius ſua antiquo pedeſtris militiæ imperio fungeretur, legioneſq; Germanorum ac Italorum in Africam tranſportaret: Antonius verò Leua in Gallia Ciſalpina præſidio permaneret. Huic enim Cæſar, quanquam ducem animi virtute inſignem ſecum adducere cuperet, omnino parcendum putabat, quoniam eſſet ſæuiſſimis articulorum doloribus conflictatus, ob idq; ad perferenda nauigationis incommoda imbecilla admodum corpore videretur, & in Italia quidem opus erat conſtanti, & impigro duce, qui in vtrunq; ſuſcepti belli caſum intentiſſimè vigilaret. Huic autem præcipuè eſt iniunctum, vt ſeuero edicto prohiberet, ne quis è numero veteranorum Hiſpanorū noui belli cupiditate ad mare dilaberetur. Nolebat enim ſolitis ſtationibus prouinciā nudari, adeò propinquam Gallis, Heluetijſq; finitimam, quorum incertæ fidei nihil omnino præſidio vacuū foret relinquendum. Deliguntur itaq; Itali tres præfecti, qui circiter viginti quatuor cohortes conſcribant. Is numerus quinq; milliū hominum ſummam

summam efficiebat. Hi fuere Hieronymus Tutauilla Sarnensis comes, qui superioribus annis in Peloponneso egregiam fortemq; operā præstiterat, & Federicus Carectus in Epantheris Liguribus, & in ora Ingaunorum ad Finarium oppidum clientelis atque opibus potens, cui Auria Vitricus erat, itemq; Augustinus Spinula bello clarus. His statim hinc atque inde digressi celeriter ex optimo genere militum cohortes implent, tanto veterū nouorumq; militum concursu, vt conscriptis plerique voluntarij sine stipendio miscerentur. Interim Maximilianus Eberstennius dux vetus per Tridentinas Alpes octo millia Germanorum in Lunensem agrum perduxit, in quem fuere plerique nobiles è stirpe regulorū sine mercede Punici belli famā sequuti. Hos humaniter liberaliterq; susceptos, simul & Italos pulcherrimis armis Mediolano aduectis instructos, aduocata concione cohortatus est, vt patientissimè dum nauigarent maris tædia perferre, ac vbi terram Africam attigissent, optimè de victoria sperare vellent. Pugnaturos enim ipsos pro dijs immortalibus & pro Cæsare, qui nunquā pijs & fortibus defuissent. Ita summa omnium alacritate consensa sunt onerariæ naues triginta octo, quarū præsidio Antonius Auria magnitudine animi & nauali virtute vni magno Auriæ secundus, duas & viginti

viginti rostratas adducebat. Nec multò post Vastites è portu Veneris soluit, ita vt triremibus oram legeret, onerariæ verò ad conspectū in alto velis verterentur. Sed alternantibus sæpe ventis, & inflato nonnunquam mari, tardius quàm sperarat in Traiani portum ad Centumcellas peruenit, quò iam Pontifex ab Vrbe decurrerat, vt sacris precationibus Deū optimum maximum, diuosq; Christiani imperij tutelares, ad victoriam de hoste parandam nauigantibus propitiaret. Ita ipso Pontifice præeunte, verba & hymnos sacerdotum choro decantante, triremes nauesq; onerariæ quamira felicitate adæquato cursu ab alto in conspectum se dederant, ab excelsa specula expiatæ lustrataq; sunt. Datū est item vexillum & sceptrum Christianæ religionis in templo de manu Pontificis Virginio Vrsino, postridieq; Vastius cū eo nactus idoneā tempestatē, Neapolim cursum direxit. Ibi Petrus Toletanus prorex, regulisq; peculiari studio impensaq; singulas triremes ædificarant. In his fuere duo Sanseuerini, Salernitanus, & Besennianus, itémque Spinellus, & Carafa, Hispaniusque Alarco Neapolitanæ arcis præfectus. Ad has septem aliæ accesserāt, quas ipse Toletanus publica pecunia confectas deduxerat, & noxijs nefarijsq; hominibus ad remū damnatis, impleuerat. Dū cuncti in eo apparatu essent occupati,

pati, Vastius in quosdam more militia animaduertit, qui pertæsi nauseã maris, & longinqua nauigationis incommoda reformidantes, conceptas de victoria spes malignè extenuare, stipendij tenuitatẽ detestari, consternareq; multitudinem, vt signa deserexerint, seditiosis sermonibus cœperãt. Ad authores tantùm pœna pertinuit, adeò vt inuoluti saccis, profundo mari spectante classe mergerentur. In his fuêre Michael Tarraconensis, & Molina, qui apud Caueanum oppidum excitandæ seditionis initia præbuerant. Parato & in naues omnis generis commeatu abundè congesto, impositisq; militibus, Hispanisq; præsertim veteranis qui à Corone redierant, oram soluit. Eum secuta est vniuersa propè totius Campaniæ iuuentus, arreptis vndique nauigijs, tanta omnium cupiditate, vt nemo Neapoli relictus esse videretur. Inuitarat enim comitate insigni quosque opibus ætateq; florentes, ac notas sibi militiæ veteranos, quòd his atque illis pulchrum esset, vel emerita stipendia, vel tyrocinij præclaram indolem memorabili victoria nobilitare. Profectus est & vnà Federicus prætegis filius, ingenio bellici decoris auido iuuenis: pauciss; diebus Panhormum in Siciliam est peruentum. Hisdem quoque diebus & ipse Andreas Auria diuersa nauigatione in Hispaniam ad Cæsarem peruenit, cũ vetere sua sedecim

sedecim triremiũ classe, tribusq; celocibus quos galeones vocant. Ea sunt nauigia structura militari formaq; ad omnem vel tormentorũ vel tempestatis contumeliã egregiè sustinendã idonea, paulò minora onerarijs, humiliorãque instructa quadratis velis atq; etiam aliquot remis vt è portubus in apertum mare ad captandos vetos facile sit sese prouehere, & promontoria superare. His fermè vtuntur, qui piraticã exercent, quoniã innumerabilem tormentorũ copiam ferant, quibus vel plurimas triremes in multa malacia ad se oppugnandũ appropinquantes, perfringere maioribus tormentis atq; demergere facilè possint, quum directis ad libellã summa aqua per feneſtellas validissimis colubrinis in orbem vndiq; ferrea pila, ad multũ maris spatiũ emittantur, perflantibus verò ventis, reliquorum nauigiorũ cursum antecedant. Cæsar delectibus habitis circiter octo millia peditũ, magna ex parte tyronum conscripserat, & septingentos equites vlterioris Hispaniæ regulis imperarat, ex vetere eius regni consuetudine legeq;. Nam superioribus bellis, quibus cum Mauris de Bætica imperio dimicatũ est, nemo proceriũ fuit, qui nõ certam equitum manum conferret, & contra hostes in castra perduceret, cuius impositi oneris causa, magnas tulerant immunitates. Li leuis armaturæ equites dicebãtur, quòd nihil

nihil præter apertam galeã & thoracem ferreis laminis squamoso opere consertam, leuesq; item ex præduro corio scutum Maurorũ more, & lanceã latæ cuspidis, gladiumq; habilẽ gestarent. His omnibus copijs præerat Mendocius, Tendilij filius, cognomento Montegius. Sed pleriq; illustres reguli, & ex toto nobilitatis ordine frequentes euocati, ad Cæsaris aulam conuenerant, qui grauioribus protecti armis, ac instructi generosis equis pro censu, & amplitudine ditionis, aliquot clientes liberaliter armatos trahebant, vt loco stipendij gratiã Cæsaris, & ex alacri pioq; studio ad nauandam operã certæ laudis decus promererent. Inter hos authoritate nominis eminebat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, non dubiã magni futuri ducis spem præbens, quã publico pietatis nomine, et priuato voto vehementer incitatus, in Barbaros deferretur, vt Garziæ patris cadẽ vindicaret, quẽ ab Afris Ad Girapolim Mænice in insula casum fuisse docuimus. Venerat etiam ab Oceano portus Gallico Ludouicus Lusitaniæ regis germanus frater, cuius soror in matrimonio Cæsaris spectabatur, cum classe viginti quinque nauium eius generis quas caruellas vocãt, Indicis nauigationibus assuetas, magnaq; rerũ omnium & tormentorũ onera, & quantũlibet iratis maris iniuriã facilè perferẽtes. In his videre erat

trat excelsum galeonem incomparabili tormẽtorum apparatu permunitum. Ea in classe duo millia peditum descriptorum præter nautas recensebantur. Applicarant etiam è Belgico Oceano per Gaditanum fretum supra sexaginta onerariæ naues, quæ copias passim paratas, & commeatus singulis mediterranei maris portubus susciperent. His aduectus fuerat magnus damnatorum numerus, quibus per Belgicas vrbes vitæ ex decreto Cæsaris idcirco fuerat concessa, vt in supplementum remigum in triremibus operam præstarent. Nam eius generis hominum arumnoso in labore facilè deficientium inopia, momenti minimè leuis futura credebatur. Itaque Cæsar copijs, & commeatibus in naues distributis totoq; ad edictum exercitu designata nauigia ea lege conscẽdere iusso, vt nemo scortum aut puerum nisi ætate militari secum adduceret, è Barchinone oram soluit, tenutq; cursum in Magonis portum minoris insulæ Baleàris, atq; inde turbulenta nauigatione in Sardiniam Caralim peruenit, quò nuper Alfonsus Vastius ex Sicilia cum sua classe applicuerat. Nec multò post Cæsar, ipso Auria reliqui conficiendi cursus rationes explicante, atq; adhortante vt omnis moræ causa præciderentur (nam Hispanica classis iam pene tota conuenerat) in Africam traiecit, & in Vticæ portum, quem Farinam nautæ

vocant, leni Coro remigum laborem subleuante, vniuersam classem intulit. Magno autem casu vna omnium prætoria quadriremis, qua Cæsar ipse vehebatur, dum intraret, fabuloso in vado hæsit. Quo animaduerso periculo Auria expedito consilio dimidiam partem vectorum, & remigum in aduersam sponda declinare iussit, tanta agilitate, vt ad imperium canentis fistulæ, quadriremis vti pondere subleuata impulsaq; demum dextro remigio cum arenæ tumulum euaderet, & incolumis cum plausu vniuersæ classi redderetur, nequaquam leuiter commoto Cæsare, qui simile vitæ discrimen Philippum patrem subijsse memorabat, quum ille in Oceano transuersa abreptus tempestate, in arenæ cumulos periturus incidisset, nisi ingentis fluctus beneficio elata nauis atq; vltra extantem fabuli cumulum transportata, magno miraculo in Britanniæ litus euasisset. Ab Vtica mox discedens classis circumuecta promontorium Carthaginis, totumq; eius regionis litus quam Martiam vocant, excelsa quondam superbæ vrbis ruinis, & noua regiorum hortorum amœnitate celebratum, appulit contra turrem, quam de subiecto fonte Aquariam vocant. Hæc est in ea plaga, vbi fabulæ elephantorum florente Carthagine fuisse putamus. Nam & Cotum insulam & totius antiqui portus formam, naualiaq; quibus Romani vi-

ni victores inuiderint tanti æui vetustas mutare, & abolere facilè potuit. Barbari qui ab imminentibus Vticæ collibus, alijsq; passim speculis, & ab excelsa arce antiquæ Carthaginis, quam Byrsam fuisse memorant aduentum, et cursum explicatæ classis conspexerant, Hariadeno Barbarussæ renunciarunt, hostilem classem innumerabilibus omnis generis nauigijs conflare. Erant enim septingentæ fermè naues, in queis duæ & octoginta nostratæ triremes frequentibus exornatæ vexillis conspiciebantur, quæ speciem æquo maiorem, & territorem hostium oculis præbebant. Verum id Barbarussæ animum magnopere perturbauit, quòd alij atq; alij præcurrentes nunciabant, in classe pro certo esse Cæsarem ipsum Christianorum maximum imperatorem, tantásque equitum, & peditum copias amplissimæ classi fuisse impositas, vt nemo qui arma ferre posset, in Hispania atq; Italia relictas esse videatur. Hoc affirmari à quibusdam seruis Mahometani nominis, qui præteritæ nocte exutis compedibus ex hostili triremi in proximi litoris duo meta feliciter enatassent. Nō putarat enim insolens Barbarus, nostrarumq; virium contemptor Cæsarem periculosis inexplorati maris casibus in ignota præsertim sterili, ac æstuosa terra, dubio bello se commissurum, sed quod captiui à piratis Tunetum perducti dicere so-

lerent per legatos, ipsumq; præsertim Auriam non Tunetum quidem ipsum, verùm ignobilia tantùm eius oræ oppida tentaturum. Cuius confirmandæ opinionis ante alios author fuerat Aloysius Præsenda honesto loco Genuæ natus, qui in itinere supra Adrumentum captus, in libera propè custodia Tunetti habebatur. Ab hoc Barbarussa crebris percunctationibus multa de Italicarum rerum statu moribus q; nostris tanquam à perito diserto q; homine, sitiem prudentis maturæ libertatis, sibi opportunæ didicerat. Hunc ita q; ira percitus, quòd falsa pro veris de Cæsare astutè perfidiosè q; narasse crederetur, ad se perductum, onerato mulctæ malignitatis cõtumelia in vestigio interfici iussit. Ita immiti insontis hominis cæde, tanquam sanissimæ suæ crudelitatis expiato dolore, Barbarussa ad gerendi belli cogitationes se convertit, primumq; omnium aduocatis in consilium trierarchis, quibus propter spectatam virtutem maximè fidebat, docuit viris fortibus nihil omnino de victoria dubitandum: quando eam ipse hisdem de causis iam pro certa atq; explorata perciperet, quibus Cæsarem id difficile atq; anceps bellum (si non omnino insanire foret) minimè susceptarum credidisset. Quos enim inquit regionis non ignarus (vt his viris nostras non extollam) hostem non tudicet ambitiosæ cupiditatis inconsultæ q; audacia pœnas daturum? qui iniquissimo anni tempore solstitialibus diebus, in loca æstu torrida, & aquæ prorsus indiga, minutissimisq; obsita arenis, quas vetus in ora atq; oculos incedentium verset, certaturus aduenerit? An hostium miles, quos audio magna ex parte esse tyrones, graubus onustos armis facilè progredi regredive, aut in vestigio, vti varius improuisæ pugnæ casus deposcat, fortiter consistere posse arbitrabimur? Quum prælia, & facilè cedens arena, ad suras vsq; pedes deuoret, nec ordines recte constitui sinat. Qua porrò bellandi arte, & peditum Turcarum vim & Numidarum equitum perpetuò lacessentium repentinos impetus sustinebunt, aut eludet? Si verò tot sunt, quot isti asserunt, quinam commeatus, si bellum trahatur, tantum hominum colluuiem pascent? Hoc profectò bello, viri fortes, nouum & incomparabile trophæum in terra Africa defigemus, quòd Carolus summæ opulentiæ, & dignitatis hostium imperator, aut truci datus concidet, aut opima futurus prædæ in nostram veniet potestatem. Quod ad me attinet enixè dabo operam vt nihil vel armorum, vel commeatus, vel auxiliorum administrando atq; gerendo bello vobis desit. Vetera enim armamentaria pandam, aperiam horrea, reserabo ærarium, & ad Numidas, quos iam amicitia conciliatos habemus, pecuniam in stipendium,

exoptatæq; genti munera confestim mittam. Tunetanos verò in spem præmiorũ exigua mercede in officio contineri, & hostibus obijci facilè posse scitis. Hoc autem vnum militia munus à vestra virtute vehementer expostulo, vt Guletam, qua non vrbis modò, sed totius imperij, & subductæ præsertim classis certissimum est propugnaculum, acerrimè & constantissimè defendatis, in eam enim hostis primo impetu deferetur. Vos itaque eam mihi, & Solymano imperatori inuictis animis seruatote, vt irrito incepto tentata, & à vobis fortiter defensa, hostis Cæsari deceptus sua inani opinione, & tota existimatione sui nominis spoliatus, non iam de expugnanda vrbe Tuneto, sed de reditu, salute q; desperet. Hæc cùm dixisset, triarchi vno consensu responderunt, se paratissimis animis cũcta facturos quæ imperaret, nec commissuros, vt dedecus pristina sua virtute indignum admitteretur, & id iureiurando singuli confirmarunt. Hos omnes Sinas Smyrnæus dextro captus oculo, quem Turcæ Cæfutem (hoc est Iudæum) vocabant, cùm ætatis honore, tum militaris prudentiæ authoritate facilè antecedebat. Huic proximi accedebant Haudinus Cilix, cui propter terribilem impetum Cacciadiabolo cognomen erat, & secundum hos Salecus ab Ionia, & Tubaches piratæ Loadicenus, & ex ordine Ianizerorum Giaffer centurio, virtute animi, & corporis viribus insignis. Is Guleta situs est, vt lateritia turris cum adiecta munitione his faucibus immineat, per quas Carthaginensis sinus mare ad australe litus allidens sensim in stagnum sese insinuat, quo parui nauigijs ad vrbem Tunetum aditus patet. Neq; enim hæc palus longior est, aut latior duo decim milliaribus, sed vtrinque ita humilia sunt vada, vt nisi medio eoq; profundiore alueo pernauigari queat. Ingressum à mari turris prohibet, quam circumadiecta munitiones augent, ea amplitudine, vt iusta manus præsidium facilè capiat. Hanc Barbarussa multis tormentis instruxerat, vt suam classem, quam intra stagnum propulerat, ab hostili iniuria tueretur. Carthaginensis autem sinus ea forma est, vt eius ingressus ab alto adnauigantibus abscondatur, quoniam Clupeæ promontorium antiquis Mercurij & Pulchri vocatum, multum in occidentem solem sese extendit, & introrsus demum se reflectens, alterum efficit promontorium, olim Apollinis, hodie Zafranium a nautis appellatum. Inde verò lunato ambitu ad Guleta fauces recurua tur, et ad lævam Radæ vrbis calidarum aquarum salubritate celebris, regionem relinquit. Ex aduerso autem collapsæ Carthaginis situm spectat, atque item colles, oliueta q;, & litus ipsum Aquaria turris, qua nostra classis appulerat. Caterum Gu-

letæ fauces pons ligneus cum aduersa orientali parte coniungit, quo transirent qui ab Tuneto terrestri itinere commeabant. Huc enim atq; illuc Turcæ iter habentes, sese diuisis per vices excubijs, permutare erant soliti. Nam rerum omnium copia in quotidianos vsus per stagnum leuioribus lembis aduehebantur. At Cæsar tota classe ad ancoras constituta, pronunciari iussit, vt milites expediti in triremium magnarumq; nauium scaphas desilirent, & toto litore descensiones facerent, quod vsq; adeò compositè administratum est, vt tota vndiq; litora Barbarorum agminibus nudarentur. Neq; enim nostrorum clamorem, & sclopettorum strepitum ferre potuerunt, quin in fugam nullo contracto certamine protinus se darent. Veteranos Hispanos Itali, & hos demum Germani subsecuti sunt, cunctosq; munitis castris Vastius consistere, nec temere vagari iussit, donec equites, & reliquæ omnes copiæ, totusque tormentorum apparatus in terram exponeretur. Descendit et Cæsar ipse bonæ spei, & certæ alacritatis plenus, qui alas hostium occupantes litora, & descensum nostrorum prohibere conantes, in fugam versas conspexerat. Erexit autem prætorium idoneo in loco inter duas turres, quarum alteram vocari Aquariam diximus, alteram Barbari Salinariam appellant. Interim variæ militum manus emissa sunt, qua

quæ proxima explorarent loca, & cisternas puteosq; quæritarent, hostiumq; simul casas, & vicos mapalibus similes occuparent, vsque ad summos colles, vbi vetusti templi ædificia visebantur, quo in vertice duarum cohortium Italicarum vexilla, præsidij causa constituta sunt, iuxta antiqui operis aquæductum, quo olim magna perennis aquæ vis in vrbem Carthaginem perducebatur. Afri pedites, equitesque, præsertim Numidæ, velox insidiosum, & summi laboris militum genus, omnibus horis locis q; repentini ac infesti nostris occurrebant, locorumq; notitia confisi, vti erant inermes & agiles, nostros sæpe incautos ac impeditos armis circumsistebant, sagittis, iaculis, atque lapidibus rem gerentes, tanta feritate, vt nemini vel dedito parcerent. In quibus fuit Hieronymus Spinula Ligur centurio, cui Numidæ eques ictu inuerse lanceæ prostrato, ab equo defluens, priusquam subueniri posset, caput præcidit, & conscenso rursus equo, celeriter asportauit. Eadem quoque mala sors incidit Federico Carecto regulo: is quum à Vastio exploratum duceretur, eius lateri hæres, sclopetti glande traiectus est. Sed ea hostium agilitas ferociaq; Cæsarem minimè retardabat, quin ipse cum paucis exploratum iret, & in conspectu volitantium vndique Numidarum, cuncta oculis perlustraret, ea quidem animi constantia,

Vt ab amicis grauioribus frustra admonerentur, ne minorum ducum munia tanto suo publicaq; salutis periculo vsurpare vellet. Iam Vastius non longè a Guletz legiones promouerat, crebris passim obliquis fossis sinuose perductis, & constitutis munitionibus, vt tutò milites commeare, in opereque versari possent, & continuos tormentorum hostilium ictus pauscere desinerent. Faciebant autem opus non serui modò remiges, sed milites ipsi omnium ordinum magno quidem cum labore, verùm alacritate singulari, vt pote quibus Cæsar presens ac indefessus esset adhortator, & plerique duces certatim ligonibus, & batilis promptas manus admouerent. Erat enim extensæ munitionis ingens spatium, nam Cæsar nequaquam properè, sed paulatim proferenda opera censuerat, vt tutò produci milites & tormenta muralia opportunè subuehi, atque inde inuadi hostes possent, qui nihil omnino apud nostros remissum, aut paulo negligentius munitum esse patiebantur. Tantos siquidem spiritus barbari prædones sibi desumpserant, vt vltrò erumpere & nostros ad conserendas manus prouocare, accedereque propius ad munitiones atque eas subire auderent. In prima erecti aggeris fronte, præcipuum sibi locum depoposcerat Sarnensis regulus, elatus spectatæ virtutis fama, quã Peloponnesiaco (vt dixi-

mus) bello fuerat adeptus. Is rotundi ambitus aggerem, muralis instar propugnaculi, sed paulo quàm ex disciplina oporteret angustiorem erexerat: nam in medio tabernaculum splendidè extensum fermè totum loci spatium occupabat. Intra hunc aggerem, quanquam arctè, cohortes suas contulerat. Sed vir aquo acrior, & paranda laudis auidior, quum fortè hostes in conspectum se dedissent, quin in eos confestim erumperet, contineri non potuit: Salecus enim ausu astúque piratico insignis, cum delecta suorum manu, ad eius munitionem excelso tabernaculo conspicuam adolarat, magnumq; & repentinũ tumultum apud nostros excitarat sic tamen vt scloppettorum glandibus repulsus, coactúsque se recipere videretur. Tum verò Sarnensis quibusdam præfectorum suorum contumeliosè appellatis, quòd eos timidius & cunctantius egressuros & subsecuturos appareret, in hostem callidè terga vertentem, ira feruidus erupit, obuios acriter vulnerans atque prosternens, scilicet vt fato suo non inhonestam viam aperiret. Ita Salecus nostros satis magno interuallo à cæteris disiunctos, edendaq; cædi opportunos videns, ad suos cõuersus, milites, inquit, quam exoptatis de hoste prædam indagine clausam tenetis, proinde conuertite ferrum fortiterque

pugnate

pugnate, vt nemo ex his audaculis tyronibus viuus aut integer euadat. Nec mora conglobantium sese ea fuit impressio, atque in hostem impetus, vt nostri pauciores aduersus multos non diu resisterent, sed tumultuosissimè terga darent. Sarnensis ipse ante alios acerrimè depugnans, cũ Belingerio affine suo cohortis præfecto trucidatur: reliqui eandem in fugã oppressi fortunã subeũt. Cæteros intra munitionẽ confugientes, irretitosq; tabernaculi funibus, quominus expedita fuga se reciperent, Turcæ audacter intrãtes contrucidãt, à quibus argẽtea supellex ipsius Sarnẽsis properè direpta est, neque fuit quisquã ex proxima Hispanorũ statione, qui satis maturè socijs perturbatis & profligatis opẽ tulerit. Ferunt enim Hispanos sociorũ Italorũ cladem non omnino tristibus spectatũ esse oculis tanquã bono iure indignãtes, quod propinqua hosti ideoq; periculosa custodiæ locũ arrogãtia quadã Sarnẽsis desumpsisset, qui nouus prope miles, quanquam apprimè nobilis & valde pugnax, id ambitiosius quã deceret, primi honoris causa à Vastio impetrasse diceretur: caput eius cum dextra ad Barbarussam delatũ est. At nostri, barbaris ex successu eius dei lætiã crebris tormentorũ bombis celebrantibus, magnopere tristes, vix animis accepti incommodi ignominiam sustinebant, querebãturq; itidem

itidem ab Hispanis nequaquã alacriter fuisse adiutos. Sed Vastius, qua multum valebat, melli oratione afflictos est consolatus, sic vt eos non virtute hostium, sed ipsorum & præproperi ducis temeritate contractũ fuisse detrimentum ostenderet. Verùm id totum, quod malè auspicatũ accidisset probè expiatum videri ipsa ducis cæde, qui totius accepti incommodi author extitisset. Proinde confirmarent animos, & quicquid dedecoris esset admissum, noua virtute sarciendum existimarent. Hispanos autẽ seueris castigauit verbis, tanquam parum misericordes, quòd nequaquam amicæ erga socios voluntatis, suspicionem parandi odij plenã, leui de causa præbuissent. Sed Fortuna nõ iniqua plerũq; libidine, bona pariter & mala inter mortales dispensare solita, id Hispanis nõ indulsit, vt ab hesterno inflicto vulnere, diu socios contemnerent, par enim eis dedecus Tabaccheos attulit. Subaurorã nanq; erumpens tecto, & festinato procursu Hispanorũ munitiones adortus, vsque adeò vehemẽter stationẽ perturbauit, vt conscenso aggere, aliquot desides & operis labore fessos, alios reposita repetẽtes arma, in fossa oppresserit, clamore q; edito reliquã custodiã manũ valde perterritã terga dare coegerit. Atq; ita Barbari momento temporis fossorijs potiti ferramentis, & rapto Fracisci Sarmenti vexillo

xillo, quod erat in summo aggere defixum, interfectoq; in fossa Mendesio cohortis præfecto, qui ab multo abdomine grauis, fugam capessere nequiuerat multis improuiso cæsis & vulneratis, prius se receperunt, quàm auxilia adcurrentium cohortiũ superuenirẽt. Adcurrit & ipse Cæsar armatus ad tumultum totis castris excitatũ, seuerè increpitis, qui commissum stationis locum trepidè deseruissent, & vsque adeò segniter & supinè custodias obiissent aduersus eum hostem, qui suo astu, velocitate, atque audacia repentinus & insolens, & ferox, à peritis ipsis q; præsertim veteranis, nisi temerè contemnendus videretur. Id insigne editum fuimus pudorẽ Italis abunde detersit cũ dedecus Hispanis opportunè cõmunicatũ viderent, & eo quidem acerbiore aduersi euentus sorte, quòd veterani disciplinæ parum memores, aliquanto inusitatius & turpius deprehensi, cæsiq; fuissent, quàm Itali tyrones, qui cõmittendæ pugnæ studio, temere progressi & elici & cõserto certamine à multis trucidari facilè potuerint. Sedato tumultu Vastius veteres præfectos, primorumq; ordinum centuriones in tabernaculum vocauit, conuersusq; ad eos, Viri, inquit, alioqui semper fortes, qui multas incomparabilesq; victorias mecum Cæsari inuicta virtute vestra peperistis, paucis omnino verbis cohortandi

tandi videmini, vt pristinum spectatumque semper bellicum vigorem ad animos reuocetis. In vobis enim (vt video) quod piget, pudetq; antiquæ partæ laudis memoria penitus refrixit, & insolito metu obtorpuerunt manus, & noua pigritia corpora elanguerunt, vt non horum inermium prædonum insolentiam vestro forti ausu frenandam vindicandamque putetis. Irrisistis, vt nonnulli obiectant, heri sociorum inauspicata promptitudinis coniunctam cum pœna temeritatem: at illi hodie vestram incuriam degeneremq; segnitiem iure optimo rident, sic, vt hoc commune dedecus, vestro præsertim aliquo celebri & pulcherrimo facto abolendum esse fateamur. Censeo itaque & seuerè iubeo, vt ad nouam parandam laudem arma atque animos quàm primum præparetis, & hostes si rursus lacessant, & munitiones tentent, eruptione facta fodiendo eorum inermia pectora, & terga cadendo male multatos intra Guleta portum compellatis. Strenuè instantibus atque prementibus fortasse aderit Fortuna, vt immixti perturbato agmini, munitiones intretis simul & occupetis, in quibus ipsorum spem omnem repositam videmus. Quod si hoc secus acciderit quàm sperandum sit, saltem cum Cæsari, tum mihi decoriq; vestro, vel hoc vno insigni conatu abunde erit

satis

satisfactum. Adea continuò Aluares Gradeus, Ciſnerius, Rodericusq; Ripalta, & cum his Sarmentus, Didacus Abyla, Franciſcusq; Ruitius reſponderunt, ſe vſque adeò præſtantem operam nauaturos, vt in ipſis neq; vim, neque omnis periculi contemptum aut expectata quarendæ laudis ardorem, viris fortibus impigrè pugnare ſolitis dignum deſideraret. Nec Barbari aduerſo noſtrorum ſucceſſu elati, quin eadem conſuetudine audacter erumperent, plus tridui mora conquierunt, meridianoq; tempore Giaffer cui id munus fortè contigerat, cum Lanizeris Afrorum iaculatorum manu, ſuperiores munitiones inuaſit, ratus ſe ea hora noſtros, cùm labore operis, tum ſolis feruore confectos, in ſtatione ſegnes & imparatos aggreſſurum. Iam Barbari inopinantibus noſtris, vti remiſſa paſſim eius feruentiſſimæ horæ cuſtodia, aggerem conſcenderant, & certatim in ſubiectos vndique glandes, ſagittas, & lapides coniiciebant, quum extemplò ad leuem tympanorum ſonitum ſclopettarij noſtri ſicuti fuerat imperatum, duobus ſimul locis eruperunt. His Vaſtius ſubſidiariam manu ex galeatis thoracatisque militibus qui alabardis breuioribus, haſtis, aut parteſanis lato ferro, Italorum conſuetudine rem gererent opportunè ſubmiſit. Phalanges autem ſuo ordine compoſitas

ſitas intra munitiones conſtituit, vt ſi quid leui armaturæ durius accideret, eam referentem pedes reciperent, & ad pugnam parati ſimul caſtra tuerentur, cæptiq; certaminis euentum expectarent. Pugnatu eſt vtrinque ſumma contentione: nam lanizeri quanquam graui noſtrorum impetu repellerentur, vti milites pro dignitate prætoriani ſui ordinis nuſquam terga dare ſoliti, non multum conſtantia aut virtute animi noſtris cedebãt. Sed Giaffere ipſo, qui ante alios ardentius dimicabat, duobus ſimul glandibus traiecto, cadenteq;, ora conuertere, fugamq; reſpicere cæperunt, & mox expirantem ducem erigere atque referre conantes, redintegrata ob id acriore pugna, quum alij ſupra exanimem vtrinque cecidiſſent, effuſe in fugam ſe dare coacti ſunt noſtris tanto ardore perſequentibus, vt Guletani receptis primis, periculũ veriti, quartam ferè ſuorum partem obſeratis repentè portæ valuis excluſerint. Verùm hi deflectentes verſus ſtagnũ, poſtico ferè aditu, qui noſtris erat inexploratus, intra munitionem ſe receperunt. In eo tumultu, quòd Sinas totam munitionis coronam propugnatoribus egregiè muniuiſſet periculoſus atque difficilis noſtris receptus eſt datus. Didacusq; Abyla nouellariæ cohortis ſignifer, in hoſtili aggere vexillum defigere auſus, multis ſimul glandi-

bus petitus, & sagittis confixus occubuit. Neque tamen vexillo potitus est hostis, qui illud proximus miles ex occupantium manibus intrepidè rapuisset. Rodericus quoque Ripalta crassioris sclopetti glande, collisa vehementer galea graue vulnus accepit, multoq; plures è nostris in receptu quàm in pugna desiderati sunt, quoniam è tota munitione Barbari omnis generis tela & tormenta (quod extra tuorum periculum antea tanquam in permixtos fieri nequiuerat) certatim contorquebant. Eo tamen die Barbarorũ audacia egregiè repressa est, & spes expugnandæ munitionis nostris non obscurè præbita, quòd ex propinquo munitionis natura considerata, exploratæ, certam victoriam aggressuris promittere videretur. Nam ea inter omnes enata erat opinio, aliquanto infirmiorem esse, quàm crederent Guletæ munitionem, persuasum q; habebant eo aditu, quem diximus, postico & nostris incognito, per stagni marginem irrumpi potuisse. Qua de causa Sinan admaduerso aggeris situ, quòd non esset perpetuus, nec lateritio ædificio coniunctus, nouum & subitarium ex remis munimentum erexit. His enim longa serie humi defixis, & funium loricula, transuerso q; leniorum asserum munimine confibulatis ingressum præsepsit, ne aut intrare hostis, aut sua ex obliq

ex obliquo intercedente paludis parte conspectos, certis sclopettorum ictibus petere posset. At Cæsar paucis diebus in ipso rerum apparatu deliberationeque consumptis, statuit non esse terendum tempus, quin protinus Guletanis vim omnem, & verum terrorem admoneret: multa enim eũres ad expedienda consilia vehementer hortabantur, suorum in primis animi abundè restituti, hostium verò non vano planè metu perculsi, quos nouo præsidio erigi in spem, confirmariq; nolebat. Didcerat enim varia Numidarum agmina mercede conducta ad Tunetum appropinquare, contrà, suos aduersa tentari valetudine, & potequi interdiu immoderato solis feruore torrerentur, noctu verò largissimo cali rore madefacti, astrictis, & propè gelatis artubus rigerent, nec aqua dulci aut planè suaui leuandæ sitis desiderium explerent, nec exoptata ægris recentis obsonij subsidia classis præberet, militari nanque industria effosso toto litore putei, & aquaria item turris latices iniucunda salsugine redundabant, sic vt ægri pariter & incolumes, compressa acrioribus pomis sitis, facilè contabescerent: quanquam his malis Cæsar insigni pietatis cura liberaliter obuiam iret, & Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus, rerum propè omnium aduersus inediam & sitim, imminentesque mor-

bos opportuna præsidia, onustis pluribus naui-
gijs in castra illico subsecuturus trãsmisisset.
& Alarco Neapolitanæ arcis custos, completa
ingenti naue, pari studio ad Cæsarẽ esset pro-
fectus. Iam enim Auriana classis Hispani-
caq; præsertim nauticus panis mucorem &
cariem sentire cœperat. Itaque ad Idus Iulias
promotæ sunt munitiones in cõspectum ho-
stium, prolatusq; omnis tormentorum appa-
ratus. Hæc omnia protegebat oblonga muni-
tio ex vimineis corbibus vsitata ratione con-
fectis, & ligneis item vinarijs doliis, quæ are-
na sola complebantur, quòd Africæ solum hu
in locis neque glebam neque cespitem ad opus
faciendum præberet. Auria suo vsus munere
à mari oppugnandæ Guletæ negotium susce-
pit, ita totius classis diuisis ordinibus, vt re-
stratæ naues sibi per vices tripartitò succede-
rent, dissolutisq; tormẽtis cedendo sequentibus
locum darent, maiores verò onerariæq; naues
idoneis in locis ad ancoras cõstitutæ, ex excelsis
prorarũ & puppium, & ab excelsis summi
mali carchesijs iugiter operã nauarẽt. A terra autẽ tribus in locis tripartitò pariter sin-
gula munera, diuisis inter se per nationes co-
pijs, Vastius partiebatur, vt singulæ acies ex
æquo attributi laboris onus, & speratæ laudis
fructũ sentirent. Nunquã ab vlla hominũ me-
moria, postquàm tormẽta ad excidiũ humani
generis

generis reperta sunt, vel acriore vi, vel maio-
re apparatu, exactioreq; diligentia, munitus
vsquã locus est oppugnatus. Tanto enim cre-
pitu, adeoq; horribili reboatu, fragor ingentis
terræmotus instar est editus, vt nõ quati mo-
dò, et grauissimè cõcuti, verũ tota passim ter-
ra hiscere, et iam iam mortales absorbere vi-
deretur. Mare autem quod modò tranquilli-
tatem pacati æquoris ostenderat fluctuosius
cuncitari in orbes, remotaq; etiam pelagi spa-
tia, repentè excitata flaueti spuma conturbari. Late q; feruere spectarentur, quum cælum
superfusa tot excitatis ignibus fumea caligi-
ne, omnium oculis esset ereptum. Ab aurora
ad meridiem maioribus colubrinis nusquam
est cessatum. Itaque turris cum adiecto suo
antemurali terebrata vndiq;, et penitus dis-
fracta sic concidit, vt tormenta suis apposita
senestellis, horũmque libratores, corruentium
parietum, & proscissæ testudinis ruina contege-
ret, munitionesq; circũ omnes nudatæ pro-
pugnaculis latè passim perfossæ atque disie-
ctæ, non omnino difficilem nostris ascensum
præberent. His ad accendendos animos cucul-
latus sacerdos crucifixi Christi seruatoris li-
gneam imaginem præferebat. Nec mora co-
hortes quibus singulis senæ scalæ erant attri-
butæ, eo ordine vt tum hostilem munitionẽ in-
uaderent, quum signum tubarum cantu esset

datum, nostrorumq; tormenta cessassent, cohortante iubenteque Cæsare procurrerunt. Neq; dii Barbari, quanquam in subeuntes tela omnis generis, nauali q; artificio missilem ignē tenaci flamma armis adhærētem conijcerent, sim nostrorum tanquam terrefacti, magnaq; introrsus obruti clade sustinere potuerunt, sed occupatam à scandentibus munitionē, amissa spe defensionis deserere, præcipitesq; se in fugam dare coacti sunt. Sinas ipse cum ducibus ponte ligneo se eiecit in aduersam cōtinentem, leuoq; litore intento cursu Tunetum profugit, quo itinere multo maxima pars suorum sese proripiebat. Alij casi pulsiq; in stagnum detrudebantur, quos enatare conantes, & dextri litoris appetentes marginem, Hispani equites, & sclopettarij præsertim, Senatoria consuetudine passim opprimebant tanta cōsectandi voluptate, vt tota palus Barbarorum cadaueribus constrata videretur. Nostri paucis amissis, omni tormentorum apparatu, totaq; iampridem subducta (vt diximus) hostium classe sunt potiti, quo nihil iucundius Cæsari, Hariadeno vero acerbius accidere potuit, gemenitibus piratis, qui maris, & totius nauigationis facultatem, qua sua maximè valerent, amisisse, querebantur. Constabat enim Barbarussam in ancipiti deliberatione aliquandiu stetisse ambiguum, tueretur ne regnum terrestri

stri manu, an ipsam potius maris possessionem retineret, qua ipse ab ineunte ætate, facto sæpius fortunæ suæ periculo, duo opulenta regna, & longè clarissimam peritiæ naualis existimationem esset consecutus. Sed in superbo ambitioso q; homine vel improbantibus trierarchis præualuisse confirmandi regni cupiditatē, tum maximè sibi aduerso Panorū studio, qui alienigenam, & multa cruentum cæde prædonem sibi regem impositum abominati, redituru Muleassem expectabant, quem veteres amici ex Tunetanis expeterent, & præcipuus inter Numidas auunculus Dorax se reducturum polliceretur. Verum ego postea ab ipso Auria accepi, Barbarussæ nihil famæ de aduentu Cæsaris credenti, tempus omnino defuisse, quo classem deducere atq; instruere posset: nā qua intra Guletæ fauces reducta, in ipsa paludis tuta statione seruabatur, nisi magna ergatarū & funium molimine, longoq; militum & seruorum remigum labore extrahi, apparariq; non poterat. Neq; enim Barbarus vir acutus, ac vtriusque militiæ peritissimus, vtrobique si copias diuideret, rem iustis viribus & bona spe geri posse iudicabat. Qua de causa sicuti superiore libro demonstrauimus, nouum intra paludem portum efficere, mareque apertū nouis faucibus ad occasum excauatis immittere cogitarat, & iam magna ex parte perfecerat:

Vt expeditam instructamq; suis armamentis classem, securo in loco, & vndique tormentis permunito, contineret. Sed eum pertinacissimè vacantem operi, & passim veteribus Carthaginensis molis reliquijs occurrentem aquileges deterruerunt, affirmantes, exiguo tempore futurum, vt Guletæ munitio à continente abscissa, & redacta in insulæ formam, nouo terrestri præsidio (si vsus poscaret) confirmari atque defendi non posset, & allidentis maris fluctus, perflante Aquilone, stagnū inuectis arenis obimarent, exaggeratisq; vadis, summa vtilitatis Tunetana nauigatio tolleretur. Caterùm Barbarussa tanto accepto incommodo perturbatus, & exterritus, venientem ad se cum reliquis Iudæum, ita turbido infestoq; supercilio excepit, vt ignauiā cunctis, fœdumq; terrorem nimis properè conceptum exprobraret, grauiq; admissi dedecoris contumelia prosequeretur. Ad ea tamen Sinas pro omnibus respondens, Hariadene, inquit, quandiu cum hominibus armatis certandum nobis fuit, vt planè scis, nec hostes diffitentur, operam existimatione nostra, & tuis auspicijs dignam edidimus, vbi vero nobis cum diro Satana, furijsq; eius infernalibus, qui in nos horribili cum incendio terræmotum extremi terroris atque periculi excitarunt, repugnare necesse fuit, tibi mirū videri non debet, si immortalium humani

mani generis hostium inusitatam vim effugimus, vt tibi meliore Fortuna de imperij vrbisq; tutela certaturo, integri seruaremur. Neque nos dissuadet, tanquā iterum pugnaturos, eo periculo ereptos videri, è quo tu si interfuisses, summa constantiæ vetus dux & miles, nō turpe modo, sed planè honestū (si libero ore tecum loqui licet) incolumem emersisse arbitrarere. Hæc in primo cōgressu dicta fuisse ab his qui sermoni interfuerunt didicimus. Hariadenus compresso animi dolore, verborum contentioni finem imponens, leniore oratione singulos vehementer est cohortatus, vt secum pro republica salutéque omniū aduersus hostes bellū sustinere intentissima cura gerere vellent. Sperare enim se, postquàm ampliora iam Asforum peditum auxilia, & ingentes Numidici equitatus turmæ appropinquarent, hostes non diu Guletæ captæ lætaturos, indeq; mox ad parandā quæ opus erant omnem industriam studiumq; cōuertit, prolata statim ex ærario ampliore pecunia, dispensataq; liberaliter inter Asfos & Numidas, vt propensiorum confirmaret amicitiā, & nouo beneficio dubios obstringeret. Interea rex Muleasses ex vlteriore Numidia cū modico propinquorū, & clientiū comitatu ad Cæsarem in castra peruenit. Consederat in sella regia Cæsar medio in pratorio, in quod admissus est Muleasses suo cultu

mitratus, cui linteа fascia à mento demissa guttur protegebat, & tibiis talaris vadornabat vestis e serico viridi, & cyaneo discolor. Erat is procera statura suffusco vultu, planeque virili, sed oculorum lumine ita perverso vt spectantes malignè contueri videretur. Postquã verò exosculatus est Cæsaris dextrã, tapete substrato, humi collectis cruribus more patrio sedens, per interpretem in hanc sententiam est locutus. Nullo meo, ter maximè imperator, insigni officio provocatus, quòd ita religiones quibus dissentimus tulerunt, in hanc terram armatus, & iam planè victor adveniſti, non sine, vti reor, præclaro instinctu magni numinis, quod & nos pari pietate colimus, scilicet vlturus summæ perfidiæ, & crudelitatis tyrannum, & prædonem, humani generis hostem atrocissimum, de quo propè iam partam, expugnata Guleta, & capta classe victoriam ita prouideo, vt propediem eũ maleficiorum omnium, te vindice, pœnas daturum sperem: & eo quidem meo vberiore gaudio, quòd felicitatis atq; victoriæ tuæ fructus ad me sit rediturus, me quidem in paternum, & auitum regnum restitues, quod à summa tua æquitate atq; virtute supplex, & exul speraverim. Erit enim tibi in primis vtile planeq; decorũ, si me regem antiquissima stirpe progenitũ, & magnis Numidarũ, & Pœnorũ propinquis

pinquitatibus clientelisq; validum, cõplectare. Nec recuso vel tributum pendere, vel me beneficiarij iuris nomine, Christiani imperatoris clientem profiteri. Fidei verò meæ nullus erit locupletior vades, quàm accepti beneficij memoria, quæ apud me liberosq; meos erit indelebilis, vel ob id præsertim quòd ingrati nomen abominer, & exhorream: perennisq; amicitia vestra adeò propinquis è Sicilia Sardiniaq; præsidijs confirmari mihi opes, & Punicæ gentis studia conciliari, non ignarus rerũ intelligam. Cæsar ad ea respondit se eo animi decreto in Africam traiecisse, vt multorũ temporum iniurias quas Barbarussa cunctis regnorum suorum litoribus intulisset, armis vindicaret, maleficentissimumq; hominum genus piratas excinderet. Huic voto suo piè concepto, Christi Dei numen secundũ belli successum dare. Aspiraturumq; iam proculdubio, vt Tuneto capto, summa victoria potiretur. Tum verò, se cuncta ei quæ ex vsu rerũ fructuq; victoriæ forent benignè concessurum, modò fidem non falleret, quæ sibi suspecta tanquã Punica videri posset, nisi eam beneficij memoria, regio in animo, gratissimè confirmaret, aut armorum metus abundè tueretur quando hisdem viribus, & regna benemeritis dari, & rebellibus adimi facilè possent. Mulcasses maximè grauem se præbuit, tanquam pristinæ Fortunæ suæ nihil oblit

oblitus, quum eum Cæsar porrecta manu humaniter complecteretur. Ita verò comem ducibus sese ostendit, vt ad spectaculum in equo conspici vellet, quum hasta longa peritissimè quassata, & conuoluta in auersos, & aduersos ictus, admirabiliter se exerceret. & serio præliantibus nostris admisceri cupere videretur, per otium autem cum philosophis de natura vniuersi, & de motu cæli, potestate q; syderum, exactissimè ex Auerrois disciplina disputaret. Et Cæsar tabernaculum tendi & hospitalis munificētiæ munera in quotidianos vsus præberi iussit. Vastius & Albanus, & secundum hos reliqui proceres omni honore adhibito susceperunt. Cupientem verò castra conspicere, spectatum comiter deduxerūt, vt quas aggerū moles nostri celeriter extruxissent, quantus tormentorum esset apparatus, quæ custodiæ armatorum in statione pro castris excubarent, & quantam vim peritiæ militaris, tot legiones, non lingua modò, sed ipso oris habitu, & cultu armorum maximè diuersa præferrent, præsens agnosceret, intueretúrque oculis an tot lectissimarum copiarum præsidia, quæ Cæsar inuictus imperator, ipsius, qui iam reduceretur insigni beneficio, in Africam adduxisset, ad debellandos hostes satis forent. Mulcasses ante omnia numerum atque ordinem tormentorum, & incredibilem in foro rerum venalium omnis generis copiam, mirámque præsertim coementium passim militum tranquillitatem, vehementer est admiratus. Nec multò post duces cōsertis in arcano sermonibus diligēti percūctatione multa ab rege ad gerendum bellum opportuna didicère de Tunetanorum in primis studio & viribus, de situ item vrbis naturáque mœnium, & munitione artis, de suburbanis puteis & cisternis, & quā longè late q; proxima oliueta, quæ densissimi nemoris speciem præberent, ad ortū solis protenderentur, quales porrò Afrorum & Numidarum essent copiæ, quæ mercede conductæ tyranno operam nauarent. Id postremò nō inani coniectura, tanquam mox euentu minimè caritum, constantiore protulit, Barbarussam nequaquam mœnibus, quæ tot nostrorum tormentis non magno labore prosterni possent, esse confisurum, sed omnes sub signis ad ostentationem eductum copias, vt inconditæ multitudinis conspectu procursuq; terrere nostros, & immisso Numidarum equitatu, magnusq; de more gentis sublatis clamoribus perturbare niteretur. Nec tamen Turcas pedites, quibus vnis maximè fideret, & parcere vellet in aciem esse productum, verum reliquā Afrorum turbam obiecturū armato hosti, vt quid efficere posset, extra suorum periculum, Punico tantùm sanguine, vir astutus, & callidus experi

periretur. Nihil enim eum suis nationibus magis alienum, magisq; miserũ arbitrari, quàm si collatis signis collatóque pede confligeret cũ eo hoste, qui phalanges splendenti protectas ferro, & prælongis horrentes hastis, stabili gradu promouens, nudos iaculatores & sagittarios, carpentésque incedentia agmina inermes Numidas irrisurus esset, & nullo negotio prostraturus. Nostros autem nihil omnino perpessuros aut sensuros infestius quàm ardorem solis & ebortam inde sitim, cui tamen malo facilè occurri posset crebris aquæ subuectionibus. Eam namque è propinqua classe vtribus, & cupis ligneis per seruos, & frequentibus nauiculis per stagnum abundè posse comportari, dispensariq; per acies, quanquam in proximo non longè à mœnibus veteres cisternæ satis magnam vim aquæ dulcis sitientibus præbituræ crederentur, nisi eas malignus atque atrox hostis communi incommodo venenũ inficeret. Hac suo ordine ad Cæsarem perlata, eum in suæ spe non dubiæ victoriæ confirmarunt, isq; totus in eam cogitationem generoso consilio incubuit, vt nihil militaris studij curæq; remittens, quàm primum vniuersas copias Guletæ & Tuneto admouendas decerneret. Cæterùm parandis his rebus instruendisq; militibus, & noscendis hostium consilijs, quum impense vacaret Cæsar, varia nostri

nostri quotidie cum Numidis prælia serebant, sic vt semel iusta propè pugna cum Barbaris certaretur, quæ initium hoc modo habuit. Barbari aneis aliquot tormentis inter oliueta dispositis, pilas continenter in castra iaculabantur. Ea re cognita Cæsar, omnibus Italis, & veteranis compluribus Germanorum Hispanorumque cohortibus aggeri, & castris præsidio constitutis, reliquas copias & equitatum eduxit, quum paulò antea Montegium equitatui Hispanico præfectum contra hostes præmisisset. Cum Barbaris aliquandiu vario euentu certabatur, nam tametsi per aliquot scloppetarios pedites satis prosperè cõtra hostes nostri rem gerebant, Hispani tamen equites, vti ex clientibus procerum parum armorum vsu peritis conscripti, Numidarum & Turcarum equitum vim ferre non poterant sic, vt inspectante Cæsare perturbati, & terga dantes, ad grauis armaturæ vexilla confugerent, & ipse dux Montegius vel acerrimè pugnãs, solido thorace Numidica cuspide perforato grauiter sauciaretur, atque ægrè seruaretur, & idem vitæ periculum vulnere accepto adiret Garzias Lassius, non genere modò verùm poetica lauro perillustris. Hunc sauciatum & circumuentum Federicus Carafa nobilis Neapolitanus suo hostilique sanguine perfusus seruauit. Id autem pugnæ genus eiusmodi erat,

erat, & magno impetu primò procurrerent, deinde quum premerentur, consultò terga darent, & hostium impetum cedendo restingerent, rursus conuersi infestis signis irruerent in hostem. Sed aliquanto iniquius Hispanis nam tametsi optimi generis equos adduxerant, minimè tamen eos huiusmodi prælijs insuefactos habebant. Quoniam equestris exercitatio post depulsos Batico imperio Mauros, iampridem exoleuisset, præterquam quòd hastarum longitudine, etiã Barbaris erant impares, ideóque pauci aduersus multos ingruentes consistere non auderent. Cæsar vbi suos à Barbaris acrius premi ac cedere paulò longius vidit, celeriter cum grauioris armaturæ equitibus aduolat, cuius aduentu & acri impressione Barbari tormẽtis curulibus amissis, præcipites sese fuga mandarunt. In eo concursu Cæsar ipse, vti ante agmen armatus constiterat, diuum Iacobum, quod est Hispanorum equitum tutelare numen pro tessera clariore voce inuocauit, & in Barbaros ita inuectus est, vt non ducis modò intrepidi, sed pugnacissimi etiam militis officium præstaret, coronæq; ciuicæ honorem promereretur, quum Andream Pontium equitem è Batica nobilem equo perfosso deiectum, & grauiter in facie vulneratum, ideóque circumuentum ab hostibus suo interuentu seruauisset. Vni eo die è nostris

stris pauciſſimi equites Graci, duce Lazaro Coroneo, Barbaros vsque adeò mirabili feriendi atq; eludendi arte præsentiq; audacia repellebant, vt sæpe dare terga cogerent. Sed Grecorum, & Lazari inusitata ferocia temeritatéque fiebat, vt quum abeuntium agmina lacessendo instandoq; intemperanter persequerentur, oborto pudore, Barbari indignanter in id procax & pileatum hostium genus ora & signa conuerterent, redintegrataq; pugna refugientes effuse consectarentur vsque ad cataphractorum alas, quas Græcorum periculo commoueri laxarique necesse foret, id grauiter ferente Cæsare, qui abeuntium terga potius à nostris eo tempore quàm ora pugnantium spectanda iudicabat, tanquam equitatui suo valde perterrito diffisus, sic vt Lazarum sæpe reuocatum, nec dicto audientem districto gladio persequens, nisi lazatis fortè ephippij cingulos ex equo in arenam propè decidisset, percussurus esse crederetur. Per eos quoq; dies accidit, vt Barbarorum circiter triginta millia ad occupandam turrim, in editiore antiquæ Carthaginis tumulo sitam, magno studio & velocitate contenderent. In ea turre Cæsar quòd castris immineret, paulò ante præsidium paucorum militum reliquerat. Barbarorum agmen magus quidam sacerdos Numida superstitioso vlulatu edito præibat, spargens circumqua-

que quasdam syngraphas, quibus Christiani nominis militibus dirum exitium imprecabatur, iamq; nostros inclusos turri, atq; igne & fumo circumuentos vehementer premebant, quum Cæsar ipse protinus promotis equitum & peditum aliquot ordinibus, Barbaros inuasit, atque omnes celeriter mago sacerdote ante alios interfecto, terrore perculsos in fugam coniecit. Audiui ego postea à Cæsare, quum apud Neapolim mihi scripturo totius partæ victoriæ seriem enarraret, se ballistariorum equitum alam magno proculdubio usui contra inermes hostes futuram, eo die plurimum desiderasse, vt Numidæ, & equi eorum præsertim, quos magno parant pretio, ideoq; secundum vitam longè habent carissimos, verutis configerentur. instauraturumq; propterea eius scorpionarij ordinis dudum intermissi, & sensim exolescentis peculiarem alam, quasi opus foret aduersus Barbaros vteretur, sicuti ipse paulò ante inter prætorianos custodiæ corporis equites habere consueuisset. Per hunc modum Hispanico equitatu perculso plerique putauerunt nostros equites si vniuerso prælio certaretur, neq; numero neq; genere armorum Numidæ hosti pares futuros, exploratam tamen per sclopettarios, & cæteros pedites victoriam existimari, qui audaciter effusos adoriri, & sese in oliueta insinuare condereq; ad occasionem inuadendi hostis

hostis solerent, & multa illis ex occulto detrimenta inferrent, vt tum accidit, sicuti supra demonstratum est, quum conglobatam in proximo tumulo Aforum manum, constitutaq; ibi duo curulia tormenta in nostros sæpe displodentem, facto impetu depulerunt, potitiq; tormentis, aliquot eorum in capessenda fuga pertinacius hærentes contrucidarunt. His de causis quæ supra commemoratæ sunt, nonnulli graues togatique homines bello minimè imponendum finem sed maturè recedendum ex Africa dictitabant, quòd satis profecisse Cæsar videretur, vel ad laudem, quam iam non mediocrem Guletæ capta, occupataque hostium classe esset consecutus, vel ad vtilitatem, totis scilicet Europæ litoribus prædonum metu liberatis, & tum maximè quum vulgò milites fœdis atq; mortiferis alui profluuijs laborarent, ærorumque numerus in dies augeretur, ex aduerso autem prapotentes Numidarum reguli veteres Muleassis inimici ad Barbarussam peruenisse nunciarentur. Horum intempestiuas voces Cæsar opportunè compescendas ratus, contra eos graui oratione disseruit, tanquam ineptius atque timidius, quàm homines constantiæ & virtutis opinione ab se in consilium receptos deceret, de rerum successu futura q; victoria angustissimis vsque adeò animis dubitarent. Eam enim se ab ipsis tanquam inutilem & prorsus

infamem studij operam non requirere, vt de salute sua potius quàm de dignitate soliciti esse velint. Ea siquidem antè susceptum, & bono euentu semiconfectum bellum, prius quàm in Africam traijceretur, commemorari debuisse: nam tutò se in Hispania bello vacuum conquiescere, atq; omnes maritimæ oræ iniurias, & miserorum querelas contemnere facilè potuisse. Cæterùm grauissimis (vti ipsi scirent) de causis eò esse peruentum, vbi ad retinendam cùm publicæ dignitatis, tum priuati nominis existimationem, aut opima parta victoria, aut si id superi nollent, honesta saltem morte famæ satisfaciendum esse censeret, quando ipse omnem vitandi dedecoris, & parandæ laudis rationem, ipsa vitæ cariorem semper habuerit. Proinde sibi satis impauido, vel adulari, vel fortibus inauspicatum terrorem incutere desinerent, & quicquid ad belli exitum Fortuna adueheret, se duce constantibus animis in crastinum diem expectarent. Conflicturum enim se iusto prælio, aut si hostis abnueret, admotis tormentis Tuneti mœnia quassaturum, ea mente, vt Deum diuosq; omnes, quos susceptis rite votis propitiasset, sibi pro pietate & summæ æquitatis causa bellum gerendi proculdubio affuturos crederet. Cæsar præsidio Guleta imposito, diruta munitionis aggerem instaurari, captaq; tormenta, more nostro subditis votis recon-

reconcinnari iussit, quæ magnis insertæ trabibus, & nauali rudiq; artificio armillis præcinctæ ferreis, neq; verti commodè, neq; aptè dirigi facilè poterant. Indeq; latè exploratæ regione, quæ inter oliueta, & dextros stagni margines nudum & expeditũ iter ad vrbem ostendebat, castra promouit, ita composito agminum ordine, vt paratus ad pugnam instructa acie, aduersus omnes insidias, incursusq; Barbarorum iter faceret. Ad læuam Itali stagno proximi, Hispani ad dextram oliueta spectantes, mediam Germanorum phalangem suo incedentem passu vtrinque tuebantur. Iuxta hanc erant tormenta, & secundum hæc impedimenta totius exercitus. In principijs Vastius, penes quem concessu Cæsaris eo bello, eoq; præsertim die militaris imperij potestas erat speculabundus & hortabundus versabatur. Albanus vallo equitatu delectisque cohortibus confirmatus, in postremo agmine curabat. Cæsari in medio apud vexilla locus fuerat attributus, cuius lateri cohærebat Ludouicus Lusitaniæ regis frater. Italis peculiaris erat adhortator princeps Salernitanus, Hispanis Alarco dux vetus, & Germanis Maximilianus Ebersteinius, sed cunctis ordinibus adequitans armatus Cæsar aderat, alacri vultu & fiduciæ pleno, commemoratis superiorum temporum victorijs, quas sibi inuicta virtute peperissent. Eo autem die

ab ipsis operam longè glorioſiſſimam expectare, peſtquàm aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, qui eſſent inermes dimicandum foret. Itaque fortibus animis armorum pondera, cedentis arenæ moleſtias pulueris & ſolis æſtum, & ipſam denique ſitim tantiſper ferrent, dum conſpecto hoſte conſeri manus poſſent. Victoriam profectò Deum diuóſque omnes pro quibus pugnarent, haud dubiè præbituros. Ipſos autem manere opulenta prædæ præmia, quæ ex direptione ditiſſimæ Vrbis expectari poſſent. Succlamatum eſt à cunctis agminibus, ne his quæ commemoraſſet difficultatibus angeretur, ſed ſperaret ſuos milites cuncta incommoda æquiſſimis animis toleraturos, & egregiè pugnando veterem ſpectatæ virtutis opinionem non fallerent, & ipſum non in Africa modò ſed Hieroſolymis recepto Chriſti ſepulchro ſupremum ſummæ gloriæ imperatorem conſtituerent. Subduxerat Vaſtius è dextra Hiſpanorum aciequa oliueto erat coniuncta, duas ſclopettariorum manus, quas manicas vocabant, quòd continuum inſtar diuerſo Italorum agmini, eo modo erant coniunctæ, & admixtis eorum ſclopettarijs ad oliuetæ vſq; longo tractu ſeſe extenderent, & cum Barbaris diſperſim extraordinario pugnæ genere præliarentur, Barbariq; ad poſtremum vſque agmen carpendo ſigna verterent. Verum eos Albanus pari ordine per

ne per ſclopettarios, & inſtitutas ad id equitum turmas egregiè reprimebat. Iam ad ciſternas quas Muleaſſes, & plerique alij periti regionis indicarant, erat peruentum, hiſque procul conſpectis, noſtri ſub ardentiſſimo ſole pondereq; armorum, luceſſente immodica ſiti fatiſcentes, potandi deſiderio abruptim ordines deſerere, & ad eas citato curſu deferri cæperunt, fruſtra vetante, comminanteq; Vaſtio, qui magno incommodo diſſolui aciem, & propinquos hoſtes vltro ad rem bene gerendam accerſiri noſtrorum impatientia præuidebat. Quum ille retentando verberandoq; nihil proficeret, eò decurrit Cæſar, vt præſenti authoritate ægrè parentes in ordine atq; acie contineret. Verùm vbi valida atque intoleranda ſitis ſudantia corpora perurgeret, neq; conſpectus Cæſaris, neq; vis imperij quicquam valebat, quòd multi tum prope exanimes in arena procumberent, ita vt Cæſar quoſdam properantius ſe demergentes vt poterant, haſta tragula percuteret. Tum quoq; Arpinas inſignis centurio, qui Tullij Ciceronis nomen ferebat, & ſub Clemente Pontifice Vrbis prætori Magaloto dextram detruncarat, auidè potabundus in ciſterna perijt. Per hunc modum temeritate caſtigata, celeriter ordines ſunt reſtituti. Hoc autem meritò illis accidiſſe videbatur, quoniam Vaſtius pridie totis caſtris pronunciari iuſſe-

rat, vt quisq; miles vtriculum aquæ, aut vini lagunculam sibi ad zonam subligaret, quanquam publica diligentia per acies opportuna aduersus sitim remedia plenioribus vasis circumferrentur, qua in re Germanis largius indulgendum fuit. Nec defuere qui propemodum exanimati, à proximo commilitone aquæ semihaustum binis aureis agrè impetrarent. Compositæ igitur acie signa aduersus hostes promota sunt, Barbarussa enim magnis peditum & equitum explicatis agminibus, in quibus Barbarorum consuetudine multa ad terrorē inanemq; speciem vexilla, spectabantur, ad tertium ab vrbe lapidem peruenerat, productus q; aliquot curulibus tormentis nostrorum aciem, vti prædixerat Muleasses, perturbare conabatur. Vastius crebrò displodente Barbarussa, nec vllum tamen detrimentum Christianis ordinibus afferente, tormenta proferri in primam aciei frontem iussit, vt his aduersi hostes imperterrentur. Ea verò quum agrè tardeq; adduci animaduerteret, quòd iugatis seruis & funibus traherentur, curruumq; rotas arena deuoraret, & pilæ ferreæ, sulphureiq; pulueris cadi, remigum & nautarum humeris segniter comportarentur, consilium repentè mutat. Cæsarem edocet sibi nequaquam videri contendendum esse tormentis, in ea occasione, qua milites pugnæ desiderio incitati, summa omnium alacri

alacritate signum sibi dari vehementer expeterent, rem omnino fortissimis militum dextris, Fortunaq; ipsius bono euentui semper aspirantis audacter esse committendam, ne dum (inquit) tormenta non semper magno vsui repentinis in prælijs futura, serò expectantur, inutili mora, augeatur Barbaris animus, & totus hic non dubiæ victoriæ prænuncius militum animis conceptus ardor importuna cunctatione refrigescat. Ad ea Cæsar ab erecto in spem inuictóque animo pugnæ auidus, Dauale, inquit, si tibi hoc probatur, quod disciplinæ ratio mihi pariter ostendit signa canere iubeto. Hoc ille extemplò faciam respondit, subiungens æquum esse, vt qui toti propè terrarum orbi imperaret, ei parere condisceret, quem graui cum onere pudoreq;, eo die tanti exercitus ducem, abdicato imperatoris nomine, esse voluisset. Itaque iure meo, inquit Daualus, iam vtor, iubeóque, vt hinc abscedas ad mediam aciem vbi sunt vexilla, ne fortuitò adducti periculo, inexpiabile subeat discrimen. Ad id subridens Cæsar, & ne id timeret subdens, quando Augustorum Cæsarū nemo vnquam tormenti violentia concidisset, confestim ad signa se contulit. Itaque pugnæ signo multo tympanorum crepitu, & tubarū clangore edito, in hostes est procursum, aliquanto pleniore

ordinum gradu, impetuq; præsertim leuis armaturæ, quàm sol cuncta exurens deposceret, vt emissas ab hoste pilas periculi spatium emensi, celeriter euitarent. Erat in prima procurrentiũ fronte Ferdinandus Gonzaga, cuius eo die extraordinaria opera vtebatur Cæsar, quòd nullum ei esset certũ in exercitu militaris imperij munus. Is cõcitato equo primus omnium insignem Aforum ducem hasta transfixit, adstrictoq; gladio & repetitis ictibus ita proximos perturbauit, vt consequentibus nostris hostilem aciẽ facilè perrumpendam fundendámque præbuerit. Tanta autem extitit glandium procella, vt ante congressum trecenti amplius ex Barbaris sternerentur: ex reliquis peditibus consisteret nemo, sed agminatim desertis tormentis ad Barbarussa aciem confugerent. Is incumbentium nostrorum neq; vim, neq; conflictum diu tulit, sed præ dolore atq; ira dentibus infrendens, equum conuertit, in vrbemq; cum Turcis est reuectus, postquàm suscepti consilij initia aduerso conatu minimè processerant neque quam vniuerso prælio decertandum rebatur, vt qui Cæsaris copias intolerandi æstus incommoda, multarumq; rerum, & aquæ præsertim inopiam nõ diu perferre posse crederet, sperareturq; ab his hostium difficultatibus, præsidi sibi posse occasionẽ rei bene gerendæ, si tantisper defensis vrbis mœnibus cunctaretur. Numidarũ autẽ, & Aforũ agmina, quæ nostris vndiq; circũfusa nihil memorabile gesserant, ad Babasuechã atq; Restabiã suburbana tecta diuerterunt. Alij ad Bardeos vsq; hortos sese extendere. Reliqui in Rabatinorum ædificia vrbi coniuncta recepti sunt. Cæsar ea hostium fuga quorum centum millium numerus esse ferebatur, magnopere lætatus, eodem in loco vbi hostis constiterat castrametatus est, initoq; statim susceptóque consilio, vt sequenti die omnem tormentorum apparatum Tunetanis mœnibus admoueret. Interim Barbarussa nõ obscuro perculsus metu, multisq; simul distractus curis, se ipso factus atrocior, inusitatæ crudelitatis consilium cepit, occidendi scilicet seruos Christiani nominis, ita circumposito et incenso tormentario puluere, vt ad vnum omnes in ergastulis cõcremaret, certus id exequi, nisi Iudæus Sinas execrabile facinus dissuasisset, testatus huiusmodi consiliũ viro forti, tot victorijs inclyto, regijq; diadematis honorem præferenti, indignũ existimari, quando non multò post esset futurũ, vt patrati tanti sceleris ipsum maximè pœniteret. Quid enim esse aliud quàm concepti summi timoris, & supremæ desperationis indicium? quæ duæ res asperũ sustimenti bellũ grauissimè nocerent, & ante actæ vitæ decora deturparẽt. Caueret proinde ne ex atrocissimi facti fama,

Solym

Solymani imperatoris inexpiabile odium adversus se concitaret, qui omnis inhumanæ feritatis expers, immania scelera detestari, & vindicare cōsueſſet. Viuere igitur sineret Christianos fatalibus suis vinctos catenis quādiu fors ferret, qui diligētiſſimè custoditi atq; inermes, non multò post & sui esse, nec sine certa pernicie seſe commouere possent si inauspicata libertatis cupiditate tenerentur. Ab his profectò nec dari hosti, nec sibi eripi, vel deniq; morari sperata victoriā posse. Erubuit ad hæc tyrannus, cōcessaq; miseris vita, arce est egressus, & in longè maximū vrbis templū cōcionaturus se contulit: illuc enim principes Turnetanorū euocarat, vt quæ ad defensionē vrbis parāda essent perdoceret, eorū verò animos adhortatione confirmaret quibus iam pridē arma tanquā suspectis ademisſet. Hæc agente Barbarussa, maximè latus, & felix miserrimis seruis dies illuxit, mox ater conuersa Fortuna valdeq; funeſtus Barbaris rediturus. Id nanq; diri tyranni votū nō diu tegi celariq; potuerat, certus siquidē barbaræ crudelitatis imminentis q; adeò atrocis periculi rumor, per totā arcē vsq; ad ergastula permanarat, misericordia quorundā libertorū, qui domini truculentiam abominati tactiq; religione, animos ad veterē veraq; pietatē reuocarant, primates seruorū sibi notos per secreta

colloq

colloquia ad libertatē excitantes. In his fuēre Franciſcus è Medelino Hiſpaniæ oppido, & Vincentius Catareus Dalmata, deſectæ virilitatis eunuchus. Hic Giafferagas vocabatur. Illum à pueritia educatum, & Arabicas edoctum literas, Hariadenus in delitijs habuerat, & Memim appellabat. Hi duo memorabile maximeq; pium facinus auſi, patefactō carceris aditu, erectis in occaſionē, & audaciter consurgentibus, ad abrumpēdas catenas instrumenta præbuerunt, atque ita præclaro magni Dei miraculo, circiter sex millia nudorum hominū, variis rebus saxis q; præsertim dextras armantium in Turcas erupere. Iam Ramadas è Baetia Hiſpaniæ oppido, præfectus arcis, inexpectato atq; horribili tot catenas effringentium ſtrepitu excitatus, cum armatis quos repente cogere potuit, ad arcis portam decurrerat, in cuius limine, Siculus iuuenis ingenio manuq; pröptiſſimus arreptæ repagulī trabe, vnum atq; alterū custodem proſtrauerat, obseratis q; ferreo vecte poſtibus, porta fuerat potitus. Sed Ramada impetū faciente, Siculus vti erat inermis confeſtim interficitur, & reliqui portæ aditu depellūtur. Ipſe reseratæ portæ ſibi ac ſuis egreſſū parat, & cū aliquot generoſis equis, & ſarcinarijs iumētis, quibus carioris ſupellectilis partē raptim impoſuerat, ad Barbaruſſam acerbiſſimi ca

mi casus nuncium ferens contendit. At Christiani exutis cōpedibus tumultuarieq; interfectis aliquot Turcis, totā occupant arcem, armamentarium refringunt, atque omni regia gaza, cōmeatu, armisq; potiti, ab excelsa parte arcis de sua victoria Cæsarianis significāt partim fumo partim flammis ab incenso sulphureo puluere excitatis, expansoq; demū vexillo, quod Sarmentina cohorti apud aggeres ademptum fuisse docuimus. Hac tametsi dubia significationis argumenta, nostri in multo spatio nequaquam præclarè perspicerent, crebris tamen Tunetanorū ad Cæsarem, Muleassemq; transfugijs adducebantur, vt grauem omnino apud hostes exortum esse tumultum crederent. & Cæsar cum expedita manu Giahenum, & Buccanigram, qui seruis opportunè rebellantibus opem ferrent, ad explorandū, vrbi atq; arci appropinquare iuberet. Interea Hariadenes Iudæo in primis, qui importunè obsistendo expeditū, & salubre consilium euertisset, falsisq; item Dijs suis crebrò maledicens, ad arcē reuertitur. Obsecrata ianua supplex & propè lachrymās seruos orat, mœnia portasq; tenētes, vt se cunctis parcere integra fide paratū extemplò recipiant. At illi veteris nouæq; Fortunæ suæ memores, iustoq; exacerbati odio, in eum certatim lapides conijciunt, adiectis cōtumelioſis vocibus submouent.

mouent, sic, vt ille ira & dolore præpeditus, & furens, in conspectos sua manu sagitta dirigeret, & rebus planè perditis, & cōclamatis, deformē in fugam verteretur. Secuta sunt fugientē Turcarum agmina, quorū numerus septem millū summā implebat, eo consilio, vt ad vrbē Hipponā, quam hodie Bonā vocant, diui Augustini præsulatu celebratam, se conferrent. Ibi enim suas triremes conscendere, mariq; potius quàm terra reliquos Fortunæ suæ casus experiri volebāt, quoniā Hariadenes in stagno iuxta vrbē, & arcem influente, triremes quatuordecim tanquā in statione tutissima reliquerat, ad incerta belli, si opus foret deducendas. Armamenta autē cum remis atq; tormentis deposita erant in arce, quā suo præsidio tuebatur. Cæsar vbi hostē desperatis rebus effugere, Bardeosq; prætergressum hortos, ad Bagradā amnē, qui à Pœnis Magiordech appellatur, extētis itineribus properare certius didicit, Tuneti portus omnes copias admouit. Aduentāti præstò ante affuēre ciuitatis magistratus, qui allatis portarū clauibus deditionē facerent, eiq; incruētæ victoriæ felicitatē gratularētur, se autē gratissimo animo, quòd essent seruissima Turcarū tyrannide liberati, cuncta quæ imperaret, protinus esse facturos. Id vnū petere ab æquitate optimi, & clementissimi imperatoris, vt milites

extra

extra Vrbē in castris cōtinere, & ciuitatē cumulato obstrictā beneficio, inuiolatā præstare vellet: postquā Muleassem antiquissima stirpis ipsorū regē, singulari benignitate reducēdum adduxisset. Nihil enim milites ex Vrbanis rerū omniū copijs, quæ suppeditari possent, esse desideraturos. Pro suis quoq; ciuibus deprecator aderat Muleasses, vehementer de ciuitatis salute solicitus. Sed Cæsar quanquam ad id præstandū, satis propenso animo esse videretur, tamē quod de Punica fide nō temere dubitabat, & quā Tunetani per Muleasē pecuniā se in stipendiū prabituros antea promisissent, astutè & cunctāter extrahendo tēpus expedirēt, vtpote qui de supremis Barbarusſæ consilijs euentū expectabant, vt id prolixè polliceretur adduci nō poterat, et quominus Pœnis quicquā certū de eorū salute promitteret, vel ob id admonebatur, quòd turbidas fremētium militū voces audiebat. Dictitabat enim se perinique simul & ingratè, tot nauigationum ac itinerū extrema perpessos incomoda, iusto Victoriæ præmio fraudari, postquā ipsos illuuie obsitos, & inopes, nihil iam aliud sustentaret & aleret, quàm oblatæ spes prædæ, quæ sibi lacera veste vix pudenda tegentibus, exustisq; longo labore, & siti inclementer eriperetur, scilicet, vt Tunetani religionis hostes perpetuiq; receptatores, & hospites immanium prædonum, Christiana victoria lætari possent, ipsi autem victores elusi, vndiq; suas ærumnas perpetuò lugerent. Suspenso adhuc Cæsare, Vastius cū parua manu ad arcis portam accessit, & à seruis qui se in libertatem vendicarant, cum insigni gratulatione receptus est. Inspectanti autē Barbaricas opes, & totū arcis apparatū seruus Ligur absconditæ pecuniæ latebras indicauit. Demersérat enim Barbarussa in cisternam ad triginta millia nummū aureæ monetæ, pluribus insutæ culeis. Hos expiscatus Vastius, à Cæsare prædæ donatiuiq; nomine, vt sibi concederentur facilè impetrauit. De se enim omnibus bellis optimè meritū, & ex natura liberalis ingenij inter principes eius ætatis maximè largitorē, eo munere dignissimū existimabat. Verum arce inexpectatæ felicitate in potestatem redacta, et iam diripientibus cuncta seruis, miles diutius cōtineri non potuit, quin agminatim intraret Vrbē, & per cunctas regiones ad prædam discurreret. Tunetanis nihil fere hostile expectantibus, & magno eiulatu edito, Muleassis fidē frustra implorantibus. Paulò siquidem ante conspecto Muleasse gens æquè mobilis, & infida, pronaq; in adulatione, magnas inusitatæ lætitiæ significationes manuū plausu, et crebra gesticulatione corporū, secundisq; acclamationibus omnis virorū & mulierum

 atas

atas ediderat, scilicet, vt antiqui in nostros odij libidinem reconderent, ob idq; victores nostri nullo eorum merito ad misericordiam flecterentur, quum ex conscientia incertæ fidei, id summæ calamitatis incommodum vltro sibijpsis contraxissent. Primus inhiantium prædæ impetus, vti inuadentium, & effringentium fores varij casus tulerunt, promiscua cæde cruentus fuit. Sed Hispanis atque Italis in auaritiam promptioribus, Germani ab irsuta animi feritate Mahometano cruore sitim explere properantes, ita cadaueribus cuncta compleuerunt, vt imbellem omnis sexus, & ætatis turbam, ad inanium Deorum templa confugientem, sine discrimine trucidarēt, & pauimēta damnatis in templis multo inermium sanguine imundarentur. In eo cadentium miserorū strepitu, lugente obtestanteq; Muleassē, Cæsar sanitia modū imposuit, pronunciariq; iussit capitale fore, si quis Tunetanum violaret ciuem, aut in seruitutem abduceret. Fieri tamen nequijt, quin multi, adolescentesq; præsertim, & formosiores fœminæ ad classem raperentur: nā socij nauales, fama diripiendæ vrbis excíti ad vrbē conuolabant. Quamobrem Muleassi licuit quos nouerat ē manibus prædantium in libertatem exigua pretio vendicare sic, vt vnā ex vxoribus etiam, quæ antea inter carissimas fuisse dicebatur, bini-

binis redemptam aureis constet. Cæsar ingressus arcem seruos, qui clarissimo facto summa parandæ victoriæ occasionem præbuerant, collaudauit, diuisaq; virilim certa pecunia quæ sese alerent, liberos fore dixit, pollicitus nauigia, & commeatum quibus in suas terras transportarentur Medelinum autē, & Giafferagā, quos Barbarussæ alumnos, & effringendi ergastuli authores fuisse docuimus, pecunia vestēq; donauit, à quibus postea multa de Barbarussæ consilijs, arcanisq; moribus didicimus. In ea arcis direptione tria incomparabilis iacturæ detrimenta Muleassés deplorauit, Arabicorum voluminum in primis, quæ conturbata atq; directa bibliotheca perierūt. Asseruabantur enim antiquissimi codices, nō disciplinarum modò omnium præcepta, sed superiorum etiam regum res gestas, & Mahometanæ superstitionis interpretationē continentes, quos rex ipse postea me audiente, scribius vrbis pretio (si fieri posset) auidè redempturū differebat. Secundo loco fuit vnguētorum odoratiq; Indici aromatis officina inquam patris Mahometis exemplo, prodigiosi sumptus, inusitataq; luxuria orientis opes cōtulerat. Siquidem plumbeis in loculis, eburneisque arculis tantæ vis ambræ, muscí, & zibeti (harum rerum antiqua vocabula adhuc ignoramus) in balnei quotidianos vsus, et

nocturnos diurnosq; cubiculorum suffitus erat recondita, vt ingentis auri ponderis pretium excederet. Quæ tamen omnia Hariadenus victor, militari duritia subagrestis, & damnarat, et effuse contempserat. Postremò varia maximeq; pretiosa pigmentorum genera, ab ignaris seruis atque militibus, præsentis tantum & manifesti lucri spolia quærentibus, stultè prætermissa dissipataq; sunt. Nã acerui plures cærulei transmarini, quod cyaneũ efficit colorẽ, & à Græcis authoribus lazurium vocatur, in armariis reperti sunt, multiq; culei, cocco, et lacca Indica pleni, quæ purpuræ colorem æmulantur, & à pictoribus eximijs, & lanarũ telaq; sericæ infectoribus magno commuutur pretio. Quæ omnia tum fœdè perfundata nemini prædæ futura disperierũt. Ingenq; quoq; ballistarũ, & nostri moris telorum, & armorũ, thoracumq; præsertim ex laminis & galearum apparatus est repertus, agnitiq; sunt in his cassides, ocreæ, femoraliaq; Gallorum equitũ, ab eo tempore quo Ludouicus rex Galliæ Tunetũ ante trecẽtos annos obsederat, à Pœnis de Christiano hoste parta, quæ ad eius belli memoriã custodita seruabantur. Interea Hariadenus ad Bagradam amnẽ, qui Maiordech à Barbaris appellatur, iter intendit, vadoq; propter æstatis siccitates facilè reperto, transgressus est, ne quicquã persequẽte vel lacessen-

lacessente Numidarũ ala, quam Muleasses ex veteribus amicis, auunculiq; Doracis clientibus coactã, abeuntes Turcas persequi iusserat. Eo nanq; ordine Barbarussa iter habebat, vt postremo suorũ agmine, certis sclopettariorum & sagittariorũ præsidijs more militiæ confirmato, neq; manus conserere, neque appropinquare quidẽ ausos facilè cõtemneret, & Hipponã omnibus suis incolumibus, vti statuerat, intactus euaderet. In transitu tamẽ Bagradæ amnis Haydinũ Smyrnæum inclyti nominis piratam desiderauit, quum is in magno solis ardore longoq; itinere fessus, & multo adipe pragrauis, cogente siti ex profluente auidius potando, disruptis præcordijs in ripa expirasset. Hariadenus vbi Hipponã peruenit, primũ omnium recreandis copijs bidui quietem dat, concioneq; habita vniuersos consolatur, hortaturq; vt quodcunq; incommodũ iniqua sors attulerit, id nequaquam hostium virtuti, sed seruorũ perfidiæ tribuendũ existimare velint. Fortunam inuictis patientissimisq; animis ferendam, eamq; noua virtute conciliandam arbitrarentur. Sibi esse in animo classem educere, atq; inde continuò Algeriũ proficisci, vbi maioribus præsidijs comparatis, classeq; adaucta, & nouo suscepto consilio, rem ipsorum votis parem, & sua existimatione non indignam sit ausurus. Nunquam illi duci ab ad-

uerso rerum euentu fracto subactoq;, alacrioribus animis à militum corona succlamatum fuisse memorant, quum vltro deposcerent, vt quæ vellet, vel grauissima atque asperrima vniuersis imperaret, nihil enim se recusaturos modò ad rem gerendam educerentur. Itaque credibili studio & promptissimis suorum viribus fretus, triremes quatuordecim demersas in stagno, ipsoq; prosluentis fluminis vado, admirabili celeritate educit, suisq; impositis armamentis protinus exornat. In margine stagni aggerem erigit, productaq; munitione in eam tormenta confert, nō inani coniectura iudicans, non multò post nostrorum classem affuturam, & egressum impediret. In eo quoq; consilio Cæsar & Auriæ partitione versabantur, vt hostem euadere parantem præoccuparent, rati eius classem priusquàm deduci adornariq; posset, si pars ipsorum classis eò mitteretur, tormentis in statione demersuros. Ad eā rem conficiendam ab Auria deligitur Adamus Centurio Genuensis, nō magnopere rei nauali peritus, sed assiduitate Auriæ & multis diuitijs æquè fidus & potens. Is certum triremiū numerum sociis imperat, & sublato vexillo cum quatuordecim tantum rostratis ad Hipponā prouehitur, certam facilemq; victoriam, ingentémque inde sibi laudem de imparato hoste se adepturum sperans, quòd in apparatu

paratu instruendæ classis occupatū Barbarussam fore crederet. Sed postquàm Bisertū præteruectus Hipponæ appropinquare cœpit, Barbarussam incomparabili celeritate classem eduxisse, & munitionem tormētis instruxisse certius didicit. Qua re vehementer perturbatus consilium mutat, monentibus trierarchis, vt omnem certaminis aleam deuitaret, quod in sociorū triremibus, Hispanicis præsertim, Siculis & Neapolitanis, rari essent propugnatores, vt qui ad prædæ spem antea, iniussu in terrā descendissent, ideòque iniquissima conditione cum Barbaris numero seruiteq; præstantibus pugnaturus censeretur. Itaque opportunè prudens obuerti proras iubet, & velis remissis regreditur, vt maiorem partem classis accersat. At Barbarussa, vti postea cognitum est, diu in incerto habuit, an nostrorum classem ad spem victoriæ consequeretur, postquàm pari triremium numero foret confligendum, an potius in vetere proposito petendi Algerij persisteret. In hanc sententiam inclinarunt trierarchi, ignari prorsus infrequentiæ imbecillitatisque nostrorum, atque ita occasione magni certiq; prouentus prætermissa, modico Turcarum præsidio arci imposito, oram soluens, Algerium enauigauit. Redeunte autem Adamo rebus infectis, plerique principes ægerrimè tulerunt, quòd incuria quorundam imperio ægrè

parentium, & flagitio sociorum naualium, qui iniussu in litus descendissent exoptata victoriæ occasio elapsa videretur. Hoc enim vnico bello ad summã Cæsaris felicitatem defuit, nam præferoci hosti si ei classis à nostris erepta aut demersa fuisset, nullus omnino tutus ad fugam locus relinquebatur, quoniam innumerabiles Numidæ, Turcarum ex professo hostes, per mediterranea arumnosum iter habentem ex notis saltibus inuasuri, & priusquàm Algerium peruenirent, omnino deleturi crederentur. Caterùm Auria grauiter indignatus sibi & suis nec tamen desperãs hostem se adipisci posse, cum tota sua peculiari classe, cæterisq; validioribus sociorum rostratis, Hipponam contendit. Cognito autem Barbarussæ discessu, vrbem cepit, murósque diruit, arcs vero, quam tormentis in potestatem redegerat, præsidium imposuit, duce Aluaro Gometio regressusq; est ad Cæsarem. Caterùm Gometius, tametsi strenuus erat bello fortissimus, vsque adeò tamen auaritia erga hostes pariter & socios euasit infamis, vt iudicij metu manus ad turpem vitæ exitum sibi conscisceret, & Cæsaris iussu arx ipsa, quæ non nisi magno sumptu defendi poterat, funditus euerteretur. Exinde consultatum est de Muleasse, Cæsarq; eum Tuneti regem maiorum suorum consuetudine regnaturum constituit, binósque tantum falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis imposuit ea conditione, vt Christiani nominis amicus, Turcarum verò gentis perpetuus hostis, Cæsaris nomen coleret, & Guletano præsidio, quod ex Hispanis amplius mille imponebatur, stipendiũ persolueret. Cogitatũ subinde est de oppugnanda vrbe Africa, quæ in Adrumentino sinu vacua Turcarum præsidio tenebatur. Hæc vrbs antiquitus parua Leptis fuit, hodie à nostris Africa, & a Barbaris Mahemedia appellata. Sed aduersæ tempestates, classem superare Clupeæ promontorium (hæc hodie Calibia dicitur) & sese in sinum Adrumentinum, quem vocant Mahometæ inferre prohibuerunt, atq; ita classis Siciliã tenuit. Cæsar Panhormi & Messanæ triumphali pompa exceptus est, donatusq; passim pecunia, Rhegium traiecit, & per Brutiorum oppida hospitaliter à Sanseuerino Besenniano regulo susceptus, Neapolim peruenit. Quum esset in itinere, nunciatum ei est Fraciscum Sfortiam è vita decessisse, cuius morte grauissimæ exortæ sunt bella. Nã Franciscus Galliæ rex, Cisalpinæ Galliæ imperium à Cæsare sibi concedi postulabat, cum suo iure antiquæ hæreditatis à Valentina Vicecomite repetito, tum præclara Maximiliani Cæsaris concessione, qui id tabulis ritè confectis acceptáque honorarij muneris pecunia, Ludouico

regi post exactum captumq; Ludouicum Sfortiã adiudicasset. Sed Cæsar non ignarus quantum sibi authoritatis, potentiæ, & certi quotidiana pecuniæ prouentus, ex Galliæ Cisalpinæ possessione, imperióque accederet, Sillis precibus adduci non poterat, vt opulentissima Italiæ pars, præpotentibus Transalpinæ Galliæ regibus adijceretur. Hos enim parto Mediolanensi imperio (vti eos iampridem fecisse memineramus) minimè quieturos existimabat, sed auiditate proferendi imperij aliena ipsiusq; in primis regna protinus inuasuros. Neq; eum quominus constanter in sententia sua maneret, Italiæ principes deterrebant, quibus potentiã suam tot auctam opibus, magnopere suspectã, ideóque formidandam intelligebat, vti recenti exemplo didicisset, quum illi authore Pontifice ad arma consternati, cũ dira rerũ omniũ perturbatione, vel sæpe victi multatiq; omnibus aduersæ Fortunæ malis, hoc pertinacissimè expostulassent, & demum impetrassent, vt Mediolanum Francisco Sfortiæ redderet, Hispanosq; milites omnibus populis graues, deduceret. Ex aduerso Franciscus nihil æquum, in seq; propensum à voluntate Cæsaris expectãs, nec tamẽ ea in re animum despondens vt qui armis aduersus Cæsarem primus vti nollet, extincto Sfortia, in Carolum Sabaudium arma vertit, vt per eius ditionis fines expeditum

tum sibi iter in Italiam pararet. Causam autem inferendi belli hanc præferebat, quòd Sabaudius Nicæam Prouinciæ vrbem antiquitus à Gallis certa pecunia oppignoratam sibi eripi nollet, ne opportuna & munitissima vrbe, quæ Galliam ab Italia disterminaret, exueretur, rege eam plurimum flagitante, restitutaq; pecunia redimere cõtendente. Is enim vrbem excelsa arce validam, & propter Herculis Monœci portum, magnas nauigationibus cõmoditates afferentem si bellum gerere oporteret, magno sibi vsui futuram prouidebat. Alienarat rex tampridem animũ ab amicitia Sabaudij grauibus ictus offensionibus. Nã is, tametsi Francisco erat auunculus, vxoris tamen Lusitanæ illecebris deprauatus, defatigatusq; assiduis precibus (hæc erat vxor Cæsaris Germana soror) neglecto Gallo, se totũ ad authoritatem nutumq; victoris Cæsaris ita contulerat, vt vrbem Astam ab eo sibi dono oblatã accipere non recusaret, filiumq; tanquã fidei obsidem in Hispaniã Cæsari educandum mitteret, quæ tum importunè atq; impudenter admissa fuisse Galli disserebant, nullum enim Gallo certius erat in Italia patrimonium ipsa vrbe Asta, quam amplius centum annos sine controuersia possedisset. Verum eam Cæsar qui Gallos Italia penitus eiectos, vlla ad spem reditus in Italia certa sede potiri nolebat, auidè

auidè expetenti Lusitanæ, nec abnuenti Virginiæ facilè concesſit, quæ Vrbs coniuncta inclusaq; Subalpinis oppidis Allobrogico regno præclarum amplitudinis & roboris decus adderetur videretur. Fuit aliquandiu magno consiliorum æstu iactatus Sabaudius, vir egregiè probus, ad æquit. atémque procliuis, nec alieni vnquam appetens, nisi esset vxorius, an Gallo regi de Nicæa obsequendum foret, quum in ea nullum aliud quàm inueteratæ possessionis ius sibi esse fateretur. Verùm Franciscus Sfondratus senator è Mediolano, Cæsaris nomine legatus in Allobroges missus, eum ab huiusmodi consilijs impensè deterruit, testatus eũ aduersus Cæsarem facturum, si quicquam cum rege Gallo pepigisset. Eo modo Sabaudius, ne Cæsarem offenderet, cognationis iura, & Allobrogum principum veterem amicitiam, quæ hactenus cum Galliæ regibus inuiolata permanserat, ea minaci obtestatione perterritus, tueri non potuit, miserabili profectò conditione, quòd quum neutrũ offendere vellet, vtriq; demum, sicuti mox euenit se prædæ futurum prospiceret. Nec mora Galli, duce Philippo Sciabotto, quem à præfectura maris Amirantem vocabant, coactis copijs, eum Transalpinis oppidis, quæ pertinent ad Allobrogum fines, inermẽ desertumq; ab omnibus exuerunt, transgressiq; Alpes, aliquot munita oppida Subalpina

pinæ regionis, in primisq; Taurinũ, Fossanum, Penarolum, & Cherium occuparunt, ac nisi Antonius Leua eductis Mediolano copijs, cuncta inuadentibus occurrisset, repressaq; Gallorum audacia, iusti exercitus vim rebellantibus ostendisset, futurum erat, vt Vercellæ & magna pars Subalpinæ ditionis in potestatem Gallorum deuenirent. Neque tamen vlla res in ipso bene cœpta, prouenientisq; victoriæ cursu Philippum magis retardauit, quam Ioannis Lotharingiæ Cardinalis aduentus. Is enim à rege ad Cæsarem cum amplissimis de pace mandatis missus, vbi in castra ad Taurinum peruenit, sua authoritate, quæ apud regẽ erat eximia, Philippo persuasit vt subsistere citra Duriam amnem, neque vlterius arma proferre vellet, ne summæ spei paratæ pacis atq; concordiæ occasionem, offenso exacerbatoq; Cæsare corrumperet. Existimabat nanque se Cæsarem suppressis armis, suspensoq; bello, molliorem & faciliorem inuenturum, vt pote quem neq; vi subigi, neq; vllo rerum suarum periculo permoueri posse intelligeret, vt quicquam suo nomine indignum cum armato hoste pacisceretur. Id Lotharingi consilium ægrè admittebat Philippus, detestantibus præsertim ducibus, peritioribusq; præfectis tanquam importunum, inutile, & graue mox incommodum ex sera pœnitentia gerendis rebus allaturum.

Aderant

Aderant enim lectissimi proceres ducesq; & præter Gallos in queis eminebant Montegiannes, Palicia, Burrias, etiã Italici nominis Stephanus Columna, Paulus Rẽtij Ceritis filius, & Sergianus Carraciolus Melphiæ regulus. Sed contra omnes Lotharingi sentẽtia valuit, vel ob id quòd Philippus eius viri dignitati & ad rem conficiendam ab arcano regis peculiaris officij summam authoritatem afferenti tribuendum putaret, & se satis his belli prosperis initijs ad laudẽ profecisse videretur. Ad id inexpectatum ingratæ pacis nomen, militem gerendarũ rerum studio vehementer incensi, extẽplò perturbatis deiectisq; sua spe animis, vsq; adeò indignanter in iram exarserunt: vt plerique præ dolore gladios abijcerent, hastasq; diffringerent, iactis in ducem probris, tãquam non postea resumpturi, vel si imperio inberentur, postquam importuna cessatione imperator vti parum bellicosus imperitusq; rerum, sese à cogitatione belli, cursuq; victoriæ, ad incertæ pacis spem conuertisset. Neque id postea militaris iudicij factum inane extitit, quãdo & tum paratam victoriam interpellasse, & graues demum Gallico nomini clades importasse videri potuerit. Eo nanque intempestiuis consilij decreto, non mutò post Philippus, non inscitiæ modò, sed proditionis propè apud regem accusatus, tanta exarsit inuidia, vt honore bonisq;

nisq; seuera damnatione spoliaretur, atq; inde summam calamitatem aditurus esset, nisi fœdis probris laceratũ postratumq; ab exilio, vxoris affinitas & clementia regis erexissent. Hyemarat Cæsar Neapoli amœnissima in vrbe, exultus procerum omnium liberalibus officijs, & quod ad popularitatem pertinuit, per otium Carnealium dierum, qui pro Lupercalibus à nostris instituti sunt, Tunetana victoriæ lætitiam, editis equestribus ludis, magnificentissimè repræsentarat, in quibus ipse Mauritaico cultu decucurrit, saltantiumque illustrium fœminarum choreis, remissa ingenij seueritate personatus interfuit: eo quidem licentius, quòd per eas dies Margaritam filiã, Alexandro Medici tam pridem destinatam celebratis nuptijs in matrimonio collocarat, præclara cum laude summæ probitatis, quòd non secus ac viuo Clemente veteribus promissis integram fidem attulisset, quanquã ne id faceret, interpellaretur à Florentinis patritijs, qui exules facti Neapolim coibant, vsq; patrocinio Saluiati & Rodulphi Cardinalium, Alexandrio omni existimatione, principatuq; Etruriæ, & deniq; vxore, vel paratos nuptijs spoliare nitebantur cũ vno consensu, ingentia auri pondera quotannis offerrent si repudiata genere, eoq; Florentia exacto, ciuitati pristinam libertatem restituceret. Eum siquidem per con-

tu-

contumeliam spurium, ex agresti ancilla genitum, immitemq; nobilissimæ patriæ tyrannū, scriptis, atq; editis orationibus appellabant. Sed Cæsar ciuitatem Gallico nomini nō obscurè fauentem, optimoq; belli iure propter infidelitatis noxam, omnia hostilia de se meritam ita oderat, vt omnes restituendæ libertatis conditiones repudiandas iudicaret, eo præsertim tempore, quo excitari ingens bellum prouidebat, quum paulò ante ab ipsis exulibus Hippolytum Medicem Cardinalem ab Alexandro qui patruelis erat frater, deprauatum atque deductum meminisset, vt eorū dissidio Medicea domui excidium pararetur. Hippolytus siquidem exules Florentinos, veteresq; familiæ hostes sibi asciuerat, sanitate ingenij inducti vt per eos Alexandro atroces insidias moliretur. Eum enim astuti homines, validaq; facundia et miris cōsulendi artibus instructi, ea peruersa atq; insana ambitione correptū perpulerant, vt Etruriæ principatum in sua fata properus affectaret, abdicareq; se honore purpurei galeri vellet, atq; inde ad eiusdem filiæ Cæsaris nuptias aspiraret, quod nisi sublato Alexandro fieri nō poterat. Cuncta enim tum sibi secunda, si Cæsaris gener euaderet, obuentura confidebat. Itaq; dū in eius insani sceleris cogitatione versatur per Baptistā Ciboum Massilienſem episcopū, Innocentijq; Pontificis nepotem

nepotem teterrimam necem ex incenso tormentario puluere Alexandro machinatus est. Harum autem insidiarum indicia Deo maximo detegente ab Alexandro deprehensa sunt, atq; illico Romam ad Paulum Pontificem delata. At Pontifex tametsi ruiturę Medicęa domus excidio, quod aliena cum inuidia pararetur, mirè gauderet, in spem scilicet ingentis lucri ex amplissimis sacerdotijs, quæ in Farnesios nepotes transferrentur, tamen Alexandri iniuriam omnino negligere videri noluit, quum Octauianum Zengam hominem facinorosum ex Hippolyti satellibus, nefarij cōsilij conscium comprehendi iussisset. Eo capto Hippolytus vehementer exterritus, detectæq; malignitatis suæ pudore confusus ex vrbe in Catillum Tyburtini agri castellum profugit, atq; inde non multò post ex pœnitētia concepti facinoris commutata voluntate, ad sanitatem redire, & quorsum euaderent maligna exulum consilia serò agnoscere cœpit, sic vt Alexandro se conciliare, & à Cæsare pacis conditiones accipere percuperet. Quæ de causa Neapoli conducto nauigio, ad Cæsarē in Africa bellū gerentē enauigare properabat. Verū Petro Toletano prorege ei nauigium pernegante, ad oppidum nomine Iter Fundani agri, quod est via Appia impositum, inops consilij substitit. Vbi oborta pestilenti febre, iuuenis longè omnium eruditi ingenij

nobilitate decore cultus, & illustris vitæ splendore florentissimus, sexto die ex humanis est ereptus, magna hercle exulum lætitia, quorum Philippus Strozza erat princeps, & Pontificis commodo, quum hic eius spoliis suos ditaret, illi verò uno erepto alterum tanquam fratris ope destitutum, vti mox euenit, facilè tolli posse diuinarent. Nec defuere exules authore Strozza, qui eius immaturæ mortis causam ad venenum referre cõtenderent. Et Alexandri existimatio, ea infami suspicione suggillari videretur. Verùm ob id Andreas Etruscus epulas mensis inferre solitus temere accusatus, quum diu tortus fuisset, et nihil de ea re confiteretur, carcere tanquam insons eductus est, affirmantibus præsertim medicis nullum esse venenum quod certo ex interuallo laceſſeret, & furoret, sicut in tertiana febre bilem effernescere videmus. Is enim morbus cui Hippolytus cesſit, ad statas periodi exacerbationem redibat, ideóque eius morbi casum ad nouam permutati aëris intemperiem referrent, qua nonnulli ex eius comitatu iuuenes ætate florentes, pari oppressi morbo concidissent. Nec multò post Cæsar audiendis populorum querimonijs, qui insuetas regulorum acerbitate auaritiamque se vexatos & expilatos conquerebantur, seuerè intentus dedicit minoris insulæ Baleares populum à Barbarussa supremam cladem accepisse. Is enim, vt suprà

vt suprà docuimus, fatali nostrorum incuria, errore q3 maximè pœnitendo, Hipponæ elapsus, vbi Algerium peruenit, refecta classe, eaque nautico commeatu optimè instructa & cura rerum Asani filio, cui tutor atque adiutor Salecus aderat, demandata, Byzantium enauigare constituit, eo animo, vt ex itinere prædabundus Cæsarianæ ditionis oram percurreret. Primum autem omnium in Ramadam Buetium Tunetanæ arcis præfectum capitali supplicio animaduertit, quòd minus intenta custodia carcerem ergastulaque nexorum obseruasse, indeq3 totius amissi regni cladem attulisse putaretur. Hunc inter libertos Christianæ religionis desertores, longè charissimum habuerat, solerti eius plane q3 Batico ingenio, in omni hactenus rei bellicæ negotio magnopere delectatus & adiutus. Ab Algerio itaq3 oram soluens in Magonis portum minoris insulæ Baleatis, Barchini Magonis, vt credi par est, Vnde nomen acceperit, morte & tumulo nobilem, se intulit, Punicóque ad fallendum vsus dolo, ita intrauit, vt Cæsarianæ classis speciem, explicatis Christianorum insignium vexillis præberet, & ab effusis ad spectaculum oppidanis, multis de more tormentorum bombis salutaretur. Magnum enim numerum huiusmodi vexillorum, Barbari variis casibus, Portundoq3 præsertim Hispanicæ classis præfecto super Sar-

diniam aliquot ante annos oppressõ, nostris ademerant. Adiuuit etiam astum dolosi hominis Lusitana nauis, quæ in eundem portũ tempestate impulsa ancoras iecerat. Præfectus nãque eius Consaluus Perelia, eadem captus imagine, pilas ferreas tormentis eximi, eaq; inani sonitu ad latitiæ signum honoris causa dissplodi iusserat. Sed postquàm à tot rostratis repentè circumuentus, Barbarorum ora, & peregrina arma simulatæq; amicitiæ dolos propius et certius agnouit, sero sese atq; nauigium strenuè tutari conatus, a Barbaris cruento certamine expugnatus, trucidatusq; est, iniquiore etiam eius sorte, quòd nauigium reticulato exfunibus velamento contegt munirigq; solitum, tum fortè tanquam tutissimo in portu minus necessario, eo munimine careret. Capi enim nõ posse videbatur, nisi certa cum pernicie insidentium, quum inferius per castella & foros parata essent venabula quibus conscendere aut transfoderentur, et validis colubrinarum rictibus rostratas facilè perfringi demergiq; posse appareret, nisi Perelia earum globos pernicioso adulationis officio incautus, eximi iussisset. Eo modo Lusitanis ad vnum interfectis, Barbarussa ad oppugnandum oppidum tormenta conuertit, sed quum oppugnatio, fortiter se tuentibus oppidanis, Turcis durior euaderet, præfectus imbellis metuq; occupatus, de oppidi deditione

ditione cum Barbarussa transegit, ea conditione, vt cum vxore & liberis incolumi libertate seruaretur. Atque ita scelesto præfecti consilio, Magoniani ad vnum omnes miserabili infortunio capti, & in Africam abducti sunt. Verum præfectus integra fide seruatus, non multo post admissi flagitij pœnas dedit, quum eum Martinus Durrea insulæ præfectus, laqueo supplicio puriendum imperasset. Barbarussa autem vniuersam prædã Algerium retulit, atq; inde autumnales Boreæ flatus contemnens, pari audacia, felicitateq; longissimæ nauigationis, vti ante statuerat, Byzantium peruenit. Interea Cæsar acre bellum aduersus Gallos coquens, nec obscurè parans, quod summi ei ius consilij summæq; prudẽtiæ fuit. Venetos in partes traduxit, diu opinione suspensos ab excessu Francisci Sfortiæ, nec temere de Italiæ libertate dubitantes, quando longissimè prouiderent, si Galliæ Cisalpinæ imperium, vti hereditas postulabat, reliquis tot Cæsaris regnis accederet, præpotentem accolam sibi præcipuè formidandum parari, quòd Cæsar regna regnis adnectere solitus, quæ sibi legitimo iure ab indulgente fortuna tribuerentur, vti immensa auctus potentia, si æquitatis ac amicitiæ obliuisci vellet, vicinas vltra Abduam vrbes inuasurus esset, recenti Maximiliani & Ferdinandi auorum exemplo, qui eas Mediolano antiquitus

contributas, abreptasq; impotentibus Venetorum armis repetissent. Sed tum Cæsaris nomẽ in tanta erat gratia atq; existimatione apud Venetos, ab ea præsertim Punicæ victoriæ laude, vt plerique et fauere, prouehereq; eius opes dictis sententijs minimè dubitarent, ipso præsertim Vrbinate Feltrio copiarum imperatore ante omnes propensissimo, qui vti erat indefessa atq; admirabili facundia potens, multos quò vellet patritios impellebat. E senatorio autem ordine, aut præmiorum spe allecti, aut suopte ingenio accensi, quòd ita fore è republica crederent, Cæsari mirificè fauebant. M. Antonius Contarenus, qui ei aderat longa fuerat legatione, domi verò & in senatu M. Antonij Cornelij perpetuo studio, illustriq; eloquentia partes Cæsaris subleuabãtur. Nec deerant plerique seniores, in quibus multus semper fuit Aloysius Moncenicus, qui nihil nisi pacatum & ab summa æquitate moderatum, vel ab armato, vti semper inuicto Cæsare, expectandum esse dissereret: quanquam exactæ prudentiæ grauissimarumq; rerum experiens ipse Grittus princeps, multa reipublicæ prorsus aliena detrimentosaq; ex eo fœdere obuentura diuinaret. Sed ea quæ Grittus diceret, vti facilè apud imperitos euenit, vehementer eleuabat perpetuus eius & pertinax studium erga Franciscum regem, quòd tantus rex, præclarus Venetorum imperij restitutor, nisi ingratè & improbè deserendus videretur, eo præsertim tempore, quo Mediolanẽsis imperij hæreditatem, aut beneficio liberalitateq; Cæsaris, aut vi & armis, vti sæpe antea, esset aditurus. Itaque facilè electi fuerant in legatione, quæ ad Cæsarem de Punica victoria gratulatum Neapolim mittebatur, Cæsariani nominis apprimè studiosi, contra verò, ijs patritijs honorifico diuersæ legationis munere imposito, qui reipublicæ studentes, commodo Galli regis fauerent, Romam non obscurè ablegati sunt, ne domi consilia Cæsarianæ factionis, intercedendo atq; impediendo perturbarent. Nec multò post Neapoli de fœdere transactum est, his fermè legibus, quibus Sfortiæ principatum tueri tenebantur spemq; præberet Cæsar id flagitantibus, futurum esse, vt Mediolanense imperium, sua Augusti auctoritate, nouo regulo maturè concederetur. Id enim maximè Venetus expetebat, ne sibi cum Cæsare regum maximè opulento atq; inuicto, sed cum infirmo, alieniq; arbitrij Fortunæ obnoxio, de finibus certandum foret. Hoc tamen diserte conditionibus nõ adscripsit Cæsar, qui ita se facturam videri volebat, quando id vt faceret, illo modo adduci non posset. Statuebat enim in arcano, nunquam Mediolano esse decedendum, nisi armis pelleretur, sic vt eum præclarè pœniteret, id paulò ante Italiæ precibus

condonasse, quum in Norico Turcarum arma perstreperent, & Solymanus grauiores opinione pauentium hominum clades illaturus crederetur. Hoc fœdere Cæsar peropportunè confirmatus, certius & efficacius consilia de bello aduersus Gallos gerendo inire explicare q; cœpit, atque ingenti cura in Germania delectum equitum & peditum per fratrem Ferdinandum, amicissimos q; sibi proceres haberi iussit, dedit q; operam per legatos, vt ab Heluetijs impetraret, ne vllam in partem se commouerent, sed eius belli spectatores tantùm esse vellent, quod sibi necessariò suscipiendum foret pro salute Caroli Sabaudij, qui immaniter à Gallo rege ipsò q; sororis filio, improuisis ac impotentibus armis vndique vexaretur. Pertineret enim ad dignitatem Romani imperij, vt fœderatorum beneficiariorum, & ipsius præsertim Sabaudij propinqui sui opes, præsidio suo defendantur, ac quantum fieri posset, ex æquo Christiana arma conquiescant. Proinde Heluetios tanquam imperio Sabaudiæ q; principibus antiquo fœdere coniunctos, nihil vtilius atque honestius facturos, quàm si ab ea cõtentione abessent. Heluetij nihil se temere decreturos responderunt, memores q; officij sui vtriusq; partis iura fœderum ac amicitiæ seruaturos, donec eorum arma reipu. Heluetiæ neque periculosa neq; incommoda fore. Summi ipsorum magi-

gistratus iudicarent. Apparebat enim regem Gallum nullas omnino alias quàm Heluetiorum copias, pro salute defensioneque regni esse coacturum. Verùm, quod maximo vsui fuit, Cæsar his legationibus impetrauit, ne cohortes apud eos mercenariæ conscribi, & adduci in Italiam aduersum se paterentur, quòd eos Cæsar retineri non posse intelligebat, veteribus vtique obstrictos fœderibus, & præmijs qui laboranti externo bello Galliæ præsidio forent. Qua de causa adductus fuisse dicebatur Philippus Ammiras, vt Lothoringo Cardinali potius pacem suadenti, quàm Gallis bellum atque aciem deposcentibus obtemperaret. Nam frustra cohortes ab Heluetijs deposito stipendio postulanti, quibus aciem Gallicam stabili robore confirmarent, vt conscriberentur, negatum fuerat, quum tamen ex aduerso Antonius Leua eius gentis tumultuarias cohortes duas in castris haberet. Egit quoq; Cæsar cum Maria sorore, quæ Belgis imperabat, vt quantas ea maximè posset pecunias cogeret, quibus valida copia è Germanis conduci, Belgarúmque item & Sequanorum equitum ala, equis et armis instrui atque exornari possent, quando sibi in Galliam cum duobus magnis exercitibus initio æstatis irrumpendum esse statuisset. Propterea cogendæ pecuniæ studio diligenter incumbens, dabat operam, ne vnus qui

timeri poterat, auri defectus, se diuerso sumptu aduersus præpotentes hostes graue & geminatum, nec citò desiturum bellum molientem, in cursu gerendarum rerum impediret. Nam præter eam signati auri summam, quæ à Neapolitanis & Siculis honorarij muneris nomine conferebatur, supra triginta myriades aureorum nummũ, ab Hispaniæ regnis expectabat. Id autem præsides exactis ante diem tectigalibus, aut his publicanorum Ligurum societatibus cum graui fœnoris impendio adductis, suppeditabant. Multam quoque auri vim singulis Mediolanensis imperij vrbibus imperabat. Nec deerant qui expetentem liberaliter adiuuarent, cùm Senenses & Lucenses, tum ipse maximè Alexander Medices genet. Etrusci principatus compos factus. Ea autem impositæ bellici sumptus incommoda. Hispani quæstores ducesque, Cæsarem maturè & cumulatè resarturum remissurúmque onera prædicabant, ex ea ingenti auri copia ditatus, quæ ex auriferis occidentalis Indiæ regionibus in Hispaniam adueheretur. Tum enim reperta fuerant ad Australem Oceanum in aduersis Pariæ & Dariensis terræ regionibus, Peruæ & Cuschæ regna immenso auro refertissima, quod nullo fodientium aut legentium labore paretur, quando id in domesticos coquinariosque vsus, rudi artificio fabrefactum, sed non

non planè putum Hispani apud Indos inueniant. Eius autem omnis copia adiecta Hispalim, in officinam publicanorum ea lege conferebatur, vt tectigalis nomine quinta pars esset Cæsaris, reliquum negotiatores cõflarent, & demum admixto purioris tenæ auro, reiectisque exactæ conflaturæ intertrimentis, ad pondus puritatemque monetæ Cæsaris Hispanicæ notæ cudi curarent. Non ineptum hoc loco fore existimauerim, si qui hæc repererunt, tanquam publica laude dignissimi, memoriæ prodantur. Nam postquam Columbus Ligur admirando ingentis animi captu, eruditoque iudicio Vir, & vti quibusdam apparet, Hercule Græco inusitatæ famæ gloria maior & illustrior, alterum propè terrarum orbẽ vasto atque intentato prioribus seculis Oceano, ad occidentem nobis aperuit. Non defuere alij atque alij ex Hispanis, eo apud Hispalim defuncto, qui pari æmulatione laudis, et spe quæstus, eadem litora sequuti, vlteriores nouæ terræ, quã Pariam vocabant, terminos quæritarent, dispari quidem Fortuna suscepti cursus, quum nonnulli eorum (vt credi par est) immenso inexploratoq; absorpti Oceano, nusquã apparuerint, & aliqui ab Antropophagis, qui Canibales appellantur, capti comesti q; fœdã miserabilis audaciæ memoriam reliquerint. Ea terra æquatori subiecta (vt suo loco memorauimus)

a Gadi

à Gaditano freto rectà inter occidentem atq; meridiē nauigātibus emēso bis mille amplius leucarū itinere, occurrit frondoso ingentiū rupium promontorio, tanquam rostro Oceanum proscindens, nam aquis lateribus litora infinite tractu hinc ad occidentem, illinc ad meridiem immensis adhuc spatijs extenduntur. Sed post Columbum, tres ante alios ex Hispania, felici aulu, & rebus gestis maximè clari & memorabiles extiterunt. Ferdinandus in primis Cortesius, qui in postremum occidui litoris sinum delatus, ad Mexicana regna terrestri itinere contendens, subactis Indis, Themestitana vrbe potitus est, quum fabricatis nauigijs, eam vrbem salso in stagno positam, ædificijsq; & incolarum frequentia Venetæ vrbis instar admirabilem, multis prosperè factis prælijs expugnasset. Mexicanæ genti, superis viuos homines, sed maleficijs dammatos, immolare fas est placariq; numina humano sanguine credunt, & post mortē non interire animas persuasum habent, vt credi par est, ex disciplina superstitioneq; Druidarū, quorum summa authoritas antiquissimis temporibus in Gallia pariter atq; Britannia viguisse cōstat. Itz vt Cortesio no omnino difficile fuerit, subactam armis gentē per se ingeniosam & docilem, tormentorumq; miraculo terrefactā, ad Christi cultū, abdicatis idolorū superstitionibus

nibus, traduxisse: literas enim iam nostras admirantur & lubenter discunt, reiectis hieroglyphicis imaginibus, quibus annales conscribere solebant, variis picturis regum suorū memoriam posteris tradentes. Quorū annalium volumen ex perpetuis, sed introrsus complicatis foliis confectum, tigridisq; maculoso tergore protectū, vir illustris Franciscus Couos, Cæsariani scrinij magister, mihi dono dedit. Mexicanos pro rege suo & pro libertate dimicantes, nulla res magis exterruit, quàm equestris turmæ impetus, quum equitem integrum esse animal Centauri specie putarent. Sed postquàm equi duo Indicis confossi spatis, mactatiq; clauarum ictibus conciderunt, deprehēso errore, detracta statim equis coria, vsq; adeò exactè tomento repleuerunt, vt viuorum effigiem repræsentarent, & in templo tanquā admirabilis rei spectaculo suspenderent. Cæterum Cortesius è Mexicana regione per occidentalem lineā terrestri itinere profectus, non longè abesse maria ab incolis didicit, paucis q; diebus ad litus exterioris Oceani peruentū est, vnde, si classes adessent, peti posse confideret per Antipodas, Sinarū regna, Catzinasq; oras ad orientē nostrū, rampridē aditas Lusitanis, nō longè à quibus in eo tractu, beatæ multo aromate atq; omnibus Moluccha insulæ, sub æquinoctiali linea sitæ esse dicerent

cerentur. At Cortesio perpetuis Hispanorū historijs celebrato claritate nominis æquari potuit Blascus Nonius, nisi turpissimo vitæ exitu, prisţinæ laudis decus obscurasset. Ab hoc enim diu peruagante Pariæ terræ, & Darienæ regionis litora, repertus est isthmus ad Vrabanū sinum, quo duo ingentia maria dirimuntur. A Comogro siquidem ingentis amnis ostio Darienus q3 litore, per inaccessos prope montes, monstrantibus iter indigenis, Blascus summa iuga tenuit, & subiectum in aduerso litore vastissimi pelagi sinum conspexit, in quo auri & vnionum ditissima regna reperta sunt, at q3 item cōspecta aditaq3 aliquot insulæ earū rerum opulentia insignes. Itaque inuento multo auro, Blascus breuiorem transitum quærens, no plus inter se distare diuersa maria quàm centum milliaribus deprehendit, sicuti in Oceaneis decadibus Petrus Martyr Anglerius scitè refert, verū itinere adeò densissimis nemoribus & abruptis petris frequentibus fluuijs impedito, vt non nisi magno cum labore periculoque illac nostri permeent, quum passim inhospitæ ac insidiosæ gentes venenatis instructæ sagittis occurrant. Quibus de causis Blascus eius tractus regulis, aut muneribus delinitis, aut cruenta acie subactis, quatuor castella, vt commeantibus ab vtroq3 mari tutissimus esset receptus, opportunis

tunis interuallis constituit, ædificata etiam classicula in proximo portu, cui diuo Michaeli nomen fuit. Caterum dira auri sitis nouiq3 imperij ūbido, Blasci animum non multò post occupauit, eo rerum exitu, vt affectati regni crimine damnatus, capite plecteretur. Indignus hercle, eo supplicio, nisi perfidiose defecisset, quòd ad læuam longo tractu Peruana & Cuscana regna auro & gemmis scatentia, successoribus Almagro at q3 Pizarro demonstrarit. Ibi enim ferunt nullam aliam, quàm solido ex auro priuatis in domibus vasorum omnis generis supellectilem reperiri. Montiū rupes ingenitis adamantibus, præcipuēque smaragdis, & cyanis & carbunculis collucere, flumina propè vniuersa auream arenam trahere. Solum fœcunditate rerū omnium incredibili, & perpetuo ferè autumno florere. Ex mira quoq3 cæli clementia, homines integra valetudine seculi ætatē implere, sic, vt intempestiua mors Blasci videri possit, quo authore, tanta, vt diximus, vis auri et gemmarum in Cæsaris ærariū deferatur. Sed supra Cortesiū & Vaschum, portētosa nauigatione inclytus fuit Magalanes Lusitanus exul, qui auspicio Cæsaris alterum Pariæ terræ litus in orientē obuersum, quinq3 nauium classe percurrit, legēdoq3 ora præuectus lineā capricorni at q3 ostia immensi Argentei fluminis, vti Hisp

Vti Hispani vocant, ferorũ gigantium instar prægrandes homines belluarũ pellibus contectos reperit. Nec multùm inde, vti auidè quærebat, prope antarcticũ circulũ in anfractuosas fauces audacter inuectus est, non inani coniectura iudicans noui orbis terras illac irrumpẽte Oceano esse permeabiles, eumq; profectò sinũ non longo tractu in apertũ ad occidentem pelagus desinere. Neq; eum ratio ex naturæ lege ducta fefellit, qua terra omnis circumfluente Oceano variis sinibus ambitur. Ad lævam niuosæ rupes spectabãtur, suis culminibus primam aëris regionem excedentes. Ea pertinebant ad eam plagam perpetuo gelu (vt credi par est) rigentem, quæ antarctico subest. Sed nec in ea cæli parte polus, vti apud arcticũ contingit, lucidiore aliquo astro notatur, quum paruæ stellæ nullo vel certè languido fulgore nitentes, polare punctũ designent, duabus nubeculis stabili pigroq; rotatu immobilis poli sedem ita circumeũtibus, vt Vrsæ nostræ tenorem & speciẽ nautis obseruatoribus, nusquã fallente magnetis vsu certissimè præbeat. Procedenti per occiduã lineam Magalani, tortuosæ & inæquales semper fauces occurrebant, mare autẽ modò fluctuosum spumosisq; vorticibus, & sæuo mugitu reboans, modò tractabile & pigrũ prout obiectis incideret cautibus, aut in lato sinus expansum deferuer

deferueret, vario velorum flexu persulcabat, nusquã arctiorem sinum trium milliarium spatio, nusquã septem latorẽ nactus, quum à dextra depressiora litora arboribus q; vestita, nulla tamen apparente hominum cultura, ad lævam verò cuncta gelu horrentia, maximeq; scopulosa spectarẽtur, colluerent tamẽ ad dextram excitati introrsus ignes ab incolis, vt de aduentu nouæ classis proximis populis significarent. Caterũ Magalanes diu crebris orationibus sustentatos delinitosq; nautas, qui iam animos desponderãt, quòd neq; progredi neq; regredi nisi incerta vitæ spe posse crederent, post vigesimũ & septimũ diẽ, ex quo sinũ intrasset, in apertissimum vastissimumq; Oceanum eduxit, ad dextram vela deflectens, vtpote qui terras ad antarcticum vltimæ continentis esse putaret, & ad lævam mitiora omnia se inuenturum arbitraretur. Quando iam ad tropici capricorni circulũ, et ad ipsam æquatoris lineam rediret, sub qua Moluccas, quas quærebat, insulas omnino sitas esse didicisset. In dextra itaq; Perurana & Cuscana regna, totúmque illud immensum Pariæ terræ occidentale litus relinquebantur, quòd Blaschus post transcensum Vrabanũ isthmũ, Hispanis successoribus, ad condenda regna, serendaq; etiam, propter auri sitim, intestina prælia demonstrarat. Nihil enim inde Maga-

lanes terrarum vsquam vidit, prater duas insulas, quæ desertæ appellantur, perhibentq; eas cosmographiæ periti, ex diametri ratione Italis esse antipodas. Discessit inde Magalanes plane consumpto omni commeatu, lenissimis atque his vno tempore perennibus vsus ventis, trimestri confecto cursu, obuersis semper ad æquatorem prouis, non Moluccas quidem attigit aromatum pretiosorum fertilitate celebratas, verum immensi prope ambitus insulas, Iauanam, Pornem & Subuthanam ipsa Britannia maiores, è quibus Moluccæ satis exiguæ, sed præstantia rarioris aromatis insignes incolarum digitis tanquam propinquæ monstrabãtur. Sed Magalanes fatalis voti sui compos, in limine qui eas videbat adire non potuit: cum Mauthane siquidẽ insulæ regulo, Suethani socij regis auspicio, acie dimicãs occubuit, eiq; successit est Serranus, qui nihil commodius duxit, quã ab his insulis inhospitæ q; terra perfidiosa gentis protinus excessisse, quòd sibi ad paucos redacto, numerosa bellicosæ eius gentis manus iustũ incuteret metũ, quoniã ferreis gladijs & præpilatis hastis vterentur. Verũ dum adit regulos Serranus, amicitias q; & fœdera iungere, ac Christianæ religionis cultum inducere contendit, & quod instituti erat, naturam et magnitudinem Moluccarũ scrutatur, regulis vno

vno consensu aduersus peregrinos ad arma concitatis, in Bornæ insula captus, miserè q; à socijs destitutus est, qui insidias veriti publicã salutem nouo ducis libertati & vitæ anteponendam censebant. Atq; ita cariophyli & cinamomi nucisq; myristicæ surculos ex natali solo colligentes, vt testimonij certum fidem referrent, ex quatuor nauibus vetustate semicorruptis, duas magna cura, vt illarũ armamentis materia & clauis, refecerũt, Eurisq; vela dantes, incogniti Oceani immensis spatijs vsq; adeò audacter se credidere, vt præterucherent auream Chersonesum, & Samotarum, quæ Taprobana olim fuit, Gangeticiq; item sinus emporia, & Cumerum promontorium, ac denique Calecutham superarint, nusquam à Lusitanis conspecti, qui Indicã oram præsidijs obtinebant. Inde verò ad Bonæspei promontorium cursum habentes, eo superato, dextrorsum per Aethiopiæ litora ad Hesperides insulas contra Praxium promontorium, altera tantùm naui, non amplius quàm viginti duo homines semiuiui peruenere. Ibi qui totum vndiq; emensi orbis ambitum circuierant. Barbarorumq; mille insidias & omnẽ maris sæuitiem euaserant, à Lusitanis insulæ præsidibus, custodiæ traditi sunt. Nec multò post tamen ex his Hieronymus Plegaphata Vicentinus, voto pro salute reditu q; suscepto,

ad Clementem Romam venit. Is tanto subternauigati orbis miraculo fidelibus testimonijs comprobato, multa nostris admirāda, obseruandaq; posteris, pictura & scriptis adnotata deposuit: sic vt Magalanes nihilo felicior Blasco, sed inusitata laude præstantior existimari possit nisi inauditi antea freti fauicibus adinuentis, tanta rei infirma adhuc fides famam eleuaret, quum nemo hactenus à viginti quinque annis eas fauces sedulò quæritans intrarit aut viderit. Neque operæpretium esse reor vt à legentibus hoc loco & ad historiæ contextum properātibus, veniam deprecer, quòd me ij tres viri inclytis heroibus comparandi, ab instituto longius abstraxerint, quando eos omni laude ad perennem memoriæ famam exornandos putem, veterum Græcorum more qui ingeniorum fœcunditate & gloria pollentes, non ipsos modò admirandarum rerum & regionum inuentores, sed minorum etiam artium opifices, carminum suorum præconijs, æternitati consecrarunt.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis LIBER XXXV.

ADVLTO iam vere, Cæsar Neapoli profectus Nonis Aprilibus à Capena porta Romam intrauit, triumphali exceptus pompa ab omnibus sacerdotum, Romanorumq; ciuium ordinibus. Adduxerat præsidij causa veteranam Hispanorum legionem, & septingentos equites cataphractos, eo minore populi lætitia, quòd pleriq; eosdem militum atroces vultus agnoscerent, qui recentis cladis, omniúmque suppliciorum, quæ perpessi essent, memoriam renouabant, eo quidē grauius & acerbius, quòd Paulus Pontifex nouo exemplo ad exornandos regionum arcus, singulis mercatorum & opificum collegijs pecuniam imperasset, scilicet, vt Cæsariani importuno sumptu studiosè colerentur, à quibus summa calamitatis iniurias pertulissent. Exceptus est

ea parte Vaticanæ domus, quæ exornata laquearibus aureis & marmoreo insigni podio despectat Vrbem, qua etiã Alexander sextus Carolum Galliæ regẽ susceperat. Exinde dissimulata persona, cum paucis perambulauit Vrbem, miratusq; rotũdi templi quod olim Pantheon fuit, incomparabilem structurã, in summum fastigium eius testudinis per plumbeos gradus ascendit, vt vniuersam Vrbem oculis subiiceret. Quatriduo autem moratus Romæ, non obscura successus bile in Gallos, priusquàm proficisceretur grauissimam habuit concionem, qua animi sui intimos sensus ardentissima facundia denudauit, quòd Gallorũ legati penè conuitiosè postularent, vt Henrico regis filio Mediolanensis principatus dominatu beneficiario iure adiudicaret. Id siquidem Cæsarem concessurũ perplexis paulò ante sermonibus promisisse Claudius Velleius asserebat. Quibus propè importunis atque alienis reflagitationibus Cæsar ita offendebatur, vt fidem suam nulla certa pollicitatione obstrictam, Gallorum procacibus verbis suggillari aegerrimè ferret, respondendumq; ideo Gallis, & nomen suum à calumnia defendendum generosa concione arbitraretur. Itaque grauiter commotus, in eo conclaui, in quo Paulus Pontifex iturus ad sacra obeunda solennes amictus induere, & gemmata tiara exornari consue-

consueuit, aduocatæ concionis instar in corona stans, verba fecit, assidente Pontifice, cunctóque senatu, & principum ferè omnium legatis, sic vt circumfusa totius aulæ turba Hispanico sermone loquutes audiretur. Primùm omnium veteres adiorum causas, quæ adhuc inter Gallos Austriadámque domum gerebantur, facundissimè commemorauit, ostenditq; neque Franciscum regem, neque superiores Galliæ reges sictorum fœderum legibus vnquam stetisse, quum sibi Burgundiam ereptam, & repudiata atq; iniquissimè intercepta connubia quereretur, & passim Franciscum regem acerbè perstringeret, quòd bello victus, captusq;, ac humaniter dimissus, nihil eorum quæ pro obtinenda libertate pepigerat, custodia statim exiliens præstitisset, sed abrupta fide iurisiurandi, totũ propè terrarum orbem aduersum se tam ingratè quàm impiè concitasset, quum ad Turcas vsque misisset legatos, vt hostilia pari odio aduersum se molirentur, scilicet vt inani aut exoleta iura ostentans Cisalpinæ Galliæ dominatum inuaderet, quod sibi Auzustali atque legitimo iure partum, tanquam tuendis reliquis ipsius regnis maximè opportunũ, omnino sibi retinendum statueret, ne sibi maritimum adeundæ Hispaniæ aut terrestre adeũdis Germaniæ & Belgarũ regnis, tutum & liberum iter præcidatur, quandoquidem nequaquam

sit dignitatis in Cæsare per alienas terras transitus facultatem precario petiuisse. Propterea Franciscũ nefario ausu Caroli Sabaudiæ auunculi sui Allobrogum regiones in Transalpinis, & Liguriũ in Subalpinis immaniter occupasse, vt inde ad inuadendum Mediolanense imperiũ ire pergeret Gallorum consuetudine qui nouarum prouinciarum auidi quin aliena & proxima quæque occupent, neque pudore, neque iure contineri queant. Quarum rerum in vestigio eos sæpe pœnitere oporteat, quum vt & armis æquo semper Marte iudice, eorum insolentia retundi reprimique soleat. Id verò agrestis impudentiæ sibi videri, quòd Fracisc⁹ Mediolanensis imperij possessionem ideo sibi concedi expeteret, vt singulis minores eius liberi, sublata omni honoris atque potentiæ obtrectatione, pariter exornentur atque ditentur, ne scilicet Henricus iusto dolore angi possit quum in fratre minore Carolo Aurelianensem principatum, in Francisco autem maiore, non Galliæ modò sed Britanniæ etiam citerioris coronam, ex paterna hæreditate conspiciat. Non hoc equidem esse vel dignitatis vel Fortunæ suæ, vt alienos potius quàm suos liberos exornet, & stultissimæ ratione intempestiuæ liberalitatis laudem quærat, qua inimica stirpis dubiaq; fidei hominũ opes augeantur, quibus aucti rursus aduersum

sum se instructiores, vti semper fecerint, inquietæ arma resumant. Itaq; neque hæc insolenter postulanti tributurum, neq; passurũ, vt Sabaudius Carolus tanta cum iniuria spoliatus dimidia parte regni, diutius ab se, vti antiquitus in Romani imperij clientelam recepto oporteret, iustam atque certissimam opem imploret. Proinde se recta ad Alpes & in Galliam vsq; progredi statuisse, vt propinqui sui, socijq; principis, & Romani imperij clientis iniurias defendat. Hæc adeò grauis cõcitataq; facundia, oréque flagranti protulit, vt subiungeret se inuitũ in id bellum trahi, in quo multas gentes nihil mali meritas & insontes, ipsorum principum iracundia atque obstinatione, cladem essent subituræ. propterea pietate Christiana tacto sibi satius videri, & reipublicæ quidem vtilius, vt ipse & Franciscus ad singulare certamẽ descenderent, enseq; & pugione dimicantes, controuersiam finirent. Tum verò Pontifex clementiora ominatus, Cæsaremq; complexus, obsecrauit, ne vel non iniquæ iracundiæ impensius quàm pietati indulgere mallet, Gallosq; oratores Maconium & Velleium quædam respondere paratos diremit, nam hi ab initio cõcionis à Cæsare frustra postularant, vt Gallica lingua vti vellet, vt oportuna ipsorum responsa acciperet. Sed Cæsar se ideo Hispanice loquuturum dixit, vt à

pluribus id idioma Romano eloquio proximũ acciperetur. Per hunc modum prolato animi sui decreto & reiectis regijs legatis, per Cassiam viam in Etruriã contendit. Senenses intrantem ipsorum fines Pientia vrbe liberaliter exceperunt, veteregq; suo studio Cæsaribus addicti, quum Senis appropinquaret, erectis passim triumphalibus ornamentis, cum exquisita Tunetzna victoriæ gratulatione subeunti portã vrbis claues ad declarandam antiquæ propensionis fidem obtulerunt. Alfonsius Picolomineus Amalphi regulus, equi frænа rexit, cunctiq; demum ciuitatis ordines, viriq; sacrati præcinẽtes hymnos ad aram templi maximi deduxerunt. Suscepit eum pereleganti hospitio, miroq; ornatu perpolito Marius Bandinus, in quo vel ob id quod Archiepiscopi germanus esset frater, summum Cæsarianarum partium, & popularis factionis studium eminebat. Nam eo tempore populares in factiosa ciuitate principes euaserant, quum obsolescente potentia antiquæ nobilitatis, reliqui duo ordines, qui tum Nonarij & Reformatores appellabantur, eximia authoritate in republica, Pandulfo Petruccio principe potiti, impotenti demum popularium impetu per cruentas contentiones interfecti pulsiq; fuerant, quoniam Clementi Pontifici, & Gallis fauisse credebantur. Inuisit Cæsar vrbem luculentissimè omnibus,

bus, quæ excogitari poterant, elegantiæ ornamentis instructam, spectauitq; mirabundus innumerabilem prope fœminarũ multitudinẽ: nam hæ inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij singulare decus constanti omniũ ferè fama obtinent. Eximde iuuentus extremæ iucunditatis spectanti Cæsari theatrales ludos edidit per histriones variarũ linguarum cum multo sale leporẽ affectantes, pugilq; omnis Senensiũ ætas, ab inueterato ludicri certaminis studio, ad Cæsaris oblectationẽ incomparabili ardore dimicauit. A Senensibus autem ad Florentinos prouectum Cæsarẽ Alexander Medices gener excoluit, & Cosmianis in ædibus ita suscepit, vt Etruscis artificibus ex mirifica ingeniorũ solertia simulachra, variijq; generis pegmata erigentibus, non modò superasse Senenses, sed veterum Romanorum magnificentiam æquasse censeretur. Inuisit Cæsar arcem nuper ab ipso Alexandro conditam, instructamq; admirabili tormentorum apparatu, vsq; adeò mirabundus, vt quum tanta vidisset præsidia, quando reliqua sibi curæ fore diceret grauiter obtestaretur generum, vt liberis operam daret, de vnaque præsertim salute corporis solicitus esset, tanquam in subacta armis ciuitate regnãti, insidia à multis foret pertimẽda. Paucos pulcherrima in vrbe moratus dies, discessurus ex itinere

Caia

Caianam adijt Villam, admirabili structura terreno in cliuo ædificatam à magno Laurentio Medice, nullumq; tum ea loci facie, tũ erudito ornatu, iucundius ædificium se vidisse testatus est. E Caiana Pistorium, atq; inde Pisciam, & mox Lucam intrauit, tanta alacritate amicæ ciuitatis, vt neq; splendidius excipi, neque donari liberalius, neque vberius ali exercitus, comitatusq; omnis posse proceres iudicarent. Inuisit etiam vrbis de sua libertate solicitæ munitionem intra extraq; muros circundans, laudauitq; militaris peritiæ erecta propugnacula, triduóque moratus, ornatissima quanquam modica ciuitatis opulentiam, qua tyrannis aliquando seruiuerit, & superioribus temporibus Cæsarum auspicijs libertatis iura defenderit, decurionibus commendauit, & vt in colenda fide perseuerarẽt, admonuit. Luca profectus per Macræ amnis valles, Apuanosq; saltus, Apœnino transgresso, ad Astã vrbem contendit, vbi reperit Fossanum ab Antonio Leua expugnatum, & Franciscum Salassum regulum alienatum à Gallis, propterea q; deficientem Antonij opera in partes traductũ, quanquã eius equites fide integra erga regem, eum ad hostes euntem minimè sequerentur, sed ad Gallorum præsidia, detestati præfecti sui facinus, redirent. Quo felici rerũ initio Cæsar, vt Alpes maturè transiret, magis

gis & magis accendebatur. Philippus siquidem Sciabottus Ammiras, vti supra docuimus, damnosa interpellatione Ioannis Lotharingiæ Cardinalis spe pacis deceptus, à cogitatione belli discesserat, & oppida, quæ redegisset in potestatem præsidijs confirmans, audito Cæsaris aduentu ad regem redierat, existimabátque occupatæ facilè defensurum aduersus Cæsarianos: nam Taurini custodiam Buriæ viro forti attribuerat, & Palicium illustri Sciabaniæ stirpe progenitum iuuenem, propter eaq; auiti decoris auidum, cum duabus alis grauis & leuis armaturæ equitum, & tribus peditũ vexillis Fossani collocarat, quum paulò ante Hannibaldus Penerolum tuendum suscepisset. Caterũ Palicia aliquandiu tormẽtis oppugnatus ab Antonio, & multarum rerum inopia pressus, quòd malignitate atq; perfidia Franciscí Salassi ad Cæsarem transire cogitantis, vt ille iussus erat, nec satis commeatus accepisset, nec demum frustra expectatus, vti promiserat, vllâ opẽ attulisset, planè deceptus, victusq; his malis atq; periculis, Antonio deditione fecit ea conditione, vt cum suo omni præsidiario milite incolumis abiret, sed generosos equos & militares ad vnum omnes, retentis tantùm ad iter in Galliã obeundum humilioribus, cunctaq; simul tormenta victori relinqueret. Habebat in animo constitutum Cæsar

omni

omnino inuadere Galliam, vt ita faceret ab Antonio Leua in arcano persuasus. sic. vt de itinere tantùm rationeq; inferendi belli à duobus sententias esset quæsturus. Exploratam enim & planè certam fore victoriam differebat Antonius, si domi suæ Gallos nihil hostile metuentes, & imparatũ adhuc regem adoriretur, & copias quæ erãt magnæ atq; mirificæ, ad prædam ditem opulenti regni statim induceret, lateq; euagaretur. Neq; enim apparebat regem prælio certaturũ, nullis præsertim Heluetiorũ auxilijs fretum, & ad Flandricos fines nouum contra se Belgarũ exercitũ expectantem, quando nihil insanius atq; miserius Francisco regi videri posset, quã se Galli periculosam pugnæ aleã subirent, quandoquidẽ in vnũ aduersi prælij casum atq; discrimen, & salutis omniũ & imperij Fortunã adducturi crederentur. Vna siquidẽ celeritate aiebat Antonius præoccupanda esse Gallorũ ingenia, ne expedire consilia, & sese colligere possent, postquàm diuerso perturbati bello, & ancipiti distracti metu, tantas vires, quantas opes esset, ad resistendũ habere nequirẽt, proindeq; nusquã in acie consistere audentes, terrã patriã passim terrifico hosti peruastandam permissuri essent. Bestias feras nusquã aptius atq; facilius à venatoribus opprimi & capi conficiq; posse, quàm in ipsarũ cubiculis & lustris, vbi cum

cum catulis commune vitæ periculum subeant. Antonius ex prouentu victoriarũ suarũ, vsq; adeò Gallicæ militiæ elatus contemptor euaserat, vt ex vaticinatione quorundam futura prædicentiũ, Carolum Galliæ regem euasurũ, & se voti compotẽ apud Parisios in ipsa victoria fato concessurũ profiteretur. Huic tanquã immodico, & vt videri poterat, intempestiuo consilio, Vnus ante alios Vastius ipse & Ferdinandus Gonzaga ita refragabantur, vt Vastius de scripto sententiã suam proferret, & posteà publicaret & Taurinũ ante omnia expugnandum censeret. Eadem erat sententia Gonzagæ, qui Gallos Fossani expugnatione perterritos, si tot vires, quæ tam paratæ essent, Taurini mœnibus admouerentur, minimè laturos arbitrabatur. Non enim vel ciues ipsos natura imbelles, vel ipsorũ præsidij Gallos, qui non essent multi, iustum oppugnationis impetũ toleraturos; quòd si fortius aliquandiu sustinerent, nullam tamen tanquã vndiq; obsessos, qua se alerent, commeatus facultatem habituros, ideóque breui fucturos deditionem affirmabat. Taurino siquidem, quod esset prouinciæ caput, in potestatem redacto, cunctæ facilè reliquæ oppida ad pristinam ipsius Caroli Sabaudij naturalis atq; humanissimi principis fidem esse redituræ, atque eo modo firmissima Pœninus & Cottijs Alpibus claustra posse imponi,

imponi, vt in posterum ab Italia Transalpina gentes arcerētur. Porrò Cæsar ire in Galliam certus, præterquàm quòd Vnius Antonij Leuæ iudicio virtutiq; plurimum tribuebat, tribus etiā de causis in id bellum ingenti animo ferebatur, quòd Mariā sororem Belgis imperantē, vti erat virilis animi mulier, è Belgio Gallis arma inferre iussam, & iam peramplas cogentem copias, commutato consilio, neq; eludere neq; deserere volebat. Pro certo quoque didicerat Gallos ab Heluetijs auxiliarias legiones sua consuetudine oblatis stipendijs in cōmuni eius gentis concilio impetrare nequiuisse, quòd astuta gens neutri partiū ex professo studere videri cupiebat, vt aucta apud Gallos sustinendi belli necessitate, opē suā carius venditaret. Postremò quod Frāciscus Salassus Antonij Leuæ opera à Galliæ regis amicitia vetus clientela, militiaq; diductus in partes trāsisset, & Galli nullū propè peditatum præter duas Germanorū mercenarias legiones, quas Gulielmus Frustembergus dux turbidus, & multorū perditorum atq; exulum militū collector adduxerat, cuè rex confideret essent habituri. Reliquas enim copias ex Galliæ delectibus constare, quod genus militū è singulis eductum prouincijs, non magnum militiæ vsum habere iudicabat. Quod si paulò audacius atque felicius in media Gallia res gereretur,

Gallos

Gallos profectò domesticis incommodis permotos, & Taurinum, & reliqua oppida sine vulnere deserturos. Adiuuabat etiam decretum Cæsaris Andreas Auria, qui non dubiam spem præbuerat Rhodanum amnem stabili triremium suarum catenato ponte posse coniungi, & per Narbonensem regionem ab Hispania, tum commeatus tum omnis generis auxilia, bene gerendo & conficiendo bello, expectari posse prædicabat. Suberat etiam in arcano Cæsaris occulta spes potiundæ per proditionem Massiliæ, nam sicuti postea à præclaris ducibus accepimus per Antonium Leuam quosdam, qui eam vrbem proderent, sed qui postea fidem mutarint, promissaq; defuerint, tentatos fuisse constabat. Itaque cocuntibus iam vndique longè maximis equitum et peditum copijs, Cæsar multiplici itinere, sed præcipuè per maritimas Alpes & per Tendanos colles Prouinciæ fines intrauit, subsequente à Sauonæ portu Auriana classe, quæ multas Italicarum cohortium copias sustulerat, quibus Ferdinandus Sanseuerinus Salernitanus princeps imperabat. In his clari veteréque præfecti eminebant, Augustinus Spinula Ligur, & Petrus Maria Roscius Parmensis sancti Secundi regulus, Hippolytusq; Correggius, & Hieronymus Sanctimitalis Salensis. Horum primo impetu capta direptaque est vrbs Antipolis, quæ est vltra

Varum amnem posita contra eas insulas, quas Lerones antiqui, nostri hodie Leres vocant. In ea oppugnatione, quòd ab armatis agrestibus impigrè defenderetur, et triremes à mari admotis proris tormenta in socias cohortes tumultuario præcursu murum inuadentes aberrante ictu dissloderent, amplius trecentos milites Salernitanus amisit, atque inde Ferdinandus Gonzaga cum suo equitatu adductu secum aliquot Salernitani cohortibus ad vrbem Gratiam proiectus, eam sine vulnere in deditionem accepit, subsequenteque vniuerso exercitu, ipsoque Cæsare ad Forum Iulij celebrem olim vrbem, & Vocontiorum planam frequentemq; ædificijs regionem peruectratum est. In Alpibus quodam omine capto ex syluarum incendijs, quæ continenti flamma ardentibus facilè pinetis, non paruum numerum calonum atque lixarum, mercatorumque & mulierum præsertim castra sequentium turbam combusserat, concrematis multis impedimentis et farcinis, quibus milites, ne eodem igne corriperentur, opem ferre nequiuerant. Fuere enim tum qui dicerent hos ignibus victoriam portendi, quòd prælucentes vndiq; flamma latitiam pronunciarent. Alij à periculoso ingressu infaustum belli successum, & iacturam impedimentorum, vti postea euenit, significari contendebant. Cæsar circa Forum Iulij aduenientes copias

pias in vnum coegit, productásque sub vexillis latus inspexit: nam sicuti à Vastio accepimus, nusquam maiores, & ornatiores copias Christiano bello Cæsarem vnis in castris habuisse constabat. Nam Germani quinquaginta ferè cohortium vexilla implebant, quæ Germanica consuetudine paulo minus quingentos pedites singulæ continebant. Has legiones imperio regebant Tamisius dux vetus, & Gaspar Georgij Franispergi clarissimi ducis filius. Hispanos autem octo millium numerum superasse, cuius gentis nusquam antea tantam multitudinem, adeóque militariter instructam se vidisse dux ipse testabatur. Hunc Hispanorum numerum superabant Italici, qui præter descriptos conductósque stipendio, voluntariam & liberam prædæ spe militiam sequebantur. Magnum autem grauis armaturæ equitum numerum, Maximilianus Iselstenius Belga ex Burgundia, inferioréque Flandria adduxerat. Sed cataphractos omnes vel Italici vel Hispanici generis ducebat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus. Veterano autem leuis armaturæ equitatui præerat ex suo veteri munere Ferdinandus Gonzaga. Huic adiunxerat Alexander Medices alam Etruscam Valerio Vrsino duce, quæ manus in vniuersum mille galeatorum equitum summam efficiebat. Tormenta verò magna ex parte suppedi-

tabat classis, quæ oram legere iussa, commeatibus etiam ex propinquo litore castra subleuabat. At Franciscus de animo Cæsaris aduersum se vehementer concitato, et de singulis instituti ab eo belli consilijs edoctus, quòd ad eum Ioannes Bellayus Cardinalis Parisiensis, memoriter excepta atq; descripta ea Cæsaris concione, quæ in Vaticano habita fuerat, dissimulato habitu, mutatisque ad celeritatem iumentis in Galliam percurrisset, tota sua inani sed concordia deiectus, facilè agnouit quanto cum incommodo Philippus Ammiras paulo ante ad Taurinum, in ipso cursu bene gerendarum rerum fuisset retardatus, & quàm ipse esset imparatus ad sustinendum bellum grauissimi hostis, à quo terra mariq; præmissis ingentibus copijs peteretur. Hæc anxiè quoque confirmabat Cardinalis Lotharingius, qui apud Senas frustra cum Cæsare de compositione fuerat colloquutus, asserebátque ea mente esse Cæsarem, vt non modò Mediolanensis imperij possessionem sibi retinendam esse, sed asperrimo in visceribus Galliæ excitato bello, Burgundiam citeriorem, quæ ad Heduos pertinet, armis repetendam decerneret. Itaq; Franciscus, vti pericula postulabant, vndique euocatis ad bellum beneficiarijs suis, & tota nobilitate arma capere iussa, legiones iampridem institutas in prouincijs accersebat, cogebátque circa Lug-

Lugdunum, vt inde ad Auinionem progrederetur, & ex propinquo irrumpentium hostium aduentum & impetum dispositis præsidijs exciperet. Interim per legatos dabat operam, vt ab Heluetijs iusta auxilia mercede compararet, & Picardiæ fines validis copijs aduersus Belgarum irruptiones confirmaret: nam à Maria regina conscribi magnum exercitum Henrico Nansoo duce, atque induci in Galliæ fines audiebat, quæ poterat etiam diligentia eos dutes, quos in præsidijs Subalpinæ regionis decedens Ammiras reliquisset, pecunia et nouis copijs confirmabat. Nam Iacobus Medices ad obsidendum Taurinum relictus à Cæsare, & Franciscus item Salassus passim bellum gerebant aduersus Gallos, sic vt cruenta minuta prælia in expugnatione oppidorum ederentur, quibus clari nonnulli fortissimique viri vtrinque caderent. Nam M. Antonius Cusanius Insuber, quum emissus Taurino ad oppugnãdum Sabinianum contendisset, potitúsque exteriore templi ædificio, magnam vim telorum & armorum omnis generis à Cæsarianis ibi præparatam succensa domo contremasset, & Scalengum subsidio cum cohortibus ire ausum, commisso certamine, profligasset, in ipsa victoria vir excellenti virtute glande traiectus occubuit. Interea Franciscus nihil, quod ad salutem Galliæ pertineret, intentatum relinquens,

in Italia parandas nouas copias, Genuámque Cæsari opportunissimam vrbem detrahi posse ratus, ad Mirandulam conscribi nouum exercitum iussit, qua in re studiosi Gallici nominis duces, cogendis vndique cohortibus operam dabant, Caninius Gonzaga, Cæsar Fregosius, Annibal Nouellarius & Pallanicinus Vicecomes Insubrum clarissimus, quibus etiam accesserat Petrus Strozza Florentinus exul. His omnibus rex præfecerat Guidonem Rangonum, cautus militari ingenio magnopere confidebat. Itaque Guido cum octo millibus peditum prater Parmam atque Placentiam ire pergens, Derthonensibus ex itinere commeatum ei præbentibus, prater Scriuiam amnem, Genuam superato Apœnini iugo, prouectus est. Interea Cæsar è Foro Iulij motis castris, ad sanctum Maximi Vocontiorum oppidum peruenit, passim effugientibus incolis, sed plenos varijs commeatibus vicos ita relinquentibus, vt Cæsariani alerentur simul, & aliquantam prædam reperirent, quum nulla hostium armata manus occurreret. Erat autem adeò multa singulis in pagis rusticanisque tugurijs, prater triticum multiplexq; legumen, arida ficus, & amygdalæ, caseí, & salitæ carnis copia, vt si frumenta deessent, his cibarijs multò amplior exercitus per multos dies ali posset, postquam adulta iam dum æstas fructus recentes affatim vndique sugge

sugge reret, propter admirabilem pomiferarũ arborum, quibus ea terra passim consita est, frequentiam. Auria quoq; in Tolonæ portum classem intulerat. Is antiquis Taurenta portus fuit, turrémque habet, quam, metu tormentorum territis custodibus, Auria in potestatem redegerat, commodéque terrestres copias cunctis subsequentis classis per oram copijs subleuabat. Galli autem edicto regis, quantum poterant frumenta & commeatus omnes longè ab ora maritima itinereq; hostium, ad remotiora ædificia munitáque loca reducebant, cui negotio præpositi fuerant Montegianus insignis equitum præfectus, & Boissuius Gosserius Arcturo patre, aulæ regiæ quondam magistro, Guilielmóque Ammirante, qui ad Ticinũ cecidit, patruo clarus. Hi cataphractorum & leuis armaturæ equitum binas alas adduxerant, & tres peditum cohortes, quæ equitibus præsidio forent, progressique in eas partes per quas Cæsariani iter facturi videbantur, paganos excedere ædificijs, & demigrare, & domesticas copias retro aduehere, ne his potiretur hostis, cogebant, qui segnius id fecissent atrociter multabantur. sic, vt accumulatis antea pabulis faces subdere, & fœdè vini dolia perrumpere, ac frumenta, quæ asportari non poterant, eodem igne corrumpere, lugentibus incolis, properarent. His conficiendis rebus occu-

patos hostes, exploratores Epirotæ anteeuntes suoq; more prædam quæritantes, ad Brugnolam oppidum processisse Gallos, Gonzagæ renunciarunt. Is, vti maximè cupiebat, longius & introrsus ad hostes nondum percurrerat, ægrèque à Cæsare impetrare potuerat, vt suo munere fungi, quod esset, vtilissimum & prope necessarium noscendis hostium consilijs permitteretur. Cæsar enim vni Antonio cuncta deferebat, qui sine se quicquam tentari vt laudis cupidissimus nolens, hostes ipsos tota mole copiarum inuadendos, nec aliter excitandos esse diserebat. Itaq; cohortante Vastio. & Cæsare permittente, Gonzaga omnem ferè leuis armaturæ equitum multitudinem ad iter expedit, pestulátque, vt Tamisius cum legione Germanorum secum eat, vt equitibus præsidio sit, primosq; omniù præmittit Paulum Luciaschum, & Zucerum Epirotam spectatæ solertiæ atque virtutis veteres præfectos. His præcurrentibus ad Brugnolam, Montegianus atque Boissuus ab incolis, qui refugiebãt, de aduentu hostium cognoscunt, et quum alter extemplò abeundum esse, nec vllum pugnæ discrimen subeundum esse diceret, alter Montegianus ingenio elato ferociq; turpe sibi fore testabatur, si de profectione prius cogitaret, quam ora hostium vidisset. Nec multo post vndique Cæsariani volitantes conspiciuntur, & Boissuo se subducere parante, Mont

te, Montegianus equitibus tuba signum dat, vt arma capiant, & conscendant equos. Gonzaga nouas turmas primis submittit, imperátque, vt præliando hostes distineant, donec ipse reliquis alis, & Tamisius cum legione ad oppidum perueniant. Itaque inuadentibus Cæsarianis prælium oritur, obuertunt se Galli equites, & fortiter repugnant, tanta constantia roboreq; densatæ aleæ, vt primi pellerentur, sed aucti subsidijs pugnam instaurarent, quo casu, Sampetrius Corsus, qui cohortibus præerat, ad equitatum vtrinque lunato flexu cohortes peritè applicat, & per sclopettarios rem gerit, multiplicatis q; & insultantibus Cæsarianorum turmis, atrox prælium editur. duoq; fortissimi præfecti, Pelacanes Bononiensis, & Stephanus Pueius virtute animi & decore formæ nemini secundus ideoq; Gonzagæ charissimus interficiuntur. Sed superuentu Valerij Vrsini, & Cantelmi Populensis regulis, cohorter perturbantur, proculcatæq; equorum impetu, capto Sampetrio, proteruntur, funduntur equites peditum præsidio destituti, paucis q; interfectis, ad vnum omnes, ita vt nec tubicen effugeret, capiuntur. Montegianus ipse vesana ferocia diu repugnans, à Marsilio Brixiano equite capitur, eandem sortem subijt Boissuus, repertus q; abiectis insignibus gregarij equitis habitu ad Gonzagam de facie agnitus

deducitur. Eo die Gallorum temeritate Montegianiq; præsertim insolentia, id acceptum incommodum fuisse constat, quo Brugnola effusè directa est. Exinde cognitum est ex captiuis regem ad Auinionem copias cogere, nihil tamen de pugna cogitare, nisi Heluetiorum auxilia recepisset, qua impetrata fuisse, et iam esse in itinere Galli dictitabant. Cæsar eo felici initio latus, supra Massiliã ad Aquas Sextias castra promouere constituit, atq; item propius Massilia mœnia intueri, & certius explorare, an ab quis in ea vrbe tumultus a proditoribus nauisq; rebus studentibus ciuibus sentiretur. Itaque diu vrbis munitiones ex propinquo contemplatus, quum nemo suorum sciret, cur in conspectum se dedisset, paulò post ad castra redijt, & Vasthius in Arelatensem vsq; agrũ excursionem fecit, eo euentu, vt plerique Arelatenses nihil hostile expectantes, vagatiq; per villas ruraq;, ab equitibus interciperentur. Per eos dies Franciscus rex, Franciscum Delphinum filium hæredem regni & nominis destinatum, repentino oppressum morbo amisit, tanta totius aulæ mœstitia, vt ab omnibus æquato dolore iuuenis florentissimus, virtuteq; bellica insignis, & regijs præditus virtutibus, tanquam immiti fato ereptus, effusissimè lugeretur. Nec defuere, qui suspicarentur eum veneno fuisse sublatum, cuius nefarij criminis repentè reus factus qui

quidam Sebastianus Montecuculus pœnas dedit, quum ab equis in compito in diuersa current ibus discerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatum ferebant, tanquam insontem, qui dolore victus inter immania tormenta, vt calamitati suæ finem imponeret, se reum miser fecisset, & authores tanti facinoris Antonium Leuam, & Ferdinandum Gonzagam nominasset, qui obruti tanta infamia nomine, calumniam a perdito impudentissimoq; homine temere impositam, anxiè diluere contendebant, quum nonnulli Delphinum ex nimia iactatione in ludo parvæ pilæ æstuãtem, sudoreq; madentem, frigidam intemperanter hausisse prædicarent, nullis præsertim apparentibus veneni indicijs, quando præcordia visceraq; eo immodico rigore correpta, extincto penitus innato calore, mortẽ accersirent. Quum ad Aquas Sextias castra haberet, nec iam classe iuuaretur, quòd magnum regionis spatium à Tolonæ portu ad Aquas Sextias intercederet, itinere præsertim latrocinijs infesto, quod incolæ desperatione rerum suarum notos saltus insiderẽt, et viatores præsidiaq; eorũ inuadentes interficerẽt, fames in castris sentiri cœpit, quòd cocta Cerere careret et fructibus noxijs milites vterẽtur: Nã tametsi frumenta vndiq; suppetebant, nulla tamen molendi tritici erat facultas, quoniã a Gallis paulò ante molæ frumẽtariæ perruptæ disiectæq; fuerãt, ac nisi ab Hispanis, et qui

busdam Italis refectæ custoditæq; certis præsidijs molæ forent nemo in castris vel inter proceres nobilissimos erat qui conuiuijs panes apponeret. Quibus de causis fiebat, vt Germani præsertim morbos cõciperent, atq; eo pestilentiores, quòd musto ex suis non plane maturis expresso è galeis auidè biberent, quæ ventres facilè contaminabant sic, vt internecina profluuia passim orirentur, & funeribus castra complerentur. Quibus malis obuiam ibat Cæsar, validis iustisq; præsidijs ad classem missis, vt inde opportuna famis subsidia peterentur. Nam Auria multa tritici copia abundans, pluribus simul furnis & clibanis Cererem excoqui iubebat, cæteraq; expediebat cibaria, & in his nauticum panẽ, cuius magnam vim in classem ideo contulerat, vt terrestribus etiam militibus deseruiret. Mirabantur homines, cur Cæsar tandiu apud Aquas Sextias ferè inglorius hæreret, nec quicquam pristino ardori suo simile moliretur, nec generosa consilia digna ipso celeriter expediret, prius quàm exercitus, Germanorumq; præsertim grauioribus morbis tentaretur, et Heluetij hostibus auxiliares superuenirent, qui breui affore nunciabantur. Languebat fermè quarta pars legionũ, & multo plures morbus absumpserat, inter quos fato cesserat alter ducum Gaspar Franispergus cũ minoribus præfectis

fectis atq; signiferis supra viginti. Ipse quoq; Antonius Leua prioris sui consilij non obscurè pœnitens, rarius & segnius apud Cæsarem sententiã dicebat perplexusq; atq; obrutus magnitudine difficultatis, fortunæ manus dabat, decumbebat q; corpore æger atq; animo deiectus, ita vt Cæsar ipsum de victoria desponditis animum agnosceret, & vastius ex priore sententia Leuæ oppositus, difficultatis causas cõficiendi & repræsentandi panis inopia militibus afferret, nihil ad inferendum strenueq; gerendũ bellum obstare, quãdo Germani cæteriq; milites tritico cacabis excocto Neapolitanæ obsidionis incommoda patientissimè toleraſſent, ideoq; intempestiuè parumq; honestè turpẽ Cæsari, ignominiosam verò ducibus maturi receptus, vulgato inter milites rumore, famam parari, proinde milites quò iuberet Cæsar, dum vires essent integræ, fortiter esse perrupturos, vel si hostem regem ad Arunionem æstiuantem inuadere cuperet, vel adito Lugduno in Burgundiam antiquæ suæ ditionis peruadere iuberet. Cæterum quum in his versaretur consilijs Cæsar, mari delatũ ab Auria tristem nunciũ accepit, quo Guidonem Rangonũ ad inuadendã Genuam appropinquare, & in Pociferã vallẽ se demittere ferebatur. Igitur Auria de patriæ salute vehemẽter solicitus, expedito cõsilio septingentos circiter mil

ter milites Augustino Spinulæ legendos attribuit, continuoq; triremibus Antonij Auriæ deuehendos imponit. Antonius pari studio solicitudineq; ad ferendam patriæ opem incitatus, Vsusq; nocturnæ auræ flatibus, velis & remis ire contendit, ingressusq; portum, ciues magna trepidatione liberauit. Nam totæ ferè ciuitati inexpectato metu perturbatæ, eò descendebat, vt plerique uxores & liberos, chariorésque res suas nauigijs imponerent, alij plebsq; in primis, rerum nouarũ prædaq; auida, reduci Fregosios, & vetus Gallicæ seruitutis iugum induci clamitans, correptis armis ad defendenda mœnia discurrebat, sic, vt incerto studio per regiones vrbis tumultuosè deferretur. Sed conspecto Spinula, qui validam præsidij manum adduxerat, primores ciues obliti veterũ factionũ, memoresq; receptæ libertatis, in qua beatius viuerent, magna ex parte leuati metu recreantur. Iam hostes ad sancti Thomæ portam, quæ est ad Occidentem, peruenerant, allatis q; pluribus scalis & conscensis, in summum murũ euadere coronamq; occupare nitebantur. His conspicui cohortatores aderant, Guido ipse atque Fregosius, qui quum frustra portam sibi aperiri amicè ingressuris postulassent, aduersum à ciuibus responsum retulerant, propterea q; vim admouendã rati, acerrima atque audacissima conscensione

scensione facta, in vrbem transcendere conabantur, eo quidem maiore Genuensiũ periculo, quòd ad orientalem portam, qua ad Feritorem hodie Bisamnẽ fluuium ducit, Pallauicinus Vicecomes & Hercules Fregosius Cæsaris frater altera castra fecissent, vt diuerso pauore illato, ciues ad deditionẽ compellerent. Cæterùm supra sancti Thomæ portam, non longè ab ea turricula per quam, Piscario duce Adurnios proceres reducente, vrbẽ ante quatuordecim annos captam fuisse meminimus, magna contentione certatũ est, eo successu, vt Baptista Corsius cognomento Farina, ægrè locum defenderet, & Guidoniani vexilla in summi muri pinnas audacter efferrent. Verũ superuentu Spinulæ ingenti animo propugnãtis, ereptum est ascendenti signifero vexillum ipsoq; vulnerato atque in præceps deturbato, repressis q; subinde & vulneratis, qui scalas subibant, ea mœnium pars vsq; adeò egregiè defensa est, vt quũ Hector Neapolitanus inuadentiũ pugnacissimus cecidisset, Guido multis suorũ amissis & vulneratis, receptui canì iuberet, tanquam redintegraturus pugnam, vti videri volebat. Caterũ dux prudens, quòd nulla ad quassandum murum atque ideo ad terrendum hostem tormenta secum adduxisset, neque vti sperarat Fregosius, vllus omnino in vrbe fauentis populi tumultus oriretur,

admon

admonitis socijs, qui erant ad Feritorij portam, copias collegit, regressusq; per dextros Pociferæ Gallis montes in agrum Subalpinū, Tanaro amne superato, ad Gallicos duces peruenit, ingenti equidem metu atque periculo, vti inopinatis casibus accidit, liberata ciuitate, quanquam Guido in discessu oblata ex itinere oppidula diripuisset. Inde Guido profectus est ad Astam, qui nemo Cæsarianorum prodiret, abacta aliquanta præda maioris pecoris, ad oppugnandum Carmianū contendit, quod oppidum infirmo custoditū præsidio adortus, vno atq; altero tumultuario certamine sub mœnibus edito, ad deditionem compulit, ibiq; magnam vim parati à Cæsarianis commeatus nactus. Taurinensium & reliquorū præsidiorum inopiam, æqua dissensatione opportunissimè subleuauit. Nec multò post admotis copijs Carmagnola, munito oppido, quod Salassi erat ditionis, potitus est. Quibus rebus gestis, tametsi ab irrita spe potiunda Genua frustra bellum suscepisse videri poterat, his tamen captis oppidis egregiè nominis famam tuebatur. Quibus cognitis rebus Cæsar, & Auria, periculosa leuati cura, magnopere lætati sunt. Per eos dies Cæsare circa Aquas Sextias commorante, & pestilentibus morbis legiones pernastantibus, quum Nansous cum valido Belgarū exercitu Galliæ fines ingressus

sus, leuibus quibusdā equestribus prælijs prosperè factis, ad oppugnandum Peronam, quæ est Vrbs Picardiæ ad Somorobrinam amnem posita, contendere nunciaretur, Heluetij, vel nihil ex decreto magistratuum impetrante rege, ingenti multitudine voluntariorum eius gentis ad stipendia, quæ offerrentur, excitata, duce Calcemito descenderunt, & Gallos adventu suo ita confirmarunt, vt Cæsar de belli exitu timere videretur. Erant enim Heluetij delecta ferè viginti millia peditum, qua, conniuentibus pagorum magistratibus, arma capere, dare nomina apud quæstores Gallos, et sublatis vexillis proficisci permittebantur. Nā sicuti antea magistratus publicè Cæsari se in neutram inclinaturos partem promiserant: ita quòd stipendiorum & lucri iacturā cunctantes facerent, pagorum fere omnium iuuentus exercendis nata armis ferre non poterat, vt ei bello non interesset, quum plures eminerent, qui ex fœdere veterum pactionū minimè committendum prædicarent, vt Galliam tanto circumuentam periculo contra ius & æquum indefensam diripi paterētur. Habendam enim esse rationē perpetuæ societatis, quæ ad tuendam Galliam præclaro fœdere Galliæ regibus essent obstricti, à quibus omniū temporum perpetua atq; opima bello & pace præmia retulissent. Calcemitus autem, quan-

quam corpore pusillus ingentis tamen animi præfectus, quem prælio ad Bondincū prosperè facto aduersus Ferrarienses, multum inclaruisse memorauimus, in corona dixisse ferebatur, nequaquam esse ex commodo dignitatēq; Heluetiæ gentis, circumuentum diuersi bello grauiq; luctu oppressum regem, qui florentissimum regniq; hæredem ex liberis amiserit, parum pia atque inepta magistratuum cessatione deserere, scilicet, vt viri fortes stipendia facere & virtutis præmia ferre soleti, sua spe lucri, atq; occasione parandæ laudis defraudentur, vt finitimos Germanos veteres hostes, ipsamq; præsertim natura infestā Heluetio nomini Austrianam stirpem immodica potentia augeri sinant, tanquā non aliquando ipsorum libertati negotium allaturam. At magistratus prætores q; paorum non obscuri Gallo fauere cupiebant, quanquam auarius atq; tenacius quàm oporteret, secum egisse ab initio quæstores Gallos dicerent, qui intempestiuè veluti nondū inchoato bello pecuniam in stipendia minimè se prolaturos dixissent, atque eo modo, integro publicæ fidei pudore, de nihil publicè de mittendis auxilijs decretum esse testarentur, priuatorum militum cupiditati, & publico commodo dum conniuerent, nec euntes & nomina dantes retentarēt, publicæ existimationi callidè satisfacere volebant.

bant. His tantis confirmatus auxilijs Franciscus rex, certius exploratis hostium consilijs, atque eorum incommodis, quæ contagiosa planè lues pestilentiæ modo indies validius serpens afferebat, animaduersáque apud eos salubris & expetiti commeatus difficultate, secundo Rhodano deuectis exercitus impedimentis, ad Cabellonem processit. Ea vetus Colonia, posita est ad amnem Druentiam in Rhodanum influentem, egregiamq; habet ponendis castris opportunitate, ibi Anneus Memorantius totius Galliæ equitum magister, cuius tum propter eximiam militiæ peritiā, maximeq; sobrij & perspicacis ingenij præstantiam, summa erat apud regem authoritas, dimensus accurata ratione, admirabiliq; munitione complexus latissimum spatium, vallata castra erexit, quibus vndiq; tormentorū corona permunitis, amplissimæ copiæ continerī, atq; his infesta reddi itinera poterāt, quæ ad Cæsariana castra, & ad maritimas commeationes, viasq; Alpium pertinerent. Nam per superiores dies Paulus Ceres cū valida manu Italicorum, & Gallorum equitū, expeditarumq; cohortium, Druentiam fluuium tranando, nonnulla detrimenta ex occasione dispersis hostibus intulerat. Perfectis igitur ad Cabellonem castrorum munitionibus, atque intra has equitatu è tota Gallia recepto,

pto, & collatis in eas Frustembergi mercenarijs Germanis & Gallicanarũ legionũ copijs, Heluetij expectabãtur qui iam aderant, vsq; adeò multiplicatis cohortibus, vt nemo eius gentis domi relinqui videretur, quoniam plerique, et bellicosissimus quisq; suopte ingenio ad iter incitati, neq; duces, neq; vexilla expectanda censebant. Ad impetus, & alacrius genus studiũ: sic uti maximè sumptuosum Galli quaestores sibi fore prouidebãt, ita Cæsar immunitæ spei eius cõceptæ victoriæ, procedendi atque audendi consilio frangebatur: nã (sicuti nonnulli paulò antea probarant) si discedere longius à mari, & per Lugdunensem agrum in Burgundiã penetrare percuperet, id neq; tutum neq; facile videbatur, quòd maximis hostium copijs in tergo relictis, atq; his, quas antea despexerat, aduentu Heluetiorũ mirisq; cõfirmatis, rex proculdubio ex occasione certaturus credebatur, cuius rei cõsilio si casus incideret nihil alienius et iniquius accidere posse Cæsari, cuncti ferè duces affirmabãt. & tum maximè in Antonio Leua intolerandi totius corporis omniumq; propè artuum dolores animũ lethifera vexatione fatigabant, vt vemnem eius ingẽtis animi vim eliderẽt, ipse sese deceptus sua spe immodica destinata victoria, intra pauciss imos dies ad mortẽ adigeretur. Visus est Leua accepti vaticinij sui fidem impleuisse

pleuisse, quũ in Gallia, vti cupiebat, extremũ vitæ diẽ obierit, & relatus in Italiã, apud tẽplũ sanctæ Dionysij penes Mediolanũ, insigne sepulchrũ meruerit, sed non apud Lutetiam, vti crediderat, vbi Dionysiano celeberrimo in templo tumulũ cum elogio funeri destinasset. Eo mortuo Cæsar de consilio reliquorũ ducum, nihil vltra eo bello tentata prælij Fortuna, se recipere, atq; in Italiã redire constituit. Interea à Paulo pontifice binæ legationes in Pronunciam peruenerãt, altera Triuultio Cardinale legato, quæ Franciscum regem respiceret, altera Rodulpho Pio Carpẽse, quo Cæsar adiretur. Eorũ aduentus quanquam serus, non omnino irritus fuit, nam propterea quòd ex diuerso factionis studio inter se dissidebant, idonei videbãtur, qui ab vtroq; armato principe pijs precibus impetrarent, ne summo Reipublicæ Christianæ incommodo, armis concurreretur. Quæ legationes, quanquam nihil quo ad leuandas simultates, & minuendam eius suscepti belli controuersiam pertinerent, eximium tamen sacrosanctæ æquitatis in Pontifice, qui pacificatoris nomen quærebat, specimen præbuerunt. Eo modo Cæsar magis & magis ingrauescente autumno, deductis vndique præsidijs, & constitutis agminibus, per easdem maritimas Alpes subsequente classe, in Liguriam ita est reuersus, vt ipse cum tota

ferè aula ad mare iter haberet, turrémque quandam agresti Gallorum præsidio munitam, quod iter illuc habentibus Cæsarianis infesta esset, & Garziam Lasium Hispanicæ nobilitatis, bellica laude, & poetica laurea insignem lapide ictum interfecisset, multa vi expugnaret, defensoresque deditos, quòd pertinacius restitissent supplicio affici iuberet. Tum verò Franciscus quibusdam Gallorum facilè paratæq; victoriæ defuisse visus est, quòd abeuntis hostis vestigia statim non esset subsequutus: nam plerique etiam ex Cæsarianis affirmabant, nouissimis agminibus grauem incommodum afferri potuisse, quoniam Germani, & non parua pars Hispanorum lenteribus morbis tentarentur, & equites Germani, Belgæq; præsertim, magnam equorum multitudinem, aut exustam feruoribus æstiuis, aut turgentibus talis debilitatam amisissent. Sed nos posteà huius cessationis causam ab ipso rege requirentes, hanc fuisse reperiebamus primum omnium, quòd Heluetios cum Germanis, tanquam perpetuos eorum hostes committere nollet, spectante præsertim Frustembergo, ne is offensus iniuria, si fratres & consanguineos suos ab Heluetijs Germanico nomini inimicissimis trucidari conspiceret, propterea indignabundus ad tuendos suos verteretur, quum ipse Frustembergus tanquam omnis

omnis sacramenti contemptor, ingenio impius, & præceps facilè secessionem fœda confœderatione facturus crederetur, & ipse multis eruditus antiquorum documentis, à certo & tutissimo disciplinæ militaris præcepto discedere nollet, quo fugienti hosti non fabricandos modò pontes, sed auro etiam sternendos veteres censuissent, satisq; sibi gloriæ & laudis partum eo bello fuisse, postquam tantos impetus, tum Cæsaris in Prouincia, tum Nansoi in Belgis egregiè regno incolumi sustinuerit & finibus expulerit. Per eos nanque dies Nansous irrito conatu, magnis Belgarum & Germanorum adductis copijs Peronam vrbem oppugnarat. Cæterùm Cæsare triremibus Genuam adsecto, Aurianisq; in ædibus ornatissimis suscepto, Vastius per Ingaunos Ligures exercitum, Hispanósque præsertim in Subalpinam regionem reduxit, quòd ibi Gallorum præsidia accessu Guidonis Rangoni firmiora, nihil his in partibus bellum remitterent, nonóque ausu vicina oppida inuasuri viderentur. Quo successu autem Nansous bellum gesserit, Peronámque oppugnarit, paucis operæ pretium erit enarrare. Perona oppidum est Galliæ Belgicæ, ad Samarobrinam amnem, quem Somam hodie vocant, Veromanduis antiquis vicinum populis, qui etiam nunc vetus nomen retinent. Id autem disterminat

Gallorum ditionem à Flandris Cæsaris imperio subiectis. Palustris ea est regio, & quod ad sacra attinet, Nouioduni antistitis authoritatem respicit. Perona, tametsi neque magna sit, neque ideo vrbis nomen habeat, frequentes tamen habet incolas generosos, & Gallia regibus valde addictos. Exercentur Peronenses belli tempore quotidianis ferè excursionibus & prælijs cum finitimis Bapalmensibusq; præsertim. Bapalma siquidem ad Flandros pertinet, extremoq; in limite posita, aduersa ditionis Peronam respicit. Hoc itaque oppidum quum Cæsariani duces neque præsidio valido, neque multo commeatu neq; exquisito opere satis munitum existimarent, omnibus copijs aggredi statuerũt, quòd Perona capta facilem sibi in Galliã aditum patefactum iri prouidebant. Priore autẽ consilio, sancti Quintini oppidum, Samarobrinorum præcipuum, hiberniq; olim C. Iulij Cæsaris clarũ, inuadere cogitarãt, sed accuratæ & præaltæ munitionis validiq; præsidij fama Nansoum auerterat. Hic enim genere Semigermanus, summaq; dignitatis regulus, apud Cæsarem fauente regina cuius præerat, habebatq; in castris circiter viginti millia Germanorum peditũ, equitũ verò partim è Menapijs atq; Sicambris, qui nunc Cluenses appellantur, atque item ex Eburonibus reliquisq; Belgis septem millia equitum, magnum autem numerum tormentorum muralium magnamq; vim militaris instrumenti expugnandis vrbibus vndique sibi aduehi insserat. Hæc dum à Nansoo pararentur, Galli senatorij ordinis publicis negotijs præfecti apud Lutetiam, quoniam rex abesset, atque in Prouinciã Cæsari sibi abuiam eundum statuisset, animaduerso Peronensium periculo priusquàm Nansous hostis perueniret, eius oppidi custodiam Florantio Roberti Sedanij filio tribuerunt. Is pluribus bellis clarus, vti paterna virtutis amulum decuit, Marescalchi dignitatem fuerat consequutus. Marescalchi siquidem muneris est ordinarium regis equitatum inspicere moderariq;, & in arduis prælijs primam aciem ducere. Itaque Florantius equites cataphractos centum quinquaginta, milleq; legionarios pedites delectos ducens, celeriterq; Peronam contendens, ante Nansoi aduentum peruenit, & Peronenses ex vetere suo studio promptissimos ad sustinendum hostium impetum defendendamq; patriam, magnifica concione in foro habita confirmauit. Dammartinum regulum summæ virtutis atque constantiæ virum, arci tuendæ imposuit, qui suam peculiarem alam cataphractorum dimissis equis introduxerat. Cercheium autem virum egregiè fortem peritumq; militiæ peditibus præfecit, equitatum verò omnem at-

tribuit

tribuit Ioachimo Hangesto summæ spei & iam spectatæ virtutis iuueni. His rebus quæ ad munitionem pertinerent, instituendis atq; parandis occupato Florātio, Nansous cū omnibus copijs superuenit, complexusq; oppidum lunatis castris Idibus Augusti tormenta promouit, quæ erant, cùm numero, tum magnitudine, obsessis maximè formidanda. Itaque, qui Peronenses postulanti Nansoo, vt se dederent, alacriter respondissent, se nequaquā adeò demissi esse animi, vt se patriæ mœnia defensuros dubitarent, postquàm his regiorum militum præsidijs essent confirmati, qui sæpenumero ipsos hostes obsedissent, & ipsi alias arctissimè fecissent obsessi non modò hostium minas contemnere, sed armatos vim inferre ausos multis in locis fortissimè repulissent. Adactis autem tormentis, Nansous vsque adeò terribili violētia murum quassauit, vt mœnia per partes conuulsa perfectaque prociderent, & patentes aditus per ruinas Cæsarianis præberentur, quibus succedentibus & audacter irrumpere conantibus ferrea atque perpetua cataphractorum acies dimissis equis pedes pugnans opponebatur. Certabatur autem comminus hastis atque securibus sic, vt Gallica acies immota constantissimè irruentes sustineret atque propelleret: nam Florantius submittendis recentibus subsidijs diligenter intentus,

tus, nusquam deerat, exemplóque suo ardentissimo propugnans, & vnumquemque vel militum vel oppidanorum ad resistendum accendens, in muro impauidus versabatur, sic, vt quum per quinque horas cruento prælio esset dimicatum, Nansous, multis suorum amissis & vulneratis se reciperet, atque alia ratione oppidum expugnandū esse arbitraretur. Erat arx oppidi non multum ab his mœnibus, quæ ab hoste quassata fuerant, antiquissima turre insignis, quam à Iulio Cæsare olim conditam, fama per manus tradita, Galli prædicabant. Hanc Dammartinus, quem diximus, defendendam susceperat, atque inde tormentis rem gerendo, subiecta hostium castra detrimentis afficiebat. Proinde Nansous nequaquam tormentis demoliri eam posse ratus, cuniculos instituit, vt suppositis tormentarij pulueris cadis noto artificio, erumpentibus flammis turrem excinderet. Nec Nansoum concepta fefellit opinio, nam actis subter fundamenta binis cuniculis, Dammartino nihil sentiente, intra paucos dies perfecto opere, subditis ignibus repentè reuulsa funditus turris corruit, ruinaque Dammartinum oppressit, & cum eo nonnullos ex præsidio. In ea turre Peronenses referebant superioribus temporibus regem Galliæ à Veromandurorum regulo per insidias captum, ibique custodia traditum.

Cita

Vitæ finem inuenisse. Caterùm Nansous expugnata vel excisa turre, penitusq; adaperta, nihil profecit, vt inde vel arcem vel vrbem iteratæ ingẽti conatu oppugnatione caperet. Nec multò post desperata victoria obsidionẽ soluit, et intra Flandriæ fines regressus est. Florãtius verò restitutis tumultuario opere mœnibus ad regem contendit, qui Cæsare Prouinciæ finibus excedente, in interiora Galliæ redierat, ab eóque, quónam euentu hostes Peronam oppugnassent certius didicit, collaudatóque Florantio, Cerchióque & Ioachimo Hangestio, militaria dona ad argumentum eximiæ eorum virtutis tribuit, & vt dijs immortalibus gratias ageret, qui Galliam propitio numine summi periculi discrimine liberassent, per triduum supplicationes haberi iussit. Florantius autem non multò post, ardentissimis solibus & Perona dudum militari labore exustus, lethali concepto morbo, fato concessit, parem quoq; non multùm inde Hangestius, qui Florantio suffectus fuerat, eodem bello apud sancti Pauli oppidum interfectus, honestum vitæ atq; militiæ finem imposuit. Sub id tempus, quo Cæsar Prouinciæ finibus excesserat, & Nansous impresterè oppugnata Perona armis atq; incendijs Galliæ fines populatus, in Flandriam dissolutis copijs redierat, Franciscus pares hosti rependendas clades ratus, quas coegerat copias in Belgicos fines

fines induxit, magnoq; apparatu Hedinũ municipissimũ oppidum, Britãnico limiti vicinum, in ea Belgij parte, quæ Artesia vocatur, adortus est, multoq; maximo tormentorum apparatu admoto, quinquagesimo obsidionis & oppugnationis die in potestatem redegit, quòd Belgæ multis imparati rebus, inopinatum hostium aduentum sustinere nequiuissent, nec regina post dimissum à Nansoo exercitum obsessis maturam opem afferre potuisset. Id oppidum amissum, maximè pupugit Cæsarem, qui facilè intelligebat Gallos nullis parsuros sumptibus, quin illud egregiè atque celeriter permunirent, tuerenturque iusto præsidio, tanquã opportunissimum ad reliquam eius prouinciæ regionem inuadendam. Itaque sororem admonuit, vt vires repararet, & per idoneos duces redintegrato impetu, hostes nihil tale expectantes inuadere maturaret. Nec mora Belgarum proceribus ad bellum excitis, vexilla explicantur, & milites ad signa coguntur. In his fuere Hadrianus Beurenus, & Philippus Arescotus è Croia familia, quæ est summæ dignitatis apud Belgas, & veteresuo studio fida Cæsari, Gallóque maximè infensa. Cæsariani itaque magnis freti copijs, quanta belli clade poterant, fines Gallicos intrantes, ad Hedinum delati, quòd validioribus quàm putarãt præsidijs teneretur, lassorsum ad Taruannam

Mors

Morinorum vrbem deflexerunt, atque acri obsidione oppugnationeque instituta, expugnare conati sunt. Obsessorum res ad graue periculum deducta videbatur propter commeatus & tormentarij pulueris inopiam. Sed Galli qui apud Ambianos castra habebant, certiores facti de sociorum difficultatibus, coactis vndique sarcinarijs iumentis & plaustris, his rerum copijs quibus Taruannenses egebant, opem ferre statuerunt, susceptiq; negotij Hanebaldus cum ingenti præsidio ordinarij equitatus, & euocatorum atq; nobilium eius prouinciæ, qui ei muneri deesse sibi ignominiosum fore iudicabant. Itaque vsus nocturno itinere, fretusq; peritis itineris ducibus, Taruannam feliciter peruenit, atque vrbem vti oportebat, non commeatu modò, sed nouo etiam præsidio permuniuit, serò sentientibus, & prohibere conantibus Belgis. Sed Hanebaldus, quum alio quàm veneratitinere, tanquam breuiore tutioréque se reciperet, confectiq; itineris liberum ab hoste spatiũ relinqueretur, quosdam è suis Gallicæ nobilitatis immodico pugnæ desiderio incitatos, neque prohibendo, neque iure imperij comminando, continere potuit, quin illi in proximam, nec se commouentem Belgarum aciem, stolida irruptione incurrerent, & ad pugnam audacissimè prouocarent. Quorum insolentia permoti Beurenus & Arescotus,

tus, ita illos exceperunt, vt multis interfectis & captis, densatas alas in reliquum Gallorum agmen immitterent. Erat apud Hanebaldum Georgius Capuzmadius Epirota vir multis versatus in prælijs, qui quum Cæsari militaret, paulò ante in Subalpina regione à Gallis quadam excursione fuerat interceptus, Cæsare verò eum minimè redimente, oblata à Gallis stipendia accepit, quibus eius viri virtus minimè contemnenda videbatur. Is Hanebaldo suadebat, ne quod egregiè perfecisset, stolidè corrumpere vellet, propterea que sibi videri deserendam esse eorum procacium iuuenum manum, quæ temere neglecto imperio certamen contraxisset, tanquam periculosum omnibus futurum, nisi se ad receptum celeriter expedirent. Sed Hanebaldus, quum neque ea, quæ diceret Epirota, facilè probaret, neque quosdam ex suis notis circumuentos ab hostibus deserere vellet, incumbentibus demum Belgis ita in fugam tumultuosissimè conijctus est, vt quum per paludem ligneis constratam pontibus esset euadendum, perfractis passim pontium transitu ponderéque equis cæno haurirentur. In his fuere ipse Hanebaldus & Capuzmadius. Ea autem fuga eum habuit exitum, vt quingenti ferè equites leuis armaturæ Italici Epiroticiq; generis anteirent, & persequentibus hostibus ad Hedinum

confu-

confugerent, ubi in præsidio custoditi æstimabant. Hi ferme trecenti numero, recentes in oppido nacti equos conscenderunt, atque eruptione facta persequuti hostes, & prælij & itineris labore fessos tanto impetu tergis instando perturbarunt, ut nemo ferè eorum madentibus sudore equis resisteret, multiq; sine subnere caperentur, quorum permutatione, adiecta aliquanta pecunia Hanebaldus dimissus est, & Capuz madius iniqua sorte infra Cæsaris tanquam transfuga, capitali supplicio affectus. Eiusdem anni, qui fuit trigesimus sextus supra millesimum & quingentesimum, ineunte æstate, qua hæc à Cæsare atque Nassoo aduersus Gallos tentata, improsperè gesta sunt, Henricus Britanniæ rex, nouum inusitatæ seueritatis facinus edidit, Anna Boleniæ uxore adulterij damnata, & palàm capitali supplicio affecta. Hanc siquidem, quum insani propè amoris libidine correptus, Catharinæ uxori repudij libellum misisset, in coniugalem thorum receperat. Causam autem repudij probasse ferebatur Thomas Volseius Cardinalis Eboracensis, quo nemo mortalium vanitate dignitatis atque potentia superbior, nemo fortunis opulentior, nemo ingenij malignitate atque adulatione Britanniæ pestilentior fuit. Prætenderat siquidem religionis titulum in adulationem regis nouas appetentis nuptias, quòd

quòd Catharina Arcturo ipsius regis fratri germano antea nupsisset, asserebat enim ex placitis Christiani dogmatis, nefas esse eam ducere uxorem quæ in fratris thoro inter maritales complexus concubuisset. Hanc causam aliquandiu iactarant inter se iureconsulti diuinarum & legum periti, quum Clemens Pontifex obstrictus officio neque Henricum neque Cæsarem offendere destinasset, lata sententia, sed tergiuersante Pontifice, ea lis eum habuit exitum, ut Henricus, uti æqua iura postulabant, perinique atque impiè Catharinam repudiasse in gratiam Cæsaris decerneretur, qua iniuria animus malesano amore depravatus, veterem suam omnem virtutis & pietatis laudem & gloriam abdicaret, noua & damnata religionis dogmata sequeretur, & ab auctoritate Romani Pontificis discedendum censeret. Qua rebellione ad sæuitiam animum impulit, multis & supplicijs damnatorum procerum aulam funestauit, sublato ante alios, ut in promeruisse videri poterat, ipso Thoma Volseio Cardinale, qui nefarijs consilijs præuertisse regem atque instituasse inuidentis populi iudicio accusabatur sic ut rex postea districto sæuiore gladio nonnullos verecundæ probitatis virtutisq; & literarum doctrina illustres interfecerit, in queis fuere Thomas Morus regij scrinij magister, et Roffensis Cardinalis. Boleniæ itaque

que regalia traditæ sunt ornamentæ, & tanquam ex legitimis nuptijs communicatus genialis thoros. Quibus animaduersis iniurijs, Catharina miserabiliter thoro demoq; pulsa, quum dolorem sustinere non posset, fato concessit. Exinde Bolenia, sublata veluti pellice thoroque amula, inauspicatò triumphans, & masculam prolem affectans, in spem successionis regni, existimauit Henricum, ingrauescente iam ætate, & à multo abdomine pigrescentem, parum idoneum fore, qui marem progigneret, quòd antea fœminæ tantùm suscepisset. Quamobrem nefaria concepta libidine, vteri fœcunditatem adulterino semine experiri constituit, pellecto ad concubitum Georgio fratre germano, vt is detestabilis incestus, ideoq; incredibilis, extra omnem suspicionem scelus contegeret. Sed non multò post fraternos concubitus inanes experta, adiecit procacem animum, nec præsentibus contentum, ad Norretium et Bruertonium equites ex aula illustres, sic vt his exaturata, ad Marcum etiam musicæ artis magistrum sibi familiarem inuercundè descenderet. Hæ flagitia ab ancilla quæ cum amatore suo ludens, seuerius ab ipsa Bolenia castigata fuerat, ad regem delatæ sunt, atque eo modo tortis atque interfectis adulteris, Bolenia damnata est, astante inter iudices, & suffragium suum ferente Thoma ipso Bolen

Bolenio patre. Producta exinde in vestibulum Londiniana turris satis interrito vultu, pedisequas circa se plorantes seruandi pudoris admonuit, collectaq; subter reticulum coma, lacteam cernicem, qua tantepere regi placuerat, carnifici latum stringenti gladium porrexit. Exinde rex Semeram virginem, celebratis nouis nuptijs, matrimonio sibi iunxit. Hac mediocris familiæ nobilitate regi impar, sed ingenuo pudore stata forma, quòd ad genium respondere et egregiè par, hunc peperit Odoardum regem, quem colit Britannia, quòd in eo repudiatis vitijs paterna tantùm virtutis indoles effulgeat. Sed is partus regi faustus, matri infelix extitit, quum ex partus dolore statim perierit, quartis & quintis nuptijs apud immodicum regem locum relinquens.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS,

PROVINCIARVM, VRBIVM, Fluuiorum, Promontoriorum, Portuum, atque Insularum, quæ antiquis nominibus aut corruptis ævo, aut penitus extinctis ab authore reddita sunt.

Ex secundo tomo.

A

ACILIA vrbs, Strabiga dicitur. pag. 541
Agiamij hodie vno nomine vocantur, Persico imperio subiectæ gentes. 718
Algerium, Iulia Cæsarea fuisse dicitur. 672. & tomo. 3. pag. 426
Algrunium, olim Iuliobriga fuit. 13
Amidam frequentissimam Mesopotamiæ vrbem, Caramidam hodie incolæ vocant. 743. & tomo primo, pagina. 965
Anthropophagi, Canibales appellantur. 843
Aquisgranum vrbs clarissima, antiquitus Nuagerra fuit. 202

502
Athenæum promontorium Campaniæ antiquitus dictum, hodie Campanellam incolæ vocant. 120. & tomo. 3. pag. 752

B

BAgadat vrbs, Babylon fuit. 712. & tom. 1. pag. 792
Bagrada amnis à Pœnis Magiordech appellatur. 815. & 820
Baianus portus, antiquitus Misenensis fuit. 188
Baiadurũ, hodie Patauia dicitur. 523
Bellicæ arcis montem, hodie Pellicardũ vocant. 628
Brunsuicũ vrbs eruditioribus Germanis olim Tulisurgium existimatur.

C

CAllamata oppidum olim Phare dicebatur. 640
Caneniphatum & Batauorum insulæ, Selandæ & Holandæ à nostris hodie nuncupantur 501
Carapulam promontorium olim, nos Battalium, Pœni verò Gyra Flumar appellant. 274
Cereniola, castellũ Geryonis olim fuit 214
Chersonesus Aurea, Taprobana olim fuit. 851
Circellum, antiquis Carcenna colonia vocatur. 672
Clupeæ promontorium, hodie Calibia dicitur. 825
Coim oppidum in Armenia maiore,

in ruinis Artaxatæ vrbis fuisse conditum alibi diximus. 730
Colubraria insula, Frumētaria à nautis appellatur. 267
Collum oppidum, Colonia Cullu antiquitus appellatum. 712

F

FAlconis promontorium, ab antiquis Gorditanū appellatur. 189
Feritor fluuius, hodie Bisamnis dicitur. 879

G

GAlli promontorium antiquis Acritis fuit. 581

H

HErculis insulā, Diabata olim, hodie Asinaria dicitur. 189
Herculis Monęci portus, Villafranchā hodie dicitur. 519. & tomo. 3. pagina. 95
Hippona vrbs hodie Bona vocatur 815
Hircani, Coraxeni hodie sunt. 717. & tom. 1. pag. 796

I

IScla vrbs, antiquitus Pythacusæ à figulinis, & non à simijs dicebatur. 174
Iuncum hodie Nauarinū, Pyliū antiquitus fuit. 588

L

LAcedæmonem, Misitram vocant. 586
Laciniu m promontoriū, hodie Columneum vocār. 577. & tomo 3. pag. 20
Lecheus portus, hodie diui Demetrij vocatur. 597
Leptis parua, hodie à nostris Africa, & à Pœnis & Barbaris Mahemedia appellatur. 825. & tomo. 3. pag. 327. & pag. 664
Lerones insulas antiqui, nostri hodie Leres vocant. 866
Liburnum, antiquæ Labronę turritum oppidum. 444
Liburni portum, antiquitus Ciceroni Labronem fuisse constat. 192
Londarium, Megalopolis olim fuit. 212. & 640

M

MAlathiam, Amaltham fuisse ex dimensione Ptolæmei constare conijcimus. 730
Marcomanni hodie Moraui sunt. 502
Marcomanni & Hermonduri tenuerunt olim eas regiones ad Albim in Hercinia. 554
Mare Miseni scopulo illisum, Mare mortuum appellatur. 188
Megalopolis vrbs, hodie Londarium vocatur. 212. & 640
Messene vrbs quondam nobilis, hodie Petalidia dicitur. 632
Mœnicem insulam, Gerbim vocant. 272
Mura amnis, antiquis Sauaria fuit. 534. & 541

S

SAmarobrina amnis, Soma hodie vocatur. 887

Sancti Lucidij oppidum, olim Tempsa dicebatur. 686
Sancti Viti oppidũ, Virunum nonnulli antiquitus fuisse putant. 573
Septempedani, Sanseuerinates hodie dicuntur. 607
Serra vocatur Capreola. 103
Sphragiæ insulæ portus, a nostris Sapientia vocatur. 581

T

TIffous amnis, Panisus olim fuit. 632
Tincanussam insulã Teneticam hodie vocant. 615
Tissa amnis, olim Tybiscus fuit. 664

V

VAcorium, hodie Villacum dicitur. 573
Valachia, olim Mysia superior fuit. 653
Valachia finitima Bastarnis & Getis in duas partes diuisa est, altera propinquior Histro Moldaua: altera verò quæ ad Pontum atque Boristhenẽ vergit, Transalpina vocatur. 653
Vetus Sycion hodie Basilica appellatur. 597
Vticæ portum Farinam nautæ vocant 769. & tom. 3. pag. 450

Z

ZAgatai fuere antiquitus Arij, Aracosij, & Margiani. 717

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM quæ in hoc secundo tomo historiarum Pauli Iouij continentur.

A

ABDVA amnis. 17. 18
Abezes et Fetuches Hispani Muleassem produt. pagina 706
Abilchirinus Tunetanus ad Hariadenum. 714
Achangi. 347
Achomates Michaloglis. 347
cadit. 640
Acilia Vrbs Strabinga dicitur. 541
Acrites promõtorium. 610
Adamus Centurio Genuensis. 822
Adrumentinus sinus. 825
Adurnius moritur. 185
Africa Vrbs Leptis fuit, Barbaris Mahemedia. 825
Afri & Numidæ insidiosum militum genus. 777
Africanum imperium quas mutationes sit

Andreas Grittus princeps Venetus. 726
Andreas Auria. 122
à Gallis Venetisq; oppugnatur. 173.
Amiras Mediterranei maris appellatur. 177
classem in Turcas parat. 576. & seq.
Cæsarē proprijs ædibus recipit. 606
Andreæ Auriæ iusta seueritas. 589
classis ad prælium parata. 579
Andreas Etruscus ob suspicionem veneni dati torquetur. 834
Andreolus Nicolinus decurio. 470
Andrussa oppidum Messenij agri. 632
Angeli Bastardi virtus. 430
Anguillotus Pisanus. 386. 387
intercluſus iugulatur. 388
Anna Bolana in aula reginæ Angliæ educata. 597
Anna Bolenia capitali supplicio affecta patre iudicante. 896. & 899
Annæ Boleniæ impudicitiæ nō credēda. 898
Anneus Memorātius totius Galliæ equitū magister. 883. & to. 3. pag. 451
Annibal Picenardus. 266
Antipolis capitur. 865
Antonius Albertus. 493
Antonij Alberti contra Carduccium oratio. 251
Antonius Carafulla morio captiuus ducitur. 384
Antonius Cusanius Insuber. 869
Antonius Franciscus Albicius. 63
Antonius Gritt⁹. 727
Antonius Leua furnarius ridiculè appellatus. 224
Borbonij copias fundit. 228
Cæsarem ad bellū instigat. 264
articulari morbo laborat. 226
moritur. 884
Antonij Leuæ encomion. 229. & 263
consilium de inuadenda Gallia. 862
pessimum. 877
Antonius Nerlius sacerdos factios⁹. 43
Antonius Surian⁹ Venetus. 247. & 290
Antonius Musettola Neapolitanus iureconsultus. 497
Anthropophagi qui et Canibales. 843
Apentius Hispanus, castrorum præfectus. 551
Apostoli Andreæ sepulchrū liquorē salubrem fundit. 130
Aquæ Sextiæ. 874
Aquaria turris. 770
Arabes vbi sint. 693
Arabum studia & mores. Ibidem
Arabicarum literarum studia vbi floruerint. 692
Aracosij et Margiani Sogdianæ Bactrianæq; regionum populi. 717
Ariouistus Patauiensis episcopus. 556
Arrianum oppidū à Cæsarianis direptum. 112
Arni Gallis. 318
Arpinas insignis centurio potando periit. 807
Arsacidæ. 718
Artesia. 893
Asanes Barbarussæ filius. 677
Ascanius Colūna, magister equitū. 119

passum. 691
Africanos inter qui præstent. 692
Agiamij sunt Sophiani. 718
Aiax Habraymi locum obtinet, & Vesir creatur. 752
Aidinus Smyrnæus archipirata, Caccia diabolus cognomento dictus. 269
Alarco dux Getus. 805
Alaria Villa. 12
Albertus Petra Helvetiorum dux in prælio cadit. 19
Alexander Farnesius à Clemente Pontifice laudatus. 650
à quibus primò Papa salutatur. 651
Paulus tertius Pōtifex coronatur. 652
Alexander Medices Florentinæ Reipublicæ caput, & Cæsaris gener. 496
dux appellatus. 499
arcem ædificat. 758
Carolum socerum suscipit Florentia. 859
Alexander Vitellius in Volaterranos hostiles incursiones facit. 418
Alexandria capitur. 66
Alexandria à Prospero capta. 19
Alfonsius Atestinus iurisconsultus. 93
Alfonsius Petruccius Cardinalis necatur. 8
Alfonsius Strozza. 494
Alfonsius Piccolominæus Amalphitanus regulus. 407. & 858
Alfonsius Stipicianus. 458
Alfonsius Vastius. 518
Algerium fuit Iulia Cæsarea. 672
Algerium Mauritaniæ oppidum. 9
Algerunium, olim fuit Iuliobriga. 13
Aloysius Alamannus poëta Etruscus. 366
Aloysius Guicciardines. 42
Aloysius Gritus. 348. & 726
cur in Pannoniam missus. 652
occiditur. 668
Aloysius Mocenicus Venetorum legatus ad Cæsarem. 290
Aloysius Pisanus. 53
Aloysius Gerardus Florentinus. 727
Amalphis Urbs quibus nominibus celebris. 130
Ambrosius Florentius Sforziano nomini infensus. 74
Ambrosij Florentij mors. 168
Americus Cibachius Transylvaniæ Vayvoda. 332
episcopus Varadinensis. 657
obtruncatur. 662
Amicus Arsidæ. 458
Amicus Venafranus interfectus. 402
Amidæ Mesopotamiæ hodie Caramidæ. 743
Amidæ Christianorū templa visuntur. Ibidem.
Amidæ Muleassis filij nuptiæ. 699
Anasus amnis. 540
Andegauensis factio. 134
Admirabilis piscina. 188
Andreas Castaldus Neapolitanus. 323
Andreas Iunius Empolis præfectus. 413
Andreas Quirinus patritius Venetus à Turcis teterrimo supplicio affectus. 750

Asinaria insula. 189
Asinellorũ turris mira altitudinis. 305
Asta à Cæsare Carolo Sabaudio donata. 827
Auersa ab Hispanis oppugnatur. 162
Auersani Aurantio sese dedunt. 167
Auerranus Petrinus, Etruscæ iuuentutis formosissimus. 379
Auinio. 874
Aurum in India vbi inueniatur. 842
Auria cur Alfonsum Vastium & Ascanium Columnam dimittere noluerit. 192. 193
quam ob causam à Gallo alienatus & Cæsari conciliatus. 194. 195
Genuensium triremes capit. 181
è Genua Erycẽ oppidum sese confert. 194
principatũ renuit. 201
Auriæ solicitudo. 669
Auriæ milites à Turcis fundũtur. 275. 276
Auriæ trophæũ erigitur Genuæ. 202
Auriam non esse dimittendũ Clemens pontifex Gallum monet. 194
Auriana classis dispositio. 611
Auriani à Spinula profligantur. 180
Auxilia à Cæsare ad Coronẽ missa. 608

B

Babylon amplissima cognitis orbis vrbs. 736
Euphrate intersecatur. Ibidem
Babyloniæ descriptio. Ibidem
Babylonij horti pensiles, & reliqua mirabilia nõ sunt extra fidẽ. 737. 738
Babyloniorum cultus & mores. 737
Bacinius. 424
Bæticus Hispanus Turca factus, Ramada vocatus. 709. 710
Bagadat, Babylon Semiramis fuit. 717
Bagrada amnis. 696
Baiana arx. 187. 188
Baracanes Cantaber dux solertissimus. 403
occubuit. 404
Baredus. 128. & 138
Balthasar Carducius iuris ciuilis professor. 84
Bapalma oppidum ad Flandros pertinet. 888
Baptistæ Cei Florentini dira verba. 486. 487
Barbarussa Hariadenus Gulf appellari. 272
apud Solymanũ laborat inuidia. 678
ad Habraimum in Syriam mittitur. 679
à Solymano creatur Bassa, & imperiũ maris ei traditur. 685
Aminas declaratur. 753
Vrbem Gades adoritur. 273
Synam Smyrnæum archipiratam sibi fœdere coniungit. 272
Barbarussæ ad suos oratio. 772. 773
Barbarussæ pater, patria, fortuna, studia, facta egregia, & mors. 671. & sequentibus copiosissimè. aduentus Solymano gratus. 677
ad Solymanũ proloquiũ. 680. et seq.
Capitanei. 774

prima nauigatio. 685
Letitia ex Aidini victoria concepta. 271
astus. 690
prælium. 677
Barbes. & Gallicæ classis præfectus. 143
Bardei horti. 700
Bartholus Tedaldus Volaterræ præfectus. 409
Bardus Altouitus Florentinus. 478
Basiliscum tormentũ ingens. 123
Batianus Hungarus. 656
Batilus instrumentũ. 778
Baucius Valori. 485
Becramus Sophi Ismaëlis filius. 717
Belgæ profligati. 12
Belgarũ tumultus. 12
Belgradum oppidum ab Amurathe & Mahomete frustra oppugnatum. 15
in Barbarorum potestatem tandem deuenit. 16
Bellũ ingens in Maleassem. 699
Belli rumores. 625
Belli apparatus ad Tunetum. 761 & sequẽtibus copiose.
Belli sacri Germani duces. 542
exercitus imperãte Carolo Cæsare. 555.556
Bellicus apparatus à parte Gallorum. 757.758
Bellicus apparatus in Turcas. 511.512
Belmares equitum præfectus. 154
Benaones fratres regulꝰ. 701
Benedictus Bondelmontes dictator. Florẽtinæ reipublicæ. 497
Bernardus Baldinus gemmarũ æstimator. 407
Bernenses & Seduni Lotrechio opem ferunt. 18
Berethsaxius, epistolarũ magister. 338
Bethis oppidum in finibus Persici imperij situm. 744
Biordus Agnesius Neapolitanus. 120
Biscaris Vrbs. 697
Biserta Vrbs æstu à Barbarussa capitur. 704. & seq.
Blascus Nonius Cortesio par. 846
capite plectitur. 847.
Bodo Sepusij dux in carcere pedore consumptus moritur. 338
Bohemiæ rex septimo suffragio potens & insignis. 555
Bonæ spei promontorium. 851
Benifacius Parmensis. 368
Borboni. capitur. 228
Borbonij & Auratij similis iteritꝰ. 457
Borbonij interitus 40
Borna Lucensis. 424
Boscum oppidũ à Lotrechio expugnatum. 66
Braxoniũ oppidũ. 658
Brugnala diripitur. 874
Brunsuicum, olim Tulisurgium. 202
Brunsuicensis dux Cæsaris copijs præficitur. 202
Buda à Solymano capta. 35. & 326
à Ferdinando recipitur. 335
Byrsa. 771

C

CAballerij. 358
Cacepa. 718
Cades Tuneti editæ. 818

818
Cæsar Feramusca Campanus. 38
pila traiectus ī mare decidit. 125
Cæsar contra Spinulā pralio cōtendēs, victoria potitur. 184
Cæsar quibus parētibus prognatus. 186
Cæsar Carolus Romanus imperator appellatus. 299
à Clemēte pontifice Romano inauguratur, & ornamentis imperatorijs decoratur. 298.299
concordiæ studiosissimus. 284
Cæsar & Franciscus Gallorum rex pacem ineunt. 216
Cæsar à Pontifice sacramento obstringitur. 263. & 296
Hispaniæ hæreditatem adit. 12
ex Isabella coniuge Ferdinandum suscipit. 288
de summis rerum negotijs cum Pontifice familiariter confert. 283
Ganuam appellit. 257
multos nobiles equestri dignitate ornat. 308
à Ferrariensi principe honorificè excipitur. 277
Placentiam venit. 263
Cæsar Carolus et Franciscus Galliæ rex Britannum sibi fœdere adiungere contendunt. 15
Cæsar in Germania militem conscribit. 202
quo ordine milites in Italiā tendat. 589
ex pituita morbum contrahit. 289
Cur in Gallia ad regem proficiscatur, 618
Mule assem alloquitur, & amplectitur. 795.796
Placentiā & Parmam à Pontifice repetit. 263
Pontifici reconciliatur. 38
Cæsaris inaugurandi ceremoniæ. 295. & sequentibus.
Cæsaris Caroli inaugurati in diuersas sententias distractum omen. 307
inaugurationi qui interfuerint. 301. & sequentibus
Astorgius omnium splendidissimus. 303
inaugurati mirifica cœna. 307
regius animus. 286
lenitas, 257.258
ad Pontificem deprecatoria litera. 38
ad Pontificem Clementem supplex oratio. 282
excusatio apud Paulum Iouiū pro Pontifice. 571
virtutum præconium. 280
habitus. 281.282
ingenium. 76. & tom. 3. pag. 452
diplomata. 495
timor. 570
Cæsari Carolo in Germaniā proficiscendi multa causa. 292
Cæsare Carolo inaugurato, mirabilia Romani & in primis Papæ lætitiæ signa edunt. 299
Cæsaribus corona tres debentur. 293
Cæsariani Gallorum castra sollicitant. 158
Casā à Gallis ex-

tructã oppugnant. 138.139.
Gallorum equitatum ante Neapolim fundunt. 158
ad nocturnũ prælium albentibus tunicis induuntur. 140
Cæsarianorum mina. 94
stratagema quo Gallis illudunt. 108.109
Cæsarianæ classis cruentissima clades. 127.
Caij Maccij supplicium. 7
Calcemitus Heluetius dux strenuus. 881
Caliphæ sacrorũ principis sedes & authoritas. 735
Callamata oppidum, olim Phare dicebatur. 640
Camales archipiratæ Horuciũ & Hariadenũ institutum. 671
Camillus Columnæ. 523. et tom. 3. pag. 418.
Camillus Appianus. 421
Campanella promõtoriũ Campaniæ. 120
Candalius intercipitur. 145
Capinsaccus præfectus. 316
Capitæ procerũ Hungariæ septem Solymano oblatæ. 326
Capitanei Italiæ aduersus Turcas. 522
Caponius à Gerardo accusatur. 237
cõtumelijs à inuecnibus Florentinis proscinditur. 89
è curia honestissimè domum reducitur. 247
Caponij consilium in reprimenda Florẽtinorũ ferocia. 92
erga Pontificẽ studium. 87
defensio. 238. et seq.
Virtutes. 237
Captiui in prælio Ferrucciano. 458. 459
Capua à Cæsarianis recipitur. 164. 165
Capucta Etruscorũ. 55
Caradinꝰ Turca. 701
Carduccius dictatura se abdicat. 379
vt Rẽpublicã Florẽtinã administrarit. 248. & seq.
Carduccij Virtutes. 236
captiuitas. 493
Carmagnola oppidum capitur. 880
Caralis Vrbs à Rentio occupata. 190
Carinianum oppidum capitur. 880
Carolus Ceuriꝰ Belgæ regis nutritius. 12
Carolus Cocchus pœna capitis afficitur. 383
Carolus Burgundiæ dux interficitur. 153
Carolus Borbonius. 25. & sequent.
Carolus Cæsar Maximiliano succedit. 9
apud Vangiones cõcilium Germaniæ procerũ indicit. 16
Ratisponam venit. 505
Germaniæ proceres, & liberarum ciuitatum legatos alloquitur. 510
cum Leone Pontifice Romano fœdus percutit. 16
Romam triũphali exceptus pompa ingreditur. 853
à Sueuis ducatum Vuirtembergẽsem emit. 626
illiberalis in Christophorũ Vuirtembergicum. 627
Feltrio Sorã ciuitatem dono dat. 629
cur liberalis. 629
manu pugnat. 800
Tunetũ capit. 815

seruos Tuneti liberos facit. 819
in Gallos irasci-tur. 854.855
Sabaudium ducem ab amicitia Gallorum auellit. 828
Prouinciam inuadit. 865
cur ab Hispania in Italiã venerit. 495
Guleta præsidium imponit. 804
Caroli Magni ensis. 503
Caroli Lanoÿ cũ Pontificijs conflictatio. 36.37
Caroli Cæsaris ingenium. 76. & 573. & 752. & tom. 3. pag. 452
potentia. 9
ingressus in Italiã. 575
indignatio. 756
præsens consilium. 759
in Turcas expeditio. 511. & seq.
in mari periculũ. 770
apparatus ad oppugnandum Tunetũ, & dispositio copiarum. 804. 805
copiæ cùm Prouinciam ingrederetur. 867
castra ad Tunetũ. 776. 777
adhortatio ad milites. 805. 806
egregia facta ad Tunetum. 801. & sequent.
reditus ex Tuneto. 825
oratio Romæ habita. 854. & seq.
ad Alexandrum generum admonitio. 859
apparatus in Gallos. 841
Carolus Gheldrius Menapiorum & Sicambrorum princeps

ceps. 757. & tom. 1. pag. 821
Carolus Sabaudiæ dux. Francisci Gallorum regis auunculus. 827. & 840 & 856. & tom. 2. pag. 839
Carthago vbi fuerit. 702
Carthaginis promontorium. 705
Carthaginensis sinus. 775
Caruẽna vrbs in Africa celebris. 692
Casonius Turca vir impiger. 540
interficitur. 546
Caspius mons. 732
Castellionenses Cortonæ proximi. 316
Castrorum dispositio in Florentina obsidione. 401. 402
Castellum sancti Angeli capitur. 266
Castelleti arx expugnatur à Cæsaria nis. 21
Castelleti arx à Genuensibus recipitur. 201
Catharina Laurentio Medice genita Hẽrico Galliæ regis filio traditur. 617
sponsa Massiliam deuehitur. 619
Catharinæ Clementis neptis des. 621
Catianer Viennæ præfectus. 516
Caucasus montiũ pater. 732
Causæ cur Florẽtini ciues à Clemẽte fuerint sublati. 488
Cecina amnis. 410
Cencius Perusinus, cognomento Strabo. 442. & 473. & 478
Cecotus Tosingus dictateris animum mitigat. 476
Celoces, hodie galeones vocantur. 767

Centuriones illustres què periere in Coronis oppugnatione. 385. & seq.
Certamen ad Tunetũ. 784
cum Barbaris. 799
Cetriscus armiger Ludouici Hungariæ regis. 35
Chirlius Macciauellus. 91
Christiani ducis insignia. 762
Christiani orbis status & habitus. 669
Christophorus Auria. 594
Christophori Palluicini audax factum. 609
Christophorus Vuirtembergicus militari indole. 627
Cicchus Buteius interficitur. 388
Circellum, olim Carcenna colonia. 672
Cispa Pisanus. 368
Clades à Turcis illata. 549
Classis ad Tunetum quot nauium. 771
Claudius Gibrius Cardinalis. 624
Clemẽs septimus Pontifex Romanus Anconam fraude occupat, & arcem adficat. 606
à Carolo Cæsare offensus. 602
bellum Cæsarianis infert. 36
iudicium Cæsaris grauiter tulit. 602. & 620
simulationis fuctum capit. 630
animum Cæsaris qua re pupugerit. 617
Massiliam adnauigat. 619
Francisco Galliæ regi cornu monocerotis dono dat. 623
quantum in Etrusco bello exposuerit. 512
statum Florentinũ instituit. 485
qua pœna inimicos mulctarit. 494
Clementis Pont. sitis cura. 478
intempestiua & inanis seueritas et tyrannis. 599
pollicitationes Aloysio Gritto factæ. 727
Clementis & Cæsaris fœdus & conditiones. 603
reditus ad Vrbem. 624
lætitia incredibilis. 484
mores, natura, ingenium, vita, & mors. 646. & sequentibus.
Cleuenses qui. 888
Clupeæ promontoriũ, Calibia hodie dictur. 825
Clupeæ promontoriũ, olim Mercurij & Pulchri. 775
Coathras mons. 732
Colloquij Clemẽtis & Francisci regis suspiciones. 620
Colubraria insula, ubi sita. 267. 268
Columbus Ligur nouum orbem nobis aperuit. 843
Columella. 322
Columnæ aneæ à Buda Byzãtiũ asportantur. 329
Comaria insula. 517
Cõiurationis in Grittum capita. 663. & seq.
Cõrades Heßius Germanorum dux felix aleator. 442
Corone urbs, ubi sita, & oppugnatio à nostris. 582. 583
Consilium Florentinum de mittendis

legatis. 381.382
Constantina Vrbs. 712
Copiæ à Ferruccio Volaterras adductæ. 414
Cornegites. 140
Corsorum in Ferruccium seditio. 421
Corporanus ferox. 519
Cortona ab Hispanis oppugnatur. 314
Cortonenses inuitis præsidiarijs sese Hispanis dedunt. 315
Cosmi Medicis sepulchrum à Florentinis Violatur. 91
Cosmi Saxeti falsæ dictum. 44
Cremona à Prospero recuperatur. 19
Cumerum, India promontorium. 732 & 851
Curtius medicus Clementis. 649
Cuscana regna. 847
Cuselbasa. 718
Cyrtha Numidiæ regia. 712
Cytherea insula 581

D

Dammartinus regulus, summa virtutis ac constantiæ vir. 889
Dantes Castellionensis cucullo monachili beratur. 499
Dardanelli. 500
Decebalus Dacus. 659
Deli qui sint. 744
Delimenthes Caramanus Solymanni sequitur. 744
Delimenthis temeritas felix. 745
Demetrius Maurusius Aetolus. 212
Demetrius Spartanus pestilentiam Romæ grassantem magico carmine pellit. 22.23
Dict

Dictator Florentinus amens. 475
Didacus Abyla signifer occumbit. 785 786
Didacus Touarres. 635 interficitur. 639
Docia à Serpetus est. 668
Docia Hungari Gritti assentatoris dictum. 659
Dorbinus Salsedo brachium discindit. 113
Dorax Numida. 698
Doracis amicitia. 712
Drauus amnis. 573
Druentia amnis in Rhodanū influit. 883
Druidarum disciplina ac superstitio. 844
Ducis munus. 230
Duces Empolim missi. 414
Ducum ad Senatum Florentinum responsio. 460.461
Duces Itali, Gallici nominis studiosi. 870
Duces ad Africanum bellum delecti, & copiæ. 763.764
Duces qui Sabaudiā pro Gallo ceperūt. 828. & seq.
Duces illustres Viennam confluunt. 353
Duria amnis. 829

E

Eburones. 888
Emanuel Claudius. 212
Empolis, antiquitus Emporium fuit. 369
Empolis oppugnatur. 421
capitur. 425
Ennius Philonardus, Pontificis legatus. 65

Epirotæ equites. 213
Episcoporum Hungarorum mos, ac Cetus institutū. 658
Erycinius saltus. 502
Eryx oppidum. 194
Etesiæ Venti. 610
Exercitus belli sacri dispositio. 557

F

Faba Græca Genuæ. 20
Fabritius Maramaldus in proditionis suspicionem vocatus, atque ab ea memorabilis exemplo liberatus. 151
Fabritius Maramaldus ad Volaterras cum magnis copijs venit. 419
Fanum Fortunæ. 368
Federicus Carectus regulus glande ad Tunetum perijt. 777
Federicus Riccius à Iacobo Alamanno vulneratur. 42
Federici Palatini laus. 553
Federici Bozzoli ad Florentinos oratio. 47
Feltrius Medicesc infensus. 630
copias suas Romā ducit. 54
Feltrij peritia militaris. 220
Ferdinādus Austriæ rex Bohemiæ creatus. 333
Cæsar appellatus. 502
Hungariam petit. 333.334
Hungariæ rex proclamatur. 338
Officia Hungariæ distribuit. 338
Ferdinandus Toletanus Albæ regulus. 768
Ferdinandus Budæ potitur. 335
Ferdinandus Gonzaga exercitus imperator. 471
Ferdinandus Cortesius Mexicana regna subegit. 844
Ferdinandi regis edictum. 568
ad Solymanum legatio. 509.510
copiæ cotra Lantgravium. 643
Ferdinandi Gonzigæ in pugna virtus. 810
Ferdinandi Rubritij supplicium. 7
Ferentius Bodo dux singularis virtutis & fidei. 336
capitur. 337
incarceratur, & in carcere pedore consumptus moritur. 338
Ferreocastrum. 550
Ferruccius Volaterras occupat. 416
tympanistam suspendit. 420.421
ad Senatum scribit. 412
Florentiam revocatur. 443
qua via Florentiam tendat. 447
quos duces Pisis in præsidio reliquerit. 446.447
pecuniam Pisanis imperat. 444.445
iumentæ sarcinariæ educit. 446
Ferruccij sæveritas. 417
responsio ad Maramaldum. 456
mors et descriptio. 456.457.
copiæ. 445
Verba fatalia. 446
Ferruccianum supremum prælium atrox. 454.455

Ferrucciana cladis nuntio Florentini consternãtur. 468. 469
Ferrucciani pugnatores. 458
Ferruccianorum certamen ad Volaterras. 428. 429
Fessani regni Sires. 693
Ficinus Marsilij clarissimi philosophi nepos plectitur capite. 383
Flammurani. 246
Florãtius Sedanius. mareschalchus. 889
Florentia obsidetur. 318. 320
Florentiæ corruptissimus status. 248
Florẽtinæ tumultus magno à Iacobo Gerardo excitatur. 234
Florentinæ iuuentutis ferocia. 42
Florentia atrox pugna committitur. 45
Florentiæ inopia rerũ laboratur. 440
Florentinus tumultus 475
Florentini cuiusdam falsè dictũ contra Caponium. 87
Florentini Cæsarine an Gallo sese fœdere iungant, deliberant. 95
Florentini rebellant. 41
relicto Pontifice et Cæsare, Galli ac Venetorum partes sequuntur. 95. 96
cum Gallo & Venetis fœdus ineũt. 54
iterum à Medicea familia deficiunt. 59
nouos creant magistratus. 62
quos magistratus habeant. 498
ob miserabilẽ Pontificis casum lætantur. 41
ob liberatum Clementem Pontificẽ solliciti. 82
pacis & trãquillitatis osores. 495
à Raphaële cõtra Cæsarẽ & Pontificẽ irritantur. 262
Malatestum imperio abdicãt. 474
histrionibus comparati. 55.
legatos ad Cæsarẽ mittunt. 255. 256
Pontifici Clementi reconciliãtur. 233
quibus conditionibus Medicea familia fuerint reconciliati. 52. 53. quantas Pontificis copias militum promittant. 54. ciues qui liberãtur. 490. qui dã ciues capite mulctãtur. 23. et 486
Florentinorum natura. 55. de Vexillo promulgata lex. 90
optimatum habitus. 499
legatorũ & Cæsaris colloquiũ. 258
obstinata mẽs. 472
animi peruicaces. 399. pertinax Voluntas. 364
insania. 459
in Cosmũ puerum mandata. 375
Vrbes & oppida munita. 369. iuuenũ conciones. 365
iuuenum singulare certamen. 397
eruptio. 401
ductum qui ceciderunt Vno prælio. 404. 405
profanatio iuxta Iouium. 406. 407
legati ad Clemẽtẽ Põtificẽ. 395. 396
ridentur à Clemẽte. 396

legati ad Ferdinandum Gonzagam qui. 478
obsides. 480
simulati Cultus. 55
conatus in Alexandrum Medicem 831
Florentinus maximus incutitur metus. 318
Florentinis à Malatesta salubre consilium communicatur. 308
Florentina libertas in senatu quarebatur. 302
Florētina obsidio. 385
Florentina militia. 366
Florentinæ Reipublicæ habitus. 469
Florentinæ turbæ erga Mediceam domum odium. 83
Florentinæ iuuentutis tumultus. 86
Foianus cucullatus. 487
fœda morte interijt. 487
Fossanum à Cæsare capitur. 860
Frahatæ. 119
Franciscus Galliæ rex cōpetitor Caroli repulsam patitur. 9
Cæsaris sorori connubio iungitur. 28
Bellicæ arcis montem hodie Pellicardum à Virtembergensibus emit. 628
cur Carolo Cæsari infensus. 9
in prælio ad Ticinū commisso capitur. 27
in Hispaniam perducitur. 28
in grauem morbū incidit. 28
obsidibus datis à Cæsare dimittitur. 28
ad Cantabria recuperationem animū adij

adijcit. 13
cur à Sabaudio alienatus. 827
cur in Sabaudum arma verterit. 826
Franciscus Delphinus Galliæ moritur. 874
Franciscus Sfortia calumnijs inimicorū impetitur. 29
deditionē facit. 30
Franciscus Borbonius Venetis sese coniungit. 221
Franciscus Sfortia ab Insubribus defenditur. 24
moritur. 825
Franciscus Soderinus Cardinalis in custodiam traditur. 23
Franciscus è Medelino Hispanus, seruorum liberator ad Tunetum. 813
Franciscus Salassorū regulus. 600
à Gallis ad Cæsarem deficit. 860
Franciscus Borbonius Genuēsibus bellum infert. 221
Vt in potestatem Antonij Leuæ redactus fuerit. 220. 221
Francisci Galliæ regis animus. 755
liberalitas eximia. 623. & tom. 3. pagin. 485. præsertim in literatos. 623.
tres filij, & eorum ingenia. 622
Francisci Galliæ & Henrici Angliæ regum colloquium. 13
eorundem laus. 13
Francisci cum Cæsare initum fœdus suspectum. 28
consilium in bello contra Cæsarem suscepto. 76
expostulatio apud Clementem. 600
dona Clementi data, &

tu, & Hyppolito Medici. 623
Francisci Sfortiæ & Christiernæ nuptiæ regiæ. 628.629
Francisco Sfortiæ obsidione Mediolani incto, Veneti opem ferunt. 29
Franciscum Gallorum regem Cæsar Carolus consolatur. 28
Fundi Vrbs à Barbarussa capitur & diripitur. 688

G

GAbellus amnis. 521
Gabinianum oppidũ. 450
Gabriel Merinus Baeticus Cardinalis creatur. 605
Gabriel Venerius Venetorum legatus ad Cæsarem. 290
Galletus Barga Liburni arcem tradit. 63
Gallia reges bellum contra Italiam moliuntur. 64
Romano Pontifici obstricti. 64
Gallia rex Franciscus Papam adorat. 620
obsides liberos à Cæsare redimit. 216
Gallus Flandros invadit. 892
Hedinũ capit. 893
Galli & Hispani captiuos ad Neapolim permutãt. 145. 146
Galli Hispanos equites fundunt. 145
Gonzagæ copias ante Neapolim fundunt. 136.137
ante Neapolim à Gonzaga prælio superati. 135
à Prospero & Francisco Sfortia prælio superati. 19
ad Ticinum prælio superantur. 27
è castris Auersam sese recipientes à Cæsariania miserè trucidantur. 160
è castris Neapolitanis erumpunt, & fuga salutem quærunt. 159
Sabaudiam armis sibi vendicant. 828
Galli Cardinales à Clemẽte electi quatuor. 623.624
Galli ab Hispanis ad Algrunium prælio superati. 13
Galli promontorium, antiquis Acritis fuit. 581
Gallorũ castra à Neapolitanis præsidiarijs solicitatur. 153. 154
Gallorum castra ante Neapolim inuaduntur et diripiuntur. 163
Gallorũ primores castra ante Neapolim deserunt. 158
Gallorum defuncto Lotrechio consultatio. 156
Gallorum cum pontificio equitatu congressus. 20
Gallorum sub Valerio victoria. 105
Gallorum castra summo artificio constructa. 163
Gallorum castra in Prouincia. 883
Gallis Neapolim obsidentibus pecuniæ aduehitur. 144
Gallica classis Neapolitano excedens litore, ab Auria inuaditur. 176
Gallica castra tabificis febribus infestantur. 151.152
Gallicæ & Venetæ Copiæ ab Hispanis fusæ. 18
Garlascum oppidum expugnatur. 25

Gazelles Caierbeium Aegypti præsidem ad defectionem à Turcis solicitat. 10
Mamaluchorũ manus cogit. 10
Syriæ præpositus rebellat Solymano. 10
à Frahate Solymani duce vincitur & interficitur. 11
legatos Rhodũ mittit. 11
Genua Liguriæ caput. 223
à Cæsarianis obsidetur & expugnatur. 20
diripitur. 21
Genuæ fame simul et pestilentia laboratur. 177
Genuenses præsidium à Cæsare missum respuunt. 221
Genuensium & Senensium legatorum de loco pugna. 298
Georgius Sanctacrucius interficitur. 339
Germaniæ regularum mos pius. 642
Germani aquæ potum abominantur. 118
Germani milites in euacuandis doliis Græci vini strenuè sese præstant. 118
à Gallis apud Neapolim in fugam coniecti, ac trucidati. 137
nisi numerata à Pontifice pecunia Roma decedere nolunt. 78
ex Italia domum redeunt. 207
pestilentiam contemnunt. 207
Germanorum equitum robur. 283
Germanorum Hispanorumque copiæ in Etruriam descendunt. 288
Germanici Hispanicique præsidij alacritas & constantia. 149
Germanici motus. 505. & seq.
Giahẽna Bæticus Gallorum castra magna audacia inuadit. 143
Giahẽna à Lotrechianis capitur, & carceri mancipatur. 143
Giauarmus amnis. 324
Gibertus Veronensis episcopus, vir insignis. 547
Gofferij copiæ à Cæsarianis & Venetis profligatæ. 24. 25
Gonzaga Gallorum manus vix euadit. 137
Gordi populi latrocinijs infames. 719
Gritus Beoglis à Turcis vocatus. 655
dux egregius, quæstor Hungariæ. Ibi.
ad Hieronymũ Laschum & Laschi responsum. 662
à Moldauo deceptus capitur. 666
decapitatur. 668
obsessus & oppugnatus. 665
Gritti cum Solymano gratia & Habraymo. 654
horti et domus. 655
copiæ. 653
spes. 656
adulatores. Ibid.
animus elatus, mores, & studia. 654
consilium. 518
deliberatio perniciosa. 660
iudicium in gemmis. 655
superbè dictũ. 659
Guintium oppidum. 524
Guletta in Africa. 705
Guletta situs. 775
oppugnatio acerrima. 788

& expugnatio. 790
Guismani Hispani citharœdi interitus. 123
Gulielmus Gefferius Ammiras in Italiam descendit, ac Mediolanum obsidere constituit. 24

H

Habraymus Bassa Visir. 741
Bassarum princeps Guintium tentat. 525
Christianus non infensus. 642
increpatus jugulatur. 751
Habraymi Bassa Virtutes, & authoritas. 530
mens. 726
consilium, & oratio ad Solymanum. 722
suspicio. 749. 750
modestia, & à Solymano postulatũ. 751
inuidia seminat. 748
conditiones, mores, patria, & honores. 720. & seq.
existimatio cur præ grauatur. 749
exitus. 752
Hadrianus Florentius Belga Cardinalis. 15
Leoni decimo surrogatur. 19
Romã adpellit. 21
Rhodijs opem latarus impeditur. 22
fato concedit. 24
Hariadenus per Sardum & Hispanum homines Africa tẽta petitur. 715
Sinam Iudæum turbido infestóque supercilio excipit. 792
quibus formidolosus. 755
classem amittit. 790
fugit. 815
nouam classem parat. 821
Hariadenus & Sinas Iudæus ad Solymanum veniunt. 746
Hariadeni consilium. 791
& facinus. 811
ad Tunetanos oratio. 713
ad suos exhortatio. 821
fuga. 820. 821
Heluetij Iulio Medici præsidium mittũt. 23
opem Pontifici contra Gallum ferunt. 17
Gallis contra Hispanos fortiter auxilium ferũt. 882. 883
Voluntarij ad Gallum proficiscuntur. 881
Heluetiorũ animi contra Cæsarem exitimulantur. 65
Heluetiorum prudens responsum ad Cæsarem. 840
Henricus Britanniæ rex ab Romano Pontifice discedit. 897
Henrici Britanniæ regis repudium. 597. 598
Hercules Atestinus Florẽtinorum dux. 377
Herculis Ferrariensis principis nuptiæ. 94
Hieronymus Tranensis tormentarius. 125.
Hieronymus Plegaphætæ Vicentinus noui orbis nauigator. 851. 852
Hieronymus Canales Morum Alexandrinum capit. 616
Hieronymus Grandenicus Venetorum legatus ad Cæsarem. 390

Hieronymus Tutauilla Sarnensis comes, Itzlorũ præfectus. 584
Hieronymus Leua seditionis Hispanicæ author iugulatur. 538.539
Hieronymus Mendocius Hispanorum præfectus. 584
Hieronymus Laschus Cir clarissimus Ioannem regem Hungariæ recipit & iuuat. 339
Byzantium legatus proficiscitur. 340
spe frustratur. 661
capitur, & liberatur. 668
Hieronymi Laschi consilium ad Ioannem Sepusianum. 339
petitio ad Solymanum. 342
Hieronymo Spinulæ caput amputatur. 777
Hippona, hodie Bona dicitur. 815
Hircani, hodie Coraxeni. 717
Hispani Liguribus inuisi. 223
ex Italia abducti. 603
Gallorum hyppagỹs equos eripiunt. 138
à Gallis & Heluetỹs fusi. 141
duces. 403
Hispani Coronem relinquunt. 641
Hispanorum à Liguribus acceptæ clades. 222
Hispanicarum copiarum præfectus ad Tunetum. 768
Hispellum oppidum oppugnatur. 311
Horatius Baleonus. 139
Hostasius Rhauennas. 68
amplissimum à Ticinensibus munus accipit. 71
Hungariæ regum corona vbi seruetur. 332
Hungari fluxa fide. 518
Hungarorum clades à Turcis acceptæ. 34
triginta millia à Turcis trucidata. 327
temeritas à Solymano irrisa. 35
Hungarici regni competitores. 334
Hyppolitus Medices Cardinalis. 44
legatus ad Cæsarem. 513
capitur. 570
Alexandro Medici machinatur. 832
moritur non veneno. 834
Hyppoliti Medicis ingenium. 569.570
mores. 832
liberalitas & forma. 513.514
æmulatio. 759
pœnitentia. 833
Hysmaëlis Sophi immatura mors, & filij. 717

I

Iacobus Alamannus capitali supplicio afficitur. 89
Iacobus Morellius Florentinorum legatus. 478
Iacobus Bichius Senensis interficitur. 389. & seq.
Iacobus Gerardus perturbationis Florentinæ author. 234. & seq.
Ianus Marius Græcus. 581
Insulæ noui orbis. 849. 850
Insulæ desertæ. 850
Insubres ab externo milite grauantur, & fame pereunt. 223
Ioachini Serrallij ad

Caponium litera. 237
Ioannes Bellaius Cardinalis, episcopus Parisiensis orationem Latinam & luculentam habet ad Papam & regem. 620
Ioannes Corsius dictator Florentinus. 486
Ioannes Sepusius. 33
Vir illustris ad Hungaria regnum aspirat. 330
rex Hungariæ à Solymano creatus. 328
Buda rex salutatur. 332
coronatur. 332
ad Solymanum venit. 347
Buda fugit. 335
Ioannes Taurinus. 370
Ioannis Hungariæ reris ducum cõsilium. 336
Ioannis Sepusij ad Hungaros oratio. 330
coronatores. 332
procerum in coronatione comitatus. 332.333
Isela Vrbs. 175
Italia atroci pestilentia infestatur. 207
Italia lætitia ex Hispanis abactis. 603
Italorum militum consternatio. 567.568
Italorum in Turcas alacritas. 521
Iulius Medices in Hadriani locum suffectus. 24
Florentia pellitur. 23
Pontificius legatus. 17
honorarij inter Cæsarem & Gallum arbitrij species præfert. 24

L

Acinium promontorium, hodie Colu-

Columneum. 577
Lacus Tritonius. 704
Ladislaus Salcanius Strigoniensis antistes. 327
Landus Veneta classis præfectus. 188
Lantgrauij rumor. 628
Laschus solerti ingenio. 339
munera Byzantiũ defert. 341
Lastra oppidum oppugnatur & capitur. 373.374
Laurentius Bracadenus philosophus eloquens. 290
Laurentius Granius Signinus antistes in Clementem orationem funebrem habuit. 649
Laurentius Soderinus strangulatur. 383
Lentigesia Muleassis mater, virilis animi mulier. 698
Leo Pontifex Gallos Mediolano extrudere, idque Sfortiæ restituere conatur. 16
moritur. 19
Leres, antiquitus Lerones insula. 866
Lescutus & Lotrechius fratres bellum Pontifici intulerunt. 17
Liburnus portus quẽ Cicero Labronem vocat. 192
Liburni arx à Galleto Bargæ traditur. 63
Londarium, olim Megalopolis. 640.
Lodronij castra ad Florentiam. 436
Lodronij constantia. 438
Lotrechius Vrbium expugnator. 156
omnium ducum consilium indicit. 147

copiæ

copias suas in Picenum ducit. 98
nouas ad oppugnãdam Neapolim copias conscribit. 148.149
pecuniarũ penuria laborat. 146
moritur. 155
tumulatur. 156
Lotrechij descriptio. 155.156.
pertinacia. 147. 148
in excubijs cõseruãdis seueritas. 140
mors Romanis luctuosa. 172
cadauer è sabulo erutum, & Neapolim delatum. 171
Lotrechio parentalia à Romanis decernuntur. 172
Lotrechianorum militum contagiosa lues. 142.143
Lucani & Apuli sese Gallis dedũt. 112
Lucenses Carolũ Cæsarem splendidissimè recipiũt. 860
honorificè Mediceos excipiunt. 62
Ludouicus Hungariæ rex iuuenis imbecillo ingenio. 15
auxilium contra Turcas petit. 31
Ludouicus, Lusitaniæ regis frater. 768
Ludouicus Balbianus. 66
Ludouicus Lodronius. 66
Ludouici acies contra Turcas & instructa. 33.34
Ludouici regis castra à Turcis obsessa. 33
miserabilis interitus. 35
cadauer inuẽtum & sepultum. 332
tumulatur. 332
Ludouico sepulturæ honos ab Hungaris præstatur. 332

Lucidij oppidũ. Tempsa olim, capitur et diripitur. 686
Lupercales apud Christianos. 831
Luphtibeius increpatur. 614
Lusitanorum clades à mari. 501

M

Macicaues castrorum magister. 539
interficitur. 639
Macicai responsum ad milites. 634
ingenium. 635
eruptio. 636
Magalanes Lusitanus inclytus, et eius nauigatio. 847. 848
Magonis portus. 769
capitur & eripitur ab Hariadeno. 835
Magnetis ysus vbi inuentus. 130
Mahometes cognomẽto Canis, Babyloniæ præfectus. 733
Maimo Muleassis frater interficitur. 695
Malathia vrbs, olim Amaltha. 730
Malatesta dubiæ fidei reputatur. 469
Nicolinum legatũ vulnerat. 474
Malatestæ laus. 406
prudentia. 400
libertas dicendi. 470
obtrectatio. 440
Maldonati Hispani supplicium. 7.
Manfredonia obsidetur. 210.
Manifetes à Muleasse interficitur. 697
Marcus Foscarus. 53. & tom. 3. pag. 259. 260.
Marci Antonij Columnæ mors. 19
Marcus Nerius Florent

ventinorum legatus Neapoli interficitur. 170
Marcomanni. 502. & 554
Marcus Dandalus Venetorum legatus ad Cæsarem. 290
Maramaldus violentus odio habetur. 561
Maramaldi ad Ferrucciū insultatio. 456
excusatio de Ferrucciana cæde. 457
Mare mortuum. 188
Marguthes Piccininus. 402
Maria Paecca exercitum coniugis ducit. 13
Marius Vrsinus interficitur. 379
Marius Bandinus Senensis Carolū Cæsarem hospitio excipit. 858
Mareschalchi munus ac dignitas apud Gallos. 889
Maternianus Insuber episcopus capitur, ac immaniter torquetur. 154. 155
Martis Lucus, oppidum. 568
Martinus Lutherus Saxo. 16
Martini spectrū. 532
Martyres Christiani. 327
Massilia à Piscario obsidione cincta. 26
Maseria oppidum oppugnatur. 9
Matthias Hungariæ rex inclytus. 35
Matthiæ Apostoli dies Carolo Cæsari faustus. 292
Maximiliani Cæsaris mors. 9
Medicea domus à Lucensibus seruata. 62.
quandiu Florentinis imperarit. Ibid.

Medicei à Florentinis hostes Reipublicæ declarati. 43. 44
Mediceorum statuæ à Florentinis deiectæ 91
clementia erga Florentinos. 46. 47
Medina Campi vrbs igne fortuito crematæ. 12
Mediolanum à Gulielmo Gofferio obsidetur. 24
ab Hispanis recuperatum. 18
à Francisco rege Gallorum recuperatur. 26. 27
Mēdanij Hispani insigne facinus. 215.
Mexicanorum regum annales apud Iouium. 845
Michael Tarraconēsis submergitur. 766
Michaël Montopolis interficitur. 483
Michaēlis portº. 847
Milites ad Tunetum exponuntur. 776
Militum querelæ de Auria, & consternatio. 591. 592
ad Coronem expostulatio. 633
Mitylenei fratres ab vna tantū bireme ad regni fastigium deuenere. 671
Molina seditiosus submergitur. 766
Molucha insulæ. 845
Mores archipiratæ Alexādrinus. 609
Mulearabes Damascenus magicæ artis doctus. 727. 728
Mulæsses in modum præliantis se exercet. 796
ad Cæsarem in castra venit ad Tunetum. 793
quæ damna acceperit in direptione arcis Tunetī. 819
edocet euentum pugnæ.

regna. 797.798
ex Cæsaris authoritate rex cõstituitur. 824
Muleassis pater ducẽtas fœminas aluit. 698.
Muleassis doctrina. 796.
crudelitas in fratres. 696
sæuitia in nouercas. 697
effigies & oratio. 794.
Mura amnis. 534. & 541
Mustaphas Solymani filius cur Cappadociæ præfectus. 749

N

NAnsous semigermanus regulus. 888
Narcissius Neapolitanus medicus valde peritus. 290
Nasadiæ naues. 517
Nasus à medio surgens quid denotet. 281
Nauarrus captꝰ, Neapolimq3 perductus. 161
in carcere moritur. 169
Neapoleon Vrsinus à Vitellio funditur. 369
Neapolis obsidetur. 115
Neapoli mira arte ab Hispanis & Italis farina penuria occurritur. 117
Neapoli pestilentia ab Auersanis contagione accepta grassatur. 170
Neapolitani variis artibus panem conficiunt. 133
à Cæsarianis deficiunt. 116.117
rebellant à Cæsare. 134
Neapolitanis commeatus intercipitur. 132
Nicolaus Caponius. 50
Vexillifer. 62
Nicolizza vir fortis. 524
Nicolizzæ astus ac virtues. 534
Nicolizzæ fides pertentatur. 525
Norius sese magistratu abdicat. 62
Norici prouinciæ descriptio. 343
Nyphates mõtes. 732

O

OBsidio Coronensis rectè à Turcis instituta. 632
Oceanus in Belgicum effusus. 499.500
quas vrbes & oppida submerserit. 501
Octauianus Signorellus. 370
glande traijcitur. 404.
Octauianus Fregosius. 20
Octauianus Medices. 50. & 485
Octouiri Florentiæ. 486
Octouirorum officium. 54.
Odoardus Giachinottus. 424
capite plectitur. 484
Odoardus Angliæ rex. 899
Oenus amnis. 523
Olmeti ad Tunetum combustio. 703
Oppidum Hala. 523
Orlandini flagitium. 425
Orma fluuius. 422.
Otho Montacutus cur in carcerem conijciatur. 375. 376
Othomannorum lex. 326
regna. 509
mos. Ibidem

P

Paccionus Pistoriensis. 63
Pactiana coniuratio. 53
Padillia supplicium. 12
Panis biscoctus, panis nauticus. 273
Pannonia à Turcis crudeliter depopulatur. 329
Pannoniorum centum & quinquaginta millia aut gladio cæduntur, aut à Turcis in captiuitatem adducuntur. 329
Parma à Pontificijs oppugnatur, dimidiaq; pars capitur. 17
à Gallis eppugnatur. 20
Paulus Manfronus equitum præfectus. 220
Paulus Ceres. 883
dux impiger. 445
Paulus Buchitius Triballus, Mahometanis sacris initiatus, ad Christianos redit. 334
Paulus Iouius à Philippo Victore humaniter exceptus. 129
Paulus tertius concilium in Ispeciem appetit. 755
Cæsari gladium dono mittit. 762
Pauli tertij professio. 754
legatio ad Gallos reges. 755. & 885
Pauli Tomorai archiepiscopi Collocensis temeritas. 31. 35
Paulo Iouio Vastij arma donantur. 128
Pax inter Florentinos & Clementem pontificem, & conditiones. 478. 479
Pecorea Gallis propè Neapolim. 536
Perona

Perona & eius situs. 887. 888
oppugnatur. 890. 891
Peronensis turris ignibus subruitur. 891
Peronensium responsum ad Nansoum. 890
Persæ Solymanij abeuntem lacessunt. 741
Peruana regna auro & gemmis scatent. 847
Perusini capitanei in obsidione Florentina. 402
Pesa amnis. 414
Pestanus vir fortis, egregiè pugnãs interficitur. 520
Petrus Cardonius Siculus cadit. 123
Petrus Honofrius Motedolius, Mediceorum cohortiũ præfectus. 45.
Petrus Perenus nebilissimus Hungariæ. 332
Petrus Martyr Anglerius noui orbis scriptor. 846
Petri Landi Victoria. 131
Petrucciana coniuratio. 8
Philippus Liladamus Rhodiæ militiæ magister. 22
Philippus Sciabottus Amiras. 828
cur expoliatus, & in exilium actus. 830. 831
Philippus Nerlius patritius commentarios diurnales rerum Florentinarũ scripsit. 493
Philippus Lantgrauius Chattorũ princeps, Ferdinando regi bellum infert. 642
Cæsari vehemẽter infensus. 625

Philippus ex atrocissimo nauali prælio Victoriam reportat. 126
Philippus captiuos reddere detrectat. 129
Philippi Lantgrauij appellatio à Cæsaris sententia ad Martem. 626
Philippi Strozzæ salsè dictum. 621
Philippi Victoria Pontifici Clementi nunciatur. 130
Philippi ad milites oratio. 121
Philippi Melioris. Florentini ad senatū oratio. 392
Piscarius moritur. 29
Pisæ obsidentur. 483
Pisana arx Florentinis traditur. 63
Pisanus Venetorū legatus. 72
Pisleon à Prospero oppugnatur. 19
Pomperani admirandi mors. 168
Pompeius Columna aqua & igni à pontifice interdicitur. 36
Pontifex à Florentinis grauiter exacerbatur. 248
offensus. 97
cum Cæsare Carolo in gratiam redit. 54
Clemens & Carolus Cæsar eodē publicè titulo ornantur. 286
amicitiam Cæsaris ambit. 233
è custodia dimittendus. 77
euasit. 81
honorificè excipitur. 82
Pontifex Clemens colloquium cum Paulo Iouio habuit. 97
quos Germanis dedit obsides. 78
conditiones quas Florentinis proposuit. 241
Pontificis Clementis lethali morbo laborantis Votæ. 88
Pontificij Gallos nauali tumultuaria pugna vincunt. 18
Posticcij in nauibus qui. 124
Populatio horribilis in Hungaria. 329
Portundi Hispanicæ classis præfecti temeritas. 268
Prataus equitū præfectus capitur. 145
Praxium promontorium. 851
Prælium equestre ad Pratensem portam Florentiæ 389
ad Crucianam portam Florentiæ. 388
ad Tunetum. 702
inter Turcas et Palatinum. 545
inter Turcas & Hispanos 543
inter Gallos & Cæsarianos ad Brugnolam. 872
cum Hispanis ad Florentiam. 402
Ferruccianum ad Volaterras. 415
nauale ad Coronē Auriæ & Mort. 612
nauale in Danubio. 519
Prosper Columna. 17
Prosperi Columnæ mors, eiusq; in imperio successores. 24.
Prouinciæ abundantia. 870. 871
Pugna ad Tunetum. 808
ad Genuam. 879
atrox ad Gabinianum oppidum. 454

Pugnæ genus ad Tunetum. 799.800

Q

Quintini oppidū clarum. 888

R

Rada Vrbs calidarum aquarū salubritate celebris. 775
Rhacos apud Hungaros. 332
Rhacos Hungarorum concilium. 31
Rambatta. 123
Ramadas Hispanus impius. 813 capite ab Hariadeno truncatur. 835
Raphaël Hieronymus dictator Florentinus. 379
Rebattini Christiani. 701
Rētius Ceres dux. 37
cū Scipione Columna prælio contendit. 157
Sardorum equites fundit. 190
Rium oppidum à Barbarussa captū. 677
Robertus Marchius Eburonum regulus. 9
Rodericus Ripalta moritur. 786
Rossensis Cardinalis interficitur. 897
Rhodus à Solymano cur oppugnari cœpta. 21.22
Rhodij deditionem faciunt. 22
Roma à Germanis Hispanisq; expugnata. 39
Roma quo anno à Cæsarianis expugnata. 177
Roma à Germanis pene oppressa. 30
Roma pestilentia infestatur. 22
Romani hodierni Virdictæ memores. 458
Romanis à Barbarussa terror incussus. 689
Roscettes Muleassis frater regno pulsus. 680 ad Barbarussam confugit. 704
Rossolana Solymani Vxor cur Habraimum oderat. 748
Rossolanæ peruersæ artes. 749
Rotundā Romæ olim Pantheō Cæsar admiratur. 854
Russius captus absoluitur. 571

S

Sabaria Vrbs. 524
Sacerdos magus Numidæ. 801 interficitur. 802
Sacrorum Violatio Volaterræ. 418
Sala amnis in Africa 693
Salassius Neapoli moritur. 169
Salectes piratæ insignis. 779
Salernum à Pontificijs capitur. 36
Salisburga olim Iuuauia. 551
Salomon Siculus. 20
Salsedo moritur. 113. 140
Saluiatus Cardinalis. 64
Saluiatus Rhodiarū triremium præfectus. 581
Samorabrina amnis, hodie Soma. 887
Sancti Lei castellum à Feltrio repetitū. 53
Sampetrius Corsus capitur. 873
Sancti Pauli regulus capitur. 218
Sanzaci. 346

Sarnensis regulus ad Tunetum præcipuũ locum deligit. 778
trucidatur. 780
Sarnensium cædes et direptio. 780
Sauona Vrbs. 182
Sauona Genuensibus paruit. 193
expugnatur. 200
Sauona capitur. 184
Sauus fluuius. 347
Scanderbassa Vsque Venetias infestis armis penetrauit. 720
Scimitarra quid. 86
Scriuia amnis. 870
Scultenna amnis. 521
Sebastianus Montecuculus discerpitur. 875
Seditio militaris ad Athesim amnem 521
Seditio militaris ad Viennam. 536. & 562
Seditio Florẽtiæ orta. 481
Seditiosi à Vastio mergũtur. 766
Selymi Turcarum imperatoris victoria, & mors. 10
Semera Virgo nuptui regi Britanniæ traditur, Odoardum parit, et perit. 899
Senenses mulieres inter Italicas elegantissimæ. 859
Senenses Carolum Cæsarem triumphaliter recipiunt. 858
Septẽpedani, Camertes & Sansseuerinates hodie dicuntur. 607
Serrani Hispani nauigatio. 850
Seruorum ad Tunetũ facinus. 812. 813
liberatio. 813. 814
Sicambri, hodie Cleuenses. 888
Sigismundus Sarmatiæ rex Laschum iuuat. 340
Sinæ Iudæi ad Hariadenũ responsio. 792
Sinas Iudæus Piratæ. 617
Sinæ Iudæi probũ consilium. 811
Sinarum regna. 845
Smaragdus Parmensis tribunus. 371
Sophia Triballorum Vrbs. 346
Solymanus patri Selymo succedit. 10
quibus oblectetur rebus. 340
in hortos Aloysij Gritti ingressus. 349
ad suos oratio. 360
in Hungariam proficiscitur. 347
Pannoniæ bellum infert. 30
cur Pannoniæ bellum intulerit. Viennamque obsidione cinxerit. 326. & sequent.
Pannoniæ regnũ Sepusio dono dat. 328
Pannoniã inuadit. 255
Budæ potitur, & eius arcem oppugnat. 349
Belgradum expugnat. 15
Altaburgum oppidũ expugnat. 351. 352
tres miri artificij æneas statuas Budæ tollit. 329
Viennã peruenit. 353
Viennã cingit. 354
ad Viennenses verba facit. 361
occisorum capitibus illudit. 326
episcopi Strigoniensis auaritiam detestatur. 327
sortem Ludouici regis miseratur. 328
ab Hungaria Byzantium reuertitur. 329

Taurisiũ deuastat. 740
Babylone potitur. 735. Babyloniæ spe ſtacula edit, et Carolus Cæſar Neapoli. 738
Meſopotamiæ vrbibus potitur. 738
Barbaruſſam accinuit. 675
cur Africam inuadit. 671
Habraymo ſubiratus. 746
Solymani animus. 719
digniſſima vox. 363
liberalitas. 328
mos cum Chriſtianis. 341
conſilium. 508. & 536
egregium facinus. 351
exercitus deſcriptio. 530
exercitus. 538
caſtra ad Viennã. 354
præda ingens. 329
clades ab Delimenthe illata. 745
expeditio in Perſas. 729
petitio à Ioanne Sepuſio. 363
litera ad Ferdinandum. 528
in Hungaria expeditio. 346
ſententia de ſeptem proceribus Hungaria. 326. 327
mater & vxor Habraymo infenſa. 728
Stelunca oppidum capitur. 587
Sphragia inſula, hodie Sapientia. 581
Statua ænea tres Byzantium ab Hungaria aſportantur. 329
Stachades inſula. 606
Stephanꝰ Bator Prorex Hungariæ. 338
Hungarorum clariſſimus. 331
Stephanus Verbetius. 32
Stephanus Columna Malateſtæ æmulus. 434
lancea cuſpide vulneratur. 438
dux Florentinæ militiæ. 366
Stephani Columnæ audax facinus. 359. 370
Strigoniĩ arx. 515
Subaſes. 346
Sultania Perſarum regia olim. 731
Sycionẽ vetus, hodie Baſilica. 597
Sylueſtus Cardinalis. 63

T

Tabachis Hiſpanos inuadit. 781
Tagus flumen. 502
Taliſmanes ſacerdos Turcarũ iuſiurandum interpretatur. 752
Tammas Hiſmaëlis filius. 669
Perſarum rex. 717
fugit. 739
Solymanum perſequitur. 743
Tammaſi conſilium. 730. 731
Tanarus amnis. 880
Taprobana olim quæ hodie Cherſoneſus aurea. 851
Tedaldus Volaterras ex arce oppugnat. 411
Tempeſtas in Perſide. 732
Taruanna à Flãdris oppugnata. 894
Terracina à Barbaruſſa capitur & diripitur. 689
Theidas Aghillarius Hiſpanus. 108

Themestitana Vrbs Venetiarum similis. 844
Theodorus Triuultius Venetorum imperator capitur. 18
Thomas Volseius Cardinalis interficitur. 897
Thomas Eboracensis Cardinalis repudij Hērici fautor. 598
Thoma Eboracēsi Cardinali, nemo pestilentior Britanniæ fuit. 896
Thomas Nadastus Vir fortis & nobilis. 349
Thomas Morus regij scrinij magister interficitur. 897
Ticanussa insula, Tenetica hodie appellatur. 615
Ticinum frustrà à Lotrechio oppugnatū. 18. 19. Lotrechio deditur. 67
obsidetur. 219
cum multæ cadecapitur. 220
occupatur. 265
Ticini miserabilis deuastatio. 68
Ticinēses Hostasio Rauennati supplices fiunt. 68
Tiltauentum flumen. 575
Tinctus Battifolius tormenti ictu interficitur. 423
Tissa amnis, olim Tybiscus. 664
Titi Marconij Volaterrani ad milites oratio seditiosa. 563
Tolona portus, olim Taurenta. 871
Transyluanorum in Grittum conspiratio. 663
Troia Apuliæ Vrbs. 103
Tunetum piratarum emporium. 700
Tunetū diripitur. 817
Tunetanus tumultus. 708
Tunetani portus descriptio. 716
Tunetani regni fines. 693
Tunetani Muleassi infensi. 705
decepti ab Hariadeno. 706. 707
à Barbarussa occisi. 711. 712
Turca in Pannonia monitus ne decertaret. 602
Turca in Noricos effunduntur. 267
Hispanos nauali prælio superāt. 267 & seq.
Turcarum strages ad Viennam. 361
erga cadauera crudelitas. 127
certamen ad Viennam. 359. 360
excursiones. 352
manus à nostris profligata. 547. 548
Tybiscus amnis. 329. & 335

V

Vacorium, hodie Villacum. 573
Vadum castellum expugnatur. 201
Valachia, olim Mysia. 653
Valdemontius Lotharingus. 36
Valdemōtij genus. 153
mors. Ibidem.
Valerius Vrsinus ab Hispanis captus. 173
Valerij contra Cæsarianos successus 98 & seq.
Venetarū cohortium miserabilis clades. 99. 100
Valeria prouincia, hodie Stiria. 524
Vallemontonium Latij

tij oppidam oppugnatur. 103
Varus amnis. 866
Vastius Volaterram tendit. 426
ad milites verba facit. 561
Carolo Cæsari imperat. 809
Vastij & Ferdinandi Gonzagæ sententia de Gallia inuadenda. 863
ad milites adhortatio. 781. & 782
consilium ad Cæsarem. 808
clementia erga supplices. 113
Vayuoda rex Budæ. 292
Vayuoda. 346
Vbertus Farinata Florentinus ciuis optimus. 395
Vbertus Gambara. 54
Vldericus Virtembergicus Lantgrauij armis & virtute reducitur. 626
recipitur à suis. 645
Veneti nouum in Italia bellū mouēt. 219
Græcis equitibus vtuntur. 211
Veneti senatus præposterum iudicium, contradicente Grito principe. 838
Veneti pacem inter Cæsarem & Gallū agre ferunt. 216
Sfortiæ opem ferunt. 24
Venetorum ad Pontificem & Cæsarem legatio. 290
legati amplissima munere à Cæsare Carolo ornati. 291
Venetorum & Gallorum copiæ quantæ cōtra Cæsarem & Pontificem. 101
Venetæ classis ad pugnam parata. 578

Venti, Eurus, Vulturnus, Fauonius, Corus. 583
Veromanduri. 887
Verticillus Neapolitanus obsessis multa beneficia confert. 133
famosus latro. Ibidem.
furca suspenditur. 134
Verretus. 115
Veterani milites pacis nomen odio prosequuntur. 287
Venusini Gallis deditionem faciūt. 112
Vienna obsidione liberatur. 276
Viennæ propugnatores. 358. 359
Viennensis obsidio. 354. & seq.
Viennēses muri. 357
Viennensium damna à Turcis. 362
Vincentius Cathareus Dalmata seruorum liberator. 813
Virunum antiquitus, hodie sancti Viti oppidum. 373
Virginius Vrsinus classis Pōtificis præfectus. 760
Virtembergenses reguli Austriæ domus beneficiarij. 645
Vlamanes Persa trāsfuga. 728
Vlamanis consilium. 723. & seq.
Vmbrici belli finis. 313
Vocontia regio. 866
Volaterræ à Pannonijs capta. 428
Romanorum colonia. 408
Volaterrarum situs. 427
præsidium. 402
oppugnatio inita. 422
Volaterrani à quo originē repetant. 427

Bellicosi. 408
deditionem cogitant. 410
Mesiceos recipiũt. 411
Vrbanus Isthmus. 849
Vrbinates mœnibus nudantur. 8
Vrsi caput. 120
Vsarones Hungarici 34
Vtica Vrbs. 704
Vticæ portus, hodie Farina dicitur. 769
Vuillermus Boiariæ regulus queritur de Austriacis. 506

Z

Zadares à Lacedæmone interficitur. 586.587
Zafranium promontorium hodie, olim Apollinis. 775
Zagataÿ antiquitus Arÿ. 717
Zagrus mons. 732
Zamronius interficitur. 127
Zanob. à Bartholin. 44 rev. 477
Zeilan, vel 732

Finis Indicis secundi tomi.

Universidad de Deusto
Biblioteca